STATE LIBRARY OF PENNSYLVANIA
3 0144 00362010 1

PENNSYLVANIA STATE LIBRARY
1745

PISL - 389
50M 4-69

COMMONWEALTH OF PENNSYLVANIA
DEPARTMENT OF EDUCATION

STATE LIBRARY

HARRISBURG 17126

In case of loss, damage or mutilation, the borrower agrees to pay for or replace the missing or damaged item. All items must be returned by the last date stamped below. A daily fine will be levied on all delinquent materials. Persons who do not return materials may be prosecuted under the State Library Code. Items may not be renewed.

L. ANNÆI FLORI

EPITOME

RERUM ROMANARUM.

VOL. II.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
This project is made possible by a grant from the Institute of Museum and Library Services as administered by the Pennsylvania Department of Education through the Office of Commonwealth Libraries

https://archive.org/details/vol2lannaeiflori00flor

L. ANNÆI FLORI

EPITOME

RERUM ROMANARUM

EX EDITIONE J. FR. FISCHERI

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU CODICUM ET EDITIONUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1822.

PENNSYLVANIA
STATE LIBRARY

NOTÆ VARIORUM

IN

L. ANNÆI FLORI

EPITOMEN

RERUM ROMANARUM.

79873

COMPENDIA SCRIPTURÆ, QUIBUS DESIGNANTUR LIBRI SCRIPTI ET EDITI FLORI.

Naz. et N. Nazarianus.
Pall. duo Palatini.
Pal. pr. et P. 1. Palatinus primus.
Pal. post. et P. 2. Palatinus secundus.
Ryck. et R. Ryckianus.
Regg. duo Regii.
Reg. F Regius in Fol.
Reg. Q Regius in Quart.
Toll. tres sequentes, quos contulit Tollius.
Flor. et Fl. Florentinus.
Magl. et M. Magliabecchianus.
Berol. et B. Berolinensis.
Duisb. et D. Duisburgensis.
Fran. et F. Franequerauus.
Voss. tres ex Bibliotheca Is. Vossii.
Voss. 1. et Voss. pr.
Voss. 2. et Voss. sec.
Voss. 3. et Voss. tert.
V. E. V. e. et vet. ed. Vetus, id est, prima omnium editio.
Ed. B. Editio Beroaldi.
Ed. S. et S. Editio Sabellici.
Ed. J. Editio Juntina.
Ed. P. Editio Parvi.
Ed. A. Editio Aldi.
O. s. et e. vel, om. sc. et ed. omnes scripti et hi sex editi.
In notis Gruteri et Freinshemii,
I. impressi.
I. q. impressi quidam.

NOTÆ VARIORUM

IN

L. ANNÆI FLORI

EPITOMEN

RERUM ROMANARUM.

EX EDITIONE C. A. DUKERI,
LUGD. BAT. 1744.

LIBER I.

Lucii Annæi, sive Flori, &c.] In antiquioribus libris, teste Salmasio, varie nomen hoc legitur, ita tamen, ut semper *Annæus* vocetur, nisi quod in aliquibus *Julium* invenit Lipsius, quibus tamen fidem non habet. *Julius* etiam Schotto citatur. Nobis ea de re nihil compertum est; nec enim quicquam sine libris veteribus vel aliorum auctorum testimoniis eruere promptum sit, quibus utrisque deficimur. Illud videtur, cognomen Flori, si alienum sit, adjectum errore, quo multis idem cum epitomatore Livii Noster habetur. *Freinshemius.* Pleræque recentiores Edd. hunc titulum præferunt, *L. Annæi, sive Senecæ*, eo quod hic Scriptor in aliis Mss. *Florus*, in aliis *Seneca* vocatur. Cur ergo non etiam priorem partem ita dederunt, *L. sive Annæi, sive Julii?* quum in nomine gentili itidem varient scripti. Itaque prætuli titulum Ed. Græv. et aliarum quarumdam, quem etiam Nazar. et Vineti Mss. item Ryck. et Vet. Ed. habent. In aliis olim impressis, et in scripto Duisb. *L. Florus* vocatur, omisso nomine *Annæi.*

PROŒM. §.1 *Populus Romanus*] Auctor Flori Francici Francis hoc aptat, cothurnum Herculis. *Fr.*

Usque Cæsarem] Ita vetustissima editio, quam potuissemus hoc quidem in loco non sequi, nam scripti omnes, quos vidimus, habent: *in Cæsarem.* Et hanc loquutionem Annæo familiarem esse scimus, quod nemo potest ignorare, qui totum legerit. Cap. 6. hujus libri: 'Substitutus in locum regis quasi in tempus.' Vulgati: *ad tempus.* Salmasius.

In Cæsarem] Alii *usque Cæsarem*, quod præferrem, nisi scripti, quos Gruterus et Salmasius videre, repug-

narent, quibus etiam suffragatur non indiligens editio, quæ decimo superioris sæculi anno prodiit. Ita loquitur Noster infra, fine præfationis: 'In sæculum nostrum.' *Fr.* Sic mox n. 6. 'In App. Claudium,' et II. 17. 5. 'In Cæsarem Augustum.' Suet. Vesp. 6. 'Deposita simultate, quam in id tempus ex æmulatione non obscure gerebat.' Add. Salm. in Solin. p. 786. a. F. Justin. XII. 4. 'Quæ consuetudo in successores quoque Alexandri mansit.' Hoc Tanaq. Fabro durius et insolentius videtur, nisi addatur *usque:* sed vid. quæ adnotat Cl. Burmannus ad Vellei. I. 8. Horat. Epist. II. 1. 159. 'Sed in longum tamen ævum Manserunt, hodieque manent, vestigia ruris.' Ovid. Fast. v. 33. 'Hic status in cœlo multos permansit in annos.'

Septingentos] Novem adjiciunt Eutropius lib. VII. in princ. et Fasti Consulares, decem Orosius VI. 18. Velleius II. 65. 4. Tacitus post DCCXX. urbis annum, solum Augustum imperasse, principio Historiarum scribit. Dio princ. lib. LII. post DCCXXV. post Actiacam nempe victoriam, quam Panvinius ex Fastis in vicesimum secundum supra DCC. refert, qui numerus, duodecim annis, quibus cum Antonio Rempub. tenuit, recisis, idem cum Orosiano fuerit. Dionysius Halicarnasseus I. 71. bellorum civilium finem in mediam Olympiad. 187. refert, cum Roma apud eundem I. 71. et 74. et II. 2. primo septimæ Olympiad. condita fuisset: fuerint ergo anni DCCX. quot etiam subinnuere videtur Livius in præfat. n. 5. Etiam Solinus cap. 1. ad primum Augusti consulatum annos DCCX. computat. Sed Noster maluit uti rotundiore numero, quod aliis etiam auctoribus familiare est. Livius IX. 18. 8. 'P. R. octingentesimum annum bellare,' scribit: et apud Tacitum H. IV. 79. 9. 'Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compagem eam (imperium Rom. dicit) coaluisse' ait Petilius Cerialis. Ita Justinianus in l. III. C. de V. I. enucl. ab U. C. ad suum usque imperium pene MCCC. (nam quod in Constit. ad Tribonian. §. 5. MCCCC. anni sunt, scribentis, aut describentis, error est) annos elapsos ait. Ita etiam in enarrandis cladibus, ubi cæsorum numerus refertur, rara centenorum mentio est, sed tot fere millia cæsa dicuntur. Tales enim minutas diligentias ab historico non requirimus. Sed nec communis casus observat: ex quo v. g. centumviri dicebantur Romæ, qui erant 105. postea etiam 180. Vide Bernegger. Quæst. in Tacit. 64. Sic de Geographis Strabo lib. I. Καὶ γὰρ ὁ γεωγραφῶν ὄντως πολλὰ παρίησι τῶν ἐν μέρει. Vide etiam notam ad I. 12. 2. *Fr.*

Tantum operum] *Opera gerere* plerumque dicitur de rebus bellicis. Vid. Freinsh. Indic. Add. Vell. II. 104. Curt. VIII. 1. Sueton. Domit. II. Sed sunt tam pacis, quam belli opera. Liv. I. 16. 'His immortalibus editis operibus:' quod paullo ante dixerat: 'Hæc ferme Romulo regnante domi militiæque gesta.' *Tantum opum* Voss. 3. ut *Opibus* pro *Operibus* in Cæs. Civil. I. 32. ubi vid. Clar. Oudendorp.

Ætatem ultra putet] Hoc est, putet, tantum operum tam brevi temporis spatio geri non potuisse: nam quod Stadius 'putare' pro, computare et numerum inire, exponit; id quidem alias probum est: sed huic loco parum convenire videtur; cum hic non de inquirenda vel computanda ætate sermo sit, sed jam inventa et computata cum rebus in ea gestis comparetur. Hæc eadem Flori verba ad ectrapelos, (sicut Plinio lib. VII. c. 16. in fin. vocantur) venuste refert Berneggerus, præsertim ad eum, cujus Gregoras meminit Histor. lib. II. c. 12. et Seneca ad Marciam cap. 23. fin. *Fr.* *Ætatem ultra putet*] I. e. putare possit ætatem Pop. Rom. vel imperii

extendi ultra terminum illum 700. annorum, atque adeo, ut Freinshem. tantum operum tam brevi spatio temporis geri non potuisse. Auctor Consolat. ad Liviam, comparans magnitudinem rerum gestarum Drusi cum ejus annis, hanc sententiam ita expressit vs. 339. 'Vix credent tantum rerum cepisse tot annos.' Clar. Perizonius ad oram exemplaris sui adscripserat: *Ultra* absolute, pro, ultra id spatium. Sic Plin. Panegyr. XLVII. 'Superatisque jam mille liminibus, ultra semper aliqua dura et obstantia.' Et *citra* ap. Tacit. H. III. 23. 'Tela hostium citra cadebant.'

§. 2 *Ita enim late ubique per orbem terrarum*] Optimæ et vetustissimæ S. Nazarii membranæ legunt: *Ita late per orbem terrarum.* Nec multum aliter edidit doctiss. Vinetus, nisi quod legit: *Ita enim:* sed illud *enim* nos salva sententia jubemus abesse, ut et illud *ubique.* In altero Palatino est: *Ita enim ubique per orbem terrarum.* Sed ille ut vetustate inferior, ita et bonitate. *Sal.* Recepi scripturam, quam libri et docti viri probant. Aliæ edd. *Ita enim late ubique*, duabus vocibus additis, quæ commode absunt. *Fr. Enim* retinent alii omnes scripti, et V. E. nec additum quidquam obest sententiæ. Quia tamen non solum a Nazar. sed etiam ab al. vett. Edd. abest, secutus sum Salmasium, Freinshemium, et Grævium. *Late* non erat in uno e Pall. Flor. Fran. et Voss. pr. *Ubique* addunt Pall. Regg. Duisb. Fran. Voss. 1. et v. e. In Magl. pro eo est *utique.* In Regg. non post *late*, sed post *arma* scriptum est. Videtur esse glossa *τοῦ late.*

Generis humani] Ita magnitudine Romana totus prope orbis involvitur, ut ei nihil accidere possit, quin universos contingat. Sic infra IV, 3, 8. 'Cum Romanæ dominationis, id est, humani generis conversione.' Sic Suetonius, Calig. 13. 1. 'Pop. Rom., vel, ut ita dicam, hominum genus.' Apud Tacitum, III. 59. 5. 'Sic imbui rectorem generis humani.' *Fr.*

Facta] Codex vetus, quem Christoph. Puteanus, et Regius, quem Samuel Sciassius, nec non Serenissimæ Suecorum Reginæ Christinæ, quem olim Antwerpiæ vidi, *generis humani fata* scribunt: verissime. Qui populi, inquit, Romani res gestas cognovit, omnium regnorum et rerum publicarum fortunam et conditionem cognovit: is scit et videt, quæ sit omnium gentium et populorum fortuna et status, qui a Romano imperio pendebat, victis plerisque orbis habitabilis et antiquis cogniti gentibus. Non nego vulgatam lectionem posse defendi et exponi; sed hæc vetustorum librorum scriptura elegantior est, et ingenio hujus Scriptoris accommodatior. L. I. c. 3. 'Horatiis Curiatiisque, tergeminis hinc atque inde fratribus, utriusque populi fata permissa sunt.' Et lib. IV. c. 2. 'Philippicis campis Urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt.' Rutil. Itinerar. lib. I. de ipsa Roma: 'Excedis factis grandia fata tuis:' ut recte viri docti. Ubi male quoque in multis editis legitur *grandia facta.* Licet fortuna tua magna sit, majora tamen sunt tua facta. Sic et alibi loquitur. *Grævius.* Codicibus, quos Celeberr. Grævius laudat, adsentiuntur Voss. 1. Regg. Berol. Magl. Duisb. et V. Ed. Et ita quoque legendum videbatur Perizonio. *Fatum* et *factum* sæpe permutata sunt, ut ostendit ad Sil. Italic. I, 277. et XI, 9. Cl. Drakenborch. Add. Cujac. Obs. XVI. 9. Forner. Rer. Quotid. VI. 9. Heins. ad Ovid. Trist. III. 6, 36. et Salmas. ad Capitol. Gordian. V. et sic liber Ryck. I. 3. 3. *facta* pro *fata.* Hoc loco vulgata scriptura facile defendi posset, ut recte Græv. si non obstarent libri scripti. Sed non probo, quod Schefferus in Justin. XXXIX. 5. pro *quo facto* legendum putat *quo fato.*

Nam] Puto legendum esse *Jam.* Fr.

Idem conjecerat Nic. Heinsius, adscriptis etiam locis Flori e lib. I, 13, 9. III. 1, 18. et III, 12, 11. quibus add. I, 8, 5. Nec absurde: nam *jam* et *jam vero* inserviunt transitioni, et connectendæ orationi. Vid. Scheff. et Græv. ad Justin. XLI. 5. Et sic Græv. infr. IV, 12, 23. pro *nam* substituendum censet *jam*. Sed omn. scrr. et edd. Flori et hoc et illo loco habent *Nam*. Et hanc particulam sæpe eamdem vim habere ostendit Manut. ad Cicer. Ep. Famil. III. 11, et V. 20. Add. Gronov. ad Liv. XXIX, 8. et Cl. Noodt. Probabil. II. 8. Dioclet. et Maxim. XIV. et de Pact. et Transact. XIII. In postrema Ed. Amstelod. Flori adnotationi Freinshemii hæc adsuuntur, 'Ms. Reg. *nam tot in laboribus:*' quæ unde sumta sint non scio.

Contendisse] Simile hoc Plutarchi est in Demosth. cap. 4. Εἰ γένοιτο τῇ φύσει καὶ τῇ τύχῃ καθάπερ τεχνίταις ἅμιλλα. Fr.

Virtus et fortuna] Tam ergo parum sine fortuna virtus effecerit, quam sine virtute fortuna. Sensit hoc Brutus, cum exclamaret, apud Nostrum 4, 7, 11. 'Non in re, sed in verbo tantum esse virtutem:' et Pausanias, quum scriberet lib. I. Τοὺς ὑπὸ Ἑλλήνων καλουμένους ἀνδρείους τὸ μηδὲν ἄνευ τύχης εἶναι. Et Maxim. Tyr. Dissertat. 24. Ἀρχούσης μὲν τῆς τύχης στρατηγοῦ δίκην· adeoque verum est interdum illud: 'Vitam regit fortuna, non sapientia:' quod firmat Sallustius, Cat. 8. 1. 'Profecto fortuna in omni re dominatur.' Et illud alterum Italorum: *Non val virtu, a chi fortuna incontra.* Sic in bello civili, quod ut ait Tacit. Hist. 3, 59, 3. 'Vitellium retro fortuna vertit, quæ Flavianis ducibus non minus sæpe quam ratio adfuit:' et Curtius 10, 5, 35. fatetur, 'Alexandrum, cum multum debuerit virtuti, plus debuisse fortunæ.' Contra 'Inguiomerum fortuna magis quam virtus deserebat,' apud Tacit. 2, 21, 3. Nam 'ei, qui ad virtutem tendit, etiamsi multum processit, opus est tamen aliqua fortunæ indulgentia,' inquit Seneca cap. 16. de Vita Beata. Hinc Plinius 'plurimum referre' putat, 'in quæ cujusque virtus tempora inciderit; in multis enim virtutis opera magna fuisse, sed majora fortunæ:' 7, 28. Hæc ergo sæpissime Pop. Rom. juvit, erexit, restituit, ut passim legimus. Unicum Taciti locum H. 3. 46, 6. annotasse sufficiat: 'Affuit, ut sæpe alias, fortuna Pop. Rom.' Ceterum Marcellinus 14, 14. nostrum imitatur, quem vide si lubet, et Plutarchi librum de fortuna Populi Romani, et Albericum Gentilem de armis Rom. 2. 12. et 13. Item Sitzman. in Rutilii Itiner. lib. I. vers. 62. *Idem.* Add. Lips. de Magnit. Pop. Rom. IV. 1. et Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 300.

Videantur] Optimi libri legunt hic: *viderentur.* Quod magis probo ex genio Flori: *ut ad constituendum ejus imperium contendisse virtus et fortuna viderentur.* Sic infra cap. 9. 'Ut plane publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum videretur.' *Sal.* Ita Reg. F, Flor. Berol. Duisb. et om. ed. Et confirmant hanc scripturam Voss. 2. 3. Ryck. et Magl. quorum in illis est *videretur*, in hoc *videreentur.* Nec tamen deteriorem putem vulgatam.

§. 3 *Quare quum præcipue hoc quoque, sicut cetera*] Optimus S. Nazarii liber: *Quare quum si præcipue hoc quoque operæ pretium sit cognoscere:* omissis illis, *sicut cetera.* Forte legendum: *Quare quum præcipue hoc quoque operæ pretium sit cognoscere.* Sal. Duo illa postrema verba absunt a quibusdam etiam optimæ notæ: sed quia in omnibus quas videre contigit editionibus retinentur, ipse etiam loco movere nolui. Salmasius ex Nazariano, qui habet, *quum si præcipue,* facit, *quamvis præcipue.* Fr. Retinet quidem liber Ryckianus has duas voces, *sicut*

cetera; sed cum nec Vinetus in suis libris, nec Puteanus nec Sciassius in Regio, nec Salmasius in omnium optimo antiquissimo Nazariano illas repererit, merito censuerunt homines doctissimi delendas esse; quibus adstipulor. Nec sic tamen locus hic est perpurgatus. Nam binæ hæ voculæ perperam inculcatæ præbuerunt ansam majorem labem aliis adspergendi. Codex Ryckianus: *quare cum tam de si præcipue hoc quoque sicut cetera operæ pretium sit, cognoscere: sigilatim tm.* Vocem *sigillatim* memini quoque præ se ferre membranas pervetustas Augustæ Christinæ, Suecorum Reginæ. Manus Flori fuit: *Quare cum præcipua quæque operæ pretium sit cognoscere sigillatim, tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo.* Vides detersis sordibus, quas invexerant aut librarii aut scioli, omnia nunc liquida esse. Cum intrusissent *sicut cetera,* interponendum etiam *hoc* fuit, et *quæque* transformandum in *quoque,* ut et *præcipua* in *præcipue,* ne sensu omni careret hic locus. Sic vara vibiam sequitur. *Græv.* Grævius et Amst. omiserant *sicut cetera.* Sed existimavi vulgatam scripturam, quam in plerisque sc. et om. ed. ante Grævianam inveni, exprimendam esse. Si placet retineri *sicut cetera,* ea verba non aliter videntur posse exponi, quam, *sicut cetera imperia, Quæ Romanum præcesserunt:* ut Gruter. Sed non temere est, quod ea non leguntur in multis Mss. cum quibus consentiunt Voss. 1, 2. Fran. et libri Vineti, quorum in uno tantum inter versus scripta erant; nec dubium est, quin locus sit contaminatus. In libro Ryck. sæpissime *de* scribitur pro *et.* Ita paullo ante, *Virtus de fortuna:* infr. c. I. *Primus ille de Urbis, de imperii conditor.* Et sic compluribus aliis locis. Itaque suspicor in libro illo *tam de si* scriptum esse pro *tametsi; cum* autem per errorem ortum e sequenti *tam,* et in eo codice, unde hic descriptus est, fuisse, *Quare tametsi præcipue hoc quoque, sicut cetera, operæ pretium sit cognoscere sigillatim, tamen. Tametsi,* et *tamenetsi,* sequente *tamen,* sæpe ponuntur pro, quamvis. Vid. Cæs. B. G. VII. 43. Cicer. Epist. Famil. IV. 15. et Cujac. Obs. I. 14. Et solet particulæ *tamen* aliquid hujusmodi præmitti. Unde et Perizon. inter alias conjecturas pro *quum* posuerat *quamvis;* quæ etiam Salmasii conjectura fuerat in primis curis; et adscripserat, 'sequitur enim *tamen.*' Ita partim e libro Ryck. partim ex aliis, partim e conjectura Grævii locus hunc in modum constitui posset: *Quare tametsi præcipua quæque operæ pretium sit cognoscere sigillatim; tamen, quia ipsa sibi obstat magnitudo.*

Rerumque diversitas] Sic apud Aristidem in Panathen. 'Multæ eorundem temporum res,' &c. *Fr.*

Obrumpit] Nazarianus cum duobus Palatinis: *abrumpit.* Profecto, *abrumpit* cum vetera haberent excusa, Vinetus ex suis libris *obrumpit* reposuit: omnes tamen libri, quibus usi sumus, *abrumpit* uno consensu legunt. *Sal.* Et sic om. sc. et ed.

Faciam quod solent] Alia comparatione utitur Sex. Rufus initio breviarii. *Fr.*

Pariter atque in semet] Quomodo hic *in semet* exponi possit, nullus video. Quid enim *in semet?* Omnino emendandum *in semel.* Quod in hoc auctore hominum imperitia depravatum, ter aut quater reposuisse memini, ex veterum librorum fide. 'Insemel,' 'Insimul,' 'Iniustar,' dixerunt veteres, pro simplicibus Semel, Simul, et Instar: ut nos alibi pluribus docebimus. Posset etiam legi, *pariter atque insimul,* et magis placet quam *insemel.* 'Insimul' infra dixit. *Pariter atque insimul,* ut 'Statim e vestigio,' et 'Statim ac sine mora,' quæ sunt familiares Annæo loquutiones. 'Iusemel' in Pandectis Florentinis pro, semel. *Sal. Insimul*] Vocem qua

et alias usus est Noster, et hoc in loco doctissimis viris usus putatur, restituere natalibus non dubitavi. Hactenus editi *in semet*, ex quo Gruterus *in semel*, melius quidem, sed melius adhuc illi. *Fr.* Pro *insemet*, quod et Regius et Ryckian. retinet, recte reposuerunt *insimul*. Dicitur enim eadem forma qua 'Incoram,' 'Inante,' 'Insemel.' Nec mirum *pariter* ac *insimul* συνώνυμα conjungi ab Annæo, cum hoc isti scriptori ut et aliis non sit infrequens, ut ostendit ὁ πάνυ Salmasius. Codicum tamen veterum lectionem tuendam censet vir magnæ dignitatis, ingenii, et doctrinæ, Marquardus Gudius, cujus judicio in primis multum tribuo. *In semet* autem ostendi magnitudinem, cum tanquam hominis in brevi tabella tota ejus imago ostendatur, ut sic statim *in semet* possit conspici, qualis sit. *Græv.* Quidam libri Vineti et Voss. 1. *insemel*, alii om. sc. et ed. *in semet*, quod propius accedit ad *insemel*, quam ad *insimul*. Reg. Q etiam *in semet ipso*. Locus Pandectarum, quem hic laudat Salmasius, est in l. 35. §. 7. de Contrah. emt. 'Nec interest, num pretium centum metretarum insemel dictum sit, an in singulos eos.' Ita ibi a manu vetere fuisse, sed id deinde mutatum in *insimul*, quod alii Mss. et Vulg. habent, me docuit Vir doctiss. mihique amicissimus Henricus Brencmannus Jctus. Sed in Floro sententia loci potius videtur postulare *insimul*, quam *insemel*, ut infr. II. 17. 2. 'Simul pariter.' Idque etiam placet Bernartio ad Stat. Theb. I. 440. apud quem ad ejusdem poëtæ Silv. 1. 6. 36, et ap. Racvard. Var. III. 3. plura vid. hac forma composita. De *insimul* Freinsh. in Ind. et Cellar. Cur. Poster.

§. 4 *Quasi hominem*] Nam sicut homines, ita civitates quoque et urbes nascuntur, crescunt, decrescunt, moriuntur: bellissima igitur hæc comparatio est. Eadem ratione Papirius Fronto in l. 40. D. de pec. peculium homini comparat. Marcellinus cit. loco eandem ex nostro similitudinem suo operi inserit, quam Lactantius ex Seneca (sicut ipse laudat auctorem) aliter paullo recenset. Eadem figura Plinius, 3, 5. 'Morientis Casilini reliquias' dicit. Cicero de Fin. 5. 14. pari similitudine utitur. 'Earum,' inquit, 'etiam rerum, quas terra gignit, educatio quædam et perfectio est, non dissimilis animantium. Itaque et vivere vitem, et mori dicimus, arboremque et novellam et vetulam, et vigere et senescere.' Florum imitatus videtur Nanclerus in præfat. *Fr.*

§. 5 *Prope ducentos quinquaginta per annos*] Mirum quam diverse hic numerus concipiatur in antiquis libris. S. Nazarii membranæ *CCCC per annos*. Quod et a plurimorum veterum sententia et a vero longius abest. Alter Pal. *CC*. Alter vero cum Nazariano consentit. Nullus certe agnoscit editam lectionem. Vetusti Jordanis Codices *CCXLIII*. Quibus ratio nos cogit assentiri et scriptorum consensus. In Anacephalæosi, de regibus: 'Hæc est prima ætas populi Romani et quasi infantia, quam habuit sub regibus septem, per annos, ut diximus, CCCXIII.' Legendum est: *CCXLII*. Hoc est, quod ait heic Florus, *prope ducentos quinquaginta*. Sal. Iterum numerum non exacte definit, (vide quæ supra ad n. 1. notavimus) quem ex auctoribus cum cura eruerunt Camers et Stadius: quibus adde Livium fine lib. 1. Halicarnass. fine lib. 4. Eadem ratio temporum est apud Appianum in præfat. *Fr.* Vineti libri hic quoque valde variabant. Nam alii CCCC. alii CCC. alii CC. habebant. Voss. omnes, Ryck. et Regg. conveniunt cum Nazariano. Duisb. et V. E. cum altero Pal. in Fran. est *ducentos XLIIII*. In Flor. et Magl. Tollius videtur invenisse *CCL*. Nam nihil adnotarat, nisi in Berol. deesse

numerum annorum. Idem paullo ante non male legebat *ut adoleverit*, rejecta copula *que*. Sic Liv. I. 6. 'Originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti essent...ostendit.' Et Justin. I. 5. 'Scribit ei, ut ablegatus in Persas fuerit,' cet. ubi quater repetitur *ut* sine copula. Nec necesse erat eam in medio poni.

Circum ipsam matrem suam] Quis hactenus huic lectioni controversiam movere ausus esset, vel saltem de ejus fide et sinceritate dubitare? Nemo sane. Nec quisquam quidquam ex suis libris prompsit, quod diversum esset ab edita scriptura. At omnium optimæ Nazarianæ schedæ legunt: *circum ipsam cum ipsa cum finitimis, &c.* quæ est mera balbuties: ex qua tamen expeditius loqui docebimus hunc vulgum. Legimus enim, *circum ipsas cunas cum finitimis luctatus est*: omnino eleganter: ab infantibus, qui, minus pedibus firmi, longius non audent a suis cunis discedere, et circum ipsas lusitant: sic Romani illo tempore circa mœnia hærentes sua, longius progredi non ausi, cum finitimis hinc inde lacessentibus luctabantur; cum ipsis nulla patrii soli gleba esset, sed statim hostile pomœrium, ut infra narrat. Si cui libebit vulgatam amplecti, per me liceat. *Sal.* Nazarianus Salmasii, *circum ipsam an ipsa*, ex quo facit *circum ipsas cunas*. Gruterus et Pontanus *circum ipsam mammam*, quæ omnia ratione non carent. Verum cum vulgata lectio sine vitio sit, non immerito tuemur; alias enim forte nihilo secius legi posset, *circum ipsa mœnia sua*, quod propius ad Marcellinum accederet, quem, cum similitudine Flori uteretur, nec a verbis longius recessisse credibile est: ille enim 'Circummurana bella.' *Fr.* In chirographo Salmasii e Nazar. erat *circum ipsam cum ipsam cum finitimis*. A Voss. 1. abest *suam*.

Hæc erit] In Ed. Grævii et Amstel. *erat*. Revocavi *erit* ex sc. et ed.

§. 6 *Appium Claud.*] Non intelligit Appium Claudium cæcum, de quo infra cap. 18; sed eum cui cognomen 'Caudex,' de quo lib. 2. c. 2. *Camers.* *Quintum Claudium* perperam habent Regg. Fran. et Voss. 1.

Q. Fulvium] M. Fulvium Fasti præferunt, quod etiam Stadius notavit. *Fr.* Vid. Pighium ad A. U. 489.

Ducentos annos] Unde unde hæc scriptura? certe a nullo scriptorum exemplarium nostrorum agnoscitur, quorum optimum Laurissanum habet *CL*. Cui consentit alter Palatinus infimæ vetustatis. Sed alter de nota meliore plane exhibet *CCL*. Nec contradici potest, quo minus hæc sit vera et sincera lectio, cum Livius et Dionysius Halicarnassæus, tempus, quod sub regibus fuit, ducentis et quadraginta quatuor annis definiant, alii etiam quadraginta tribus. Hic Annæus, ut numerum rotundum efficeret, ducentos quinquaginta posuit, quos annos imperii Romani infantiæ assignavit, mox totidem ejusdem adolescentiæ tribuit. Ut igitur quingenti anni integri exorirentur infantiæ et adolescentiæ populi Romani, sex annos adjicere non est veritus præter veterum sententiam, atque adeo ipsam veritatem. Neque hoc præcise damnandum est. Cum enim primus et jucundissima et suavissima imagine urbis Romanæ tempora distribuerit in ætates, ut Lactantius loquitur, ita illos gradus et ætates partitus est, ut pene per omnia faceret æquales. Dat ducentos quinquaginta annos infantiæ, a qua imbecilli ætate transitum facit ad adolescentiam, cui totidem annos adscribit. Hæc a Bruto Collatinoque Coss. incipiens, in Appium Claudium, Q. Fulvium, Coss. desinit. Deinde juventam ipsam ab istis Consulibus usque ad Cæsarem Augustum totidem annorum, nempe ducentorum et quinquaginta, esse fingit. Quam hæc composite et

eleganter? Ab Augusto robusta illa maturitas, ut ipse vocat, cœpit consenescere: et hanc imperii quasi senectutem esse statuit, quam in Trajani tempora, quibus etiam vixit, ducentos annos patere scribit. Ut ceteris ætatibus vel potius ætatum gradibus ducentos quinquaginta annos attribuerat, ita huic extimæ ætati senescentis imperii tot assignare non potuit, nec enim ulterius vixit, et ad suam tantum ætatem perducere debuit, id quod ipse scire poterat. Præterea, etiamsi diutius vixisset, videbatur senium exuere sub Trajano, et hic erat ponendus veluti terminus ejus senectutis. Et hæc quidem hactenus. *Sal.* Adeo non displicet Stadii et Salmasii conjectura, qui *CCL.* hic, et infra n. 7. *CC.* legunt, ut etiam in textum recipere ausus sim, quam et Noster firmare videtur infra, 2, 1. *Fr.*

Patet] Frustra sollicitat lectionem hanc Camers, quæ omnino proba est. 'Patere' dicitur ætas, hoc est, habere tot annos, per tot annos extendi. Vide, si lubet, Indicem, in quem talia conjecimus. *Fr.* Add. hic Vinet. et Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 605. Herc. Œt. 165. et ad Liv. xxv. 23. *Habet* nusquam inveni nisi in Ald. Camert. et Stadii Edd.

Hoc fuit tempus viris armisque incitatissimum] Ryckianus sine copula: *Hoc fuit tempus viris armis incitatissimum.* Est hoc priscæ elegantiæ. Cic. Philipp. viii. 'Putabam fore, ut omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, viris Decimo Bruto subveniremus.' Idem ad Fam. ix. 7. 'Nunc cum confecta sint omnia, dubitandum non est quin equis, viris.' Sic Flor. i. 1. 'Pulsi, fugati Veientes:' sic Ms. Reg. Vulgati, *Pulsi fugatique Veientes.* Græv. Voss. i. *viris armatis.* Sed correctum *armis.* Fran. *viris, armis,* et deinde *ideoque quis.* Sententia horum verborum est: Hac secunda ætate Pop. Rom. miro quodam ardore ad bella gerenda incitatus, et ad arma strenue movenda promptissimus fuit. 'Tempus' pro hominibus qui sunt in tempore. Hoc infr. i. 22. ita dicit: 'Hac ætate P. R. quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit.' Gronov. Observ. i. 2. sed hæc interpretatio non placebat N. Heinsio, qui ad oram libri sui adscripserat *inclitissimum,* ut Columell. i. 4. 'Primo Punico bello dux inclitissimus Atilius Regulus.' Gell. ex Catone iii. 7. 'Claritudo inclutissima:' et Idem xiii. 7. 'Inclutissimi poëtarum.' Sane phrasis Flori insolens est, et fortassis nemo præter eum sic loquutus est.

§. 7 *Ducenti anni*] Vide notam ad n. 6. et infr. 2, 19, 2. *Fr.* Chronologiæ rationem, et Flori ipsius locum a Freinshemio laudatum postulare, ut deleatur *quinquaginta,* recte adnotarat Perizonius.

Hæc jam ipsa juventa] Lege: *Hic jam ipsa juventa imperii, et quædam quasi robusta maturitas.* Ita Nazarianus concinnius quam vulgati: *et quasi quædam.* Sal. Quis *hic?* Nam ut de adverbio cogites cum nonnullis editoribus nihil est, cum id in sententia hujus loci Latinæ respuant aures. Repone ex Ryckiano sine mora: *Hæc ipsa juventa imperii,* ut ante: 'Hæc erit ejus infantia.' Et: 'Hoc fuit tempus viris armisque incitatissimum.' Inferius lib. iii. 12. 'Hæc est illa tertia ætas populi Romani transmarina.' *Græv.* *Hæc* non displicebat Perizonio. Et sic etiam in Fran. est, et in Epist. Herm. Buschii quæ est xxxvi. inter Epistolas Philolog. Goldasti. Nec tamen id paucorum librorum auctoritate recipiendum visum fuit. Nam et *Hic* potest dici pro, tunc, hoc tempore. Vid. Interpr. Phædri ad Fab. 14. l. i. Pro *juventa* Voss. 1. 2. Regg. et Berol. habent *juventas,* de quo vid. ad ii. 1. ubi itidem variant libri. *Quædam quasi* habent plerique scripti. Ita-

que id retinui cum Grævio, qui primus, quod sciam, ita edidit: etsi non video cur, quod Begero videtur, concinnius sit, quam *quasi quædam*, quod est in quibusdam sc. et om. ed.

Maturitas] Hæc vox sæpe dicitur de juventa, et constanti illa ætate, quæ et viribus corporis et prudentia superat adolescentiam. Cicero Orator. ad Brut. c. xxx. 'Sunt enim omnia, sicut adolescentis, non tam re, et maturitate, quam spe et exspectatione laudati.' Add. Nic. Heins. ad Vellei. II. 116.

§. 8 *Haud multo minus*] Libri quidam, *aut non multo minus anni ducenti:* male. Nazarianus *aut* habet; *aut* pro, *haut*, vel *haud:* nam hæc vera lectio est. *Sal. Haud multo* Ryck. Toll. Voss. Reg. Q et Fran. *aut m.* Reg. F et unus Pal. *haud non multo* Duisb. et v. e. Hæc præteriri potuissent, nisi Salmasio visum fuisset monere de scriptura Cod. Nazar.

Anni ducenti] Secundum computationem Eusebii, ab initio imperii Augusti, usque ad finem Trajani, sunt fere anni 178. et menses 6. *Cam.* Tacitus G. 37, 4. ab U. C. ad alterum Trajani consulatum 850. annos colligit. Salmasius autem putat Florum sub Hadriano vixisse, et per *sæculum* istud *suum* Hadriani tempora intelligere: quapropter etiam mox *movit*, non *movet lacertos*, legendum ait. Voss. de Histor. Lat. 1. 30. mavult corrigere, *anni CL.* Fr. Vossius sequutus est libros, qui tertiæ ætati P. R. itidem ut duabus prioribus, adsignant CCL. annos, ob eamque causam putavit ab ultima ætate quinquaginta detrahendos; cum illos potius debuisset demere de annis CCL. tertiæ ætatis, ut apparet ex iis, quæ dicta sunt ad n. 7. Sunt autem ab A. U. 700. a quo quartam ætatem inchoat Florus, ad excessum Trajani anni 170. secundum calculos Petavianos.

Inertia Cæsarum] Cæsares curam imperii abjiciebant, partim ne a voluptatibus suis avocarentur; partim quia subditos imbelles esse malebant. *Zevecot.*

Quasi consenuit] Ms. Gudii: *insenuit:* non sperno. Quintil. Orat. Instit. x. 3. 'Quomodo sufficere civilibus officiis possit, qui singulis actionum partibus insenescat?' Ceterum ipsa Roma tanquam effœta Matrona queritur apud Claudianum bello Gotico: 'Ipsa ego, quæ terras humeris pontumque subegi, Deseror; emeritæ jam præmia nulla senectæ.' *Græv.* Sed alia significatione homo dicitur 'insenescere alicui rei;' alia imperium, vires, opes, aliaque 'senescere' et 'consenescere,' i. e. paullatim debilitari, et minui, ut vires hominum minuuntur senio. Multa hujus generis congessit Doctiss. Wass. ad Sallust. Catil. c. XXI.

Decoxit] Hoc est, decoctum est, activo verbo quasi neutraliter usurpato, qua loquendi ratione nulla Tacito frequentior, ut merito facessat inde corrector ille cum novis suis cogitationibus. Sed et alii auctores passim ita loquuntur. Hoc ipso verbo Tertullianus ita utitur, adversus Gentes cap. 42. 'Templorum vectigalia quotidie decoquunt.' Ita Livius verbo 'Abolevit,' 1. 23, 4. Vide quæ congessit Barthius in notis ad nonum versum Cynegetici Gratii. Item, si lubet, Indicem nostrum Justinianum in *Convertit.* Et Agell. 18, 12. *Fr.* Non est, ut doctissimo placet Freinshemio, decoctum est: sed decoxit suas vires, hoc est, minuit, detrivit populus Romanus, sicut *decoxisse* dicitur qui opes suas decoxit, hoc est, perdidit, et dilapidavit. Sæpe casui quarto additur. Pers. Sat. v. 'Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille In Venerem putret.' Quintil. II. 4. 'Materiam primam esse volo vel abundantiorem, atque ultra quam oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio

limabit, aliquid vel usu ipso deteretur.' Symmachus: 'Senectus nihil decoquit firmitatis.' Sæpe casus omittitur: Colum. XI. 1. 'Nam quamvis interdum emendatum sit perperam factum vel imprudentia, vel negligentia, res tamen ipsa jam domino decoxit:' scilicet fructus ei debitos. Plin. XXXIII. 10. 'Postea divites cognominati, dummodo notum sit, eum, qui primus accepit cognomen, decoxisse creditoribus suis:' scilicet pecuniam, quam illis debebat. Est translatio a liquidis, quæ decoquendo minuuntur. Nota est 'Decocta' Neronis apud Suetonium. Non hæc tot verbis persecutus essem, nisi viris insignibus hic aquam hæsisse vidissem. *Græv.* Add. quæ de hoc verbo adnotarunt Casaub. ad Pers. Sat. I. 125. et Perizon. ad Sanct. Minerv. IV. 4. 107. Barthius ad Claudian. Consul. Mallii Theod. vs. 181. 'Decoxit' in h. l. Flori itidem accipit pro, decoctum est, et alia nonnulla adfert, quæ eodem modo dici putat. Sed videndus est de his Sanctius in Minerv. IV. 3. et ibi Perizon. n. 13.

Nisi quod sub Trajano Principe movet lacertos] Lectionem Nazariani Codicis hic revocamus: *movit lacertos.* Ex qua colligimus, Annæum Florum hanc epitomen scripsisse atque edidisse sub Adriano, non sub Trajano. Sane hujus scriptoris plurimam sub Adriano Imperatore mentionem, sub Trajano nullam invenio. Vide Ælium Spartianum in Adriano, ubi etiam Florus Poëta vocatur. Apud Charisium, multis in locis, scripti cujusdam, sive epistola sit, occurrit mentio ad Divum Adrianum. Adriani igitur temporibus hunc floruisse pro comperto habeo. Sub Trajano vixisse etsi non negem, imo vixisse etiam censeam; sub eo tamen admodum notum fuisse, aut aliquid scripsisse non puto. Id maxime evincit, quod hoc loco scribit, ducentos annos in seculum suum ab Augusto numerari. Qui numerus annorum tempora Trajani multis annis excedit, et ultra Adriani ultima etiam tempora excurrit. Verum est igitur, hoc loco legendum esse: *sub Trajano movit lacertos.* Sal. *Movit* legendum putat Camers, et multis defendit Salmasius: nec ratio Gruteri, qua Camertis lectionem improbat, satis in diversum valet, ideoque in textum recipienda videbatur, præsertim cum in Nazariano ita legatur, Salmasio teste. Sed quoniam in præsenti loqui pergit, *revirescit*, vix dubito quin illud alterum verum sit. Præsertim, quia nec Hadriani mentionem omissurus erat Florus, si ipso jam imperante scripsisset. *Fr.* *Movet* etiam Vossius l. d. et Gruter. ac Rupert. ad h. l. tuentur multis rationibus, sed non omnibus, ut mihi quidem videtur, æque validis. Putant Voss. et Grut. repugnare inter se, quod dicit Florus *in sæculum nostrum*, et *movit lacertos:* sed non necesse est verba *in sæculum nostrum* referri ad res et tempora Trajani, quippe quæ non minus de Flori ætate, ac tempore, quo eum scripsisse putat Salmasius, accipi possunt. Nec quidquam obstat, quo minus conjungi possint *movit* et *revirescit*, hoc sensu: Postquam sub Trajano movit lacertos, nunc sub Hadriano revirescit. Majorem vim ad tuendam scripturam vulgatam habet argumentum Freinshemii, Florum, si Hadriano imperante scripsisset, non videri omissurum fuisse illius mentionem; quod pluribus urget Rupertus. Et in ea sententia erat etiam Is. Vossius, qui ita adnotaverat: 'Optimus Ms. *movet*, et sequitur *revirescit.* Unde manifestum sub Trajano scripsisse.' Itaque non muto vulgatam, quam consensus aliorum Mss. præterquam Voss. 3. qui cum Naz. conspirat, et Vett. Edd. tuetur. Verum quidem est, quod dicit Salmasius, terminum 200. annorum post Augustum et A. U.

700., etiam ultra ultimam ætatem Hadriani, qui obiit sub A. U. 891. excurrere. Sed Florus in hoc proœmio non conficit rationes Chronologicas, nec præcise 200. annos, verum non multo minus quam 200. ab Augusto ad sæculum suum esse dicit.

Præter spem omnium] Fit tamen nonnunquam. Claud. de bello Getico: ' O quantum mutata tuo fortuna regressu! Ut sese pariter diffudit in omnia regni Membra vigor, vivusque redit color urbibus ægris.' *Græv.*

Revirescit] Simili verbo et sensu Curtius 10, 9, 5. ' Non revirescit solum, sed etiam floret imperium.' *Fr.* Sic Ovid. Metam. VII. 305. de sene, cui restituitur vigor juventæ: ' Arte suum parili revirescere posse parentem:' quem locum adscripserat Perizon. Et apud eumdem Met. IX. 430. in duobus scriptis: ' Fatis revirescere debent Callirhoë geniti.' Sed contra alios, in quibus est *juvenescere*. Vid. ibi Heins. Columell. de R. R. II. 1. ' Quum semel invasit senectus, regressum non habet, nec revirescere aut repubescere potest.'

CAP. 1 *De Romulo primo Romanorum Rege*] Historiam Romuli præter Nostrum invenies apud Livium 1. Justin. 43. Solin. in princ. Victor. de Viris illustrib. cap. 2. Sex. Ruffum de vita regia, Eutrop. 1, 4. Oros. 2, 5. Plutarch. Dionys. Halicarn. 1. et 2. Valer. Max. 3, 2. et 5, 3. Plinium 8, 17. 14, 12. 15, 18. et 29. 16, 45. 18, 2. 34, 6. Augustinum de Civit. Dei 2, 17. 3, 6, 13, 15. Lactant. 1, 20. et 2, 7. Virgil. Æn. 8, 635. Ovid. 3. et 4. Fastorum. et 14. Metam. Horatius Carm. 3, 3. Propert. lib. 4. *Cam.* Addatur Ὀλυμπιάδων ἀναγραφὴ apud Scaligerum in edit. Eusebii, item alia excerpta Græca ibid. pag. 387. f. Varro de Re Rust. 3, 1. *Fr.*

§. 1 *Primus ille*] *Illi* legi mavult Pontanus, ut ad P. R. referatur. Mihi vulgata verior est; ita infra 3, 10. 20. ' Ille corpore, armis, spiritu que terribilis, &c. Vercingentorix:' quamvis nec illa sensu vel ratione careat. *Fr.*

Romulus] A ' ruma,' hoc est, mamma ita dictus a quibusdam; quod refert et damnat Festus. Est autem a ' ruma ' Ruminus Jupiter apud Augustin. de Civ. D. 7, 11. *Id.*

A Marte genitus] Leve hoc quidem est, et vix dignum notatu, expungendam esse præp. *a*. *Conditor Romulus fuit, Marte genitus et Rhea Silvia:* ita lege ex consensu veterum omnium Codicum. Nec aliter duo vetustissimi Jordanis, quorum alter Longobardico charactere scriptus est. *Sal.* Hanc scripturam, cum in libris reperta etiam viris doctis probetur, et Flori genium sapiat, recepi lubens, alii *a Marte*. Fr. His ludibriis natalium dedecus occultabant. Herculis pater Juppiter, Alexandri Magni, Seleuci Nicatoris, et Octaviani Augusti draco. Vere Ausonius: ' Martem, Remumque, et conditorem Romulum, Primos parentes nuncupans: Credo quod illi nec pater certus fuit, Et mater est vere lupa.' Spurii sæpe viri maximi evaserunt. Sic Jugurtha: Sallust. Jugurt. c. 6. Exempla alia non pauca sunt in promptu. *Græv.* De nominibus matris Romuli sunt epistolæ Ryckii et Perizonii, ab hoc ad finem lib. VII. Æliani Histor. Var. publicatæ.

§. 2 *Hoc de se sacerdos gravida confessa est*] Ita legit Gruterus ex Mss. et in Jordane reperiri testatur. *Fr.* Nullam huic lectioni controversiam moveo, munitæ præsidio veterum librorum, quotquot ipse aliive inspexerunt. Non tamen de nihilo est, quod apud Jornandem, qui Flori ipsa verba descripsit, legatur: *Hoc sese Vestæ sacerdos gravidatam confessa est.* Non hæc ex Jornandis penu. *Gravidare* pro, implere, gravidum reddere, vox est optimi seculi, sed vulgo minus nota. Cicero II. de Natura Deorum:

'Profecto ipsa terra eadem vi continetur et arte naturæ: quippe quæ, gravidata seminibus, omnia pariat et fundat ex sese.' Cæcilius Titthe apud Nonium: 'Per mysteria hic inhoneste gravidavit probro.' Ubi Nonius: *gravidavit*, implevit; nimirum puellam. Hanc locutionem in Floro cum non intelligerent, mutarunt eam in sibi magis familiarem, qui rudibus illis seculis istum scriptorem aut descripserunt, aut ad captum suum interpolarunt. *Græv.* Lipsius quoque in Recitationibus ad Florum scribit, *gravidare* esse purissimam et latinissimam e Latio vocem, nec improbat scripturam quæ est in Jordane. Ea etiam Petronius videtur fuisse usus apud Sarisber. Policr. VIII. 7. de cœna Trimalchionis: 'Porcum sic gravidari posse miraberis.'

Abjectus in profluentem] Ita Severus Albini filios 'cum matre percussit, et in profluentem abjici jussit.' Capitolin. in Albino cap. 9. *Fr.* Plane iisdem verbis de Romulo Quintil. Inst. Or. III. 7.

§. 3 *Amnem repressit*] Ita legendum. Nec quicquam mutamus. Alter tamen Palatinus habet: *agmen repressit:* quod si cui placet, poëticum erit: 'Leni fluit agmine Tybris.' Nimis poëticum, nec probum. *Sal.* Est hoc poëticum, et in historico non ferendum. Tiberinus Deus Tiberis. Claud. Consulatu Olybrii et Probini: 'Accepit sonitus curvis Tiberinus in antris, Ima valle sedens.' Vide sequentia, ubi eleganter describitur. *Græv.* In Floro et alia poëtica sunt, in bono Historico non ferenda. Et possit hoc scribens videri respexisse ad illa Virgilii, a quo non pauca sumsit, quæ Salmas. aduotat e Virg. Æn. II. 781. 'Ubi Lydius arva Inter opima virum leni fluit agmine Tibris.' Itaque non tam ob hanc rationem præfero vulgatam, quam quod ea auctoritate plurimorum et optimorum Mss. et om. ed. nititur.

Ubera admovit] Libri quidam et Jornandini veteres: *uberam movit.* Forte: *uber admovit. Ammovit* pro, *admovit*, ut *ammoveo*, et similia sexcenta passim in scriptis libris. *Sal.* Concinnius veteres, *lupa sequuta vagitum uber admovit.* Id. in Append. Est ex vett. Salmasii hæc lectio, quam ipse probat, nec quisquam improbaverit. Utrum autem vera lupa fuerit Romuli nutrix, dissentiunt auctores. Affirmant Plutarchus Parall. cap. 65. Virgil. Æn. 1, 279. Cic. de Divin. 2, 20. Naso Fast. 3, 53. sed et Plinius 8, 17. et 15, 18. Justinus 43, 2, 6. qui similia recenset de Cyro 1, 4, 10. de Hierone 23, 4. 7. de Habide 44, 4, 5. ad 11. Sic de Ægistho Procop. lib. 2. versu th. pag. 236. de Iamo Pindarus Olymp. Hymn. 6. Contra Livius 1, 4, 8. diversam opinionem refert, quam omnino amplectitur Lactantius lib. 1. cap. 20. in pr. Eutropius 1, 3. in fin. Vide Constant. Manassem rerum 1613. Item Excerpta Nicolai Damasc. apud Valesium. *Fr. Sequuta vagitum* est in plerisque scriptis, et edd. V. nec non Freinshemii et Grævii.

Matremque se gessit] Nazarii Codex: *se cessit. Cessit* pro *gessit.* Jordanes more suo explicavit: 'matrisque gessit officium.' Potuit et simplicius loqui Florus: *matremque gessit.* Sic Statio 'Hominem gerere.' Apuleius: 'Ædilem gerit.' Ita passim optimi auctores loquuti. *Sal.* De permutatione literarum *c* et *g*, vid. etiam ad II. 2. 27.

Arborem] Ficum nempe, sub qua mammas dederat infantibus lupa, quæ 'Ruminalis' est appellata ex argumento, nempe a ruma, ('Rumen' appellat Plin. 15, 18. 'Rumis' est Varroni de Re Rust. 2, 1.) quod est, mamma. Festus et Plutarch. Quæst. Rom. 57. Livius 1, 4, 5. 'Romularem vocatam ferunt,' ut ita a Romulo nomen acceperit. Meminit ejus Tacitus extremo Annali 13. *Fr.*

Regis pastor] Quis non damnet scripturam optimi Nazariani, *gregis pastor?* Eamdem tamen etiam retinet non pessimæ notæ alter Palatinus. Jordanes melius: *regii gregis pastor:* et parum abest, quin ita scribendum esse existimem, cum propter similitudinem duæ illæ voces facile in unam potuerint coalescere. *Sal.* Nazarianus, ut jam olim monuimus in Notis, *gregis pastor.* Jordanes veram lectionem nobis conservavit, quæ est *regii gregis pastor:* quod cunctanter olim ponebamus, nunc dubitatione prorsus carere nobis videtur. Addunt quidam libri nomen pastoris: *Faustulus regis pastor:* quod nescio an Flori sit. Saltem id moris minime habere illum scio, ut multos nominatim designet. Lib. IV. 'Exstat vox ejus ad trepidum gubernatorem:' quidam etiam libri loco illo addunt, *ad gubernatorem Amiclatem.* Paullo infra: 'Spolia insuper opima de rege:' Jordanes habet, *de rege Acrone.* Hæc non Flori sunt, sed aliorum: qui, cum hæc nomina ex historia tenerent, illa huc intruserunt, præter auctoris voluntatem. *Id.* in Append. Nicolao Damasc. in Excerptis a Valesio editis *συοφορβὸς subulcus.* Fr. Reg. Gud. prim. Excerpta Put. Ryck. æque ut Nazar. et Pal. *gregis pastor.* Nimirum altera vox propter affinitatem litterarum intercidit, quam servavit Jornandes, in quo recte scribitur, *regii gregis pastor.* Græv. Voss. Fran. Regg. Toll. Duisb. et V. E. *gregis pastor.* Freculph. Chron. T. I. lib. 3. c. 12. et omnes Edd. post primam *regis pastor.* Hoc probabat Gerardus G. J. F. Vossius, et Perizon. adscripserat eam lectionem publicam esse. Nec tamen inconcinnum est *regii gregis pastor.* Quod non sine ratione præferunt Viri Docti. Justin. I, 4. 'Pastor regii pecoris.' Liv. I, 4. 'Magister regii pecoris.' Histor. Misc. lib. I. 'Regii pastor armenti.' *Faustulus* addunt Nazar. Ryck. Florent. Berol. Duisb. Jord. et o. e. v. Et ita e Ms. suo legit Ernstius ad Valerii Probi Notas cap. XVII. Sed recte Salmasius.

§. 4 *Lavinium*] De quo Livius 1, 3, 3. Ælian. Histor. Anim. 11, 16, 3. ubi pro ἐνίκησε malim legere ἔκτισε. *Fr.*

Contempserat] Non voluerat Lavinii habitare, Albam sedem Lavinio prætulerat, ut Juven. XII. 71. 'Atque novercali sedes prælata Lavino.' *Contemnere* rem aliquam, interdum est, ea non delectari. Vid. Græv. ad hæc Ciceronis de Offic. I. 1. 'Quorum uterque (Aristoteles et Isocrates) suo studio delectatus contemsit alterum.' Cicer. ad Attic. II. 16. 'Te in Arpinati videbimus, et hospitio agresti accipiemus; quoniam maritimum hoc contemsisti.'

Jam bis septima sobole] Primus advertit Camers, hic *bis* desiderari, et mirum in re tam clara, in tanta luce historiæ, ita illud *bis* potuisse intercidere. Nam sane neque duo antiquissimi Jordanis Codices Bibliothecæ Palatinæ, nec Flori calamo exarati libri, nullæ veteres editiones *bis* repræsentant. Quid igitur? putamus olim exaratum fuisse: *Ab his Amulius II. septima prole regnabat.* Hoc est, *bis septima:* quod imperitis librariis imposuit, qui pro eo *jam* substituerunt. Legendum igitur, ut diximus, expuncto illo *jam*, quod ad sententiam nihil facit: *Ab his Amulius bis septima prole regnabat fratre pulso.* Sal. *Jam bis septima*] Ita legit Camers, et probant Viri docti. Salmasius etiam vocem *jam* ejicit. *Fr.* *Ab his Amulius jam bis septima sobole regnabat*] In hanc scripturam conspirant omnes libri veteres Annæi. Ineptam tamen eam esse et non convenientem Latinæ civitati, qui animum advertet Latine doctus, non inficiabitur. Quis enim diceret: *Ab his quarto decimo filio regnat Amulius?* Jam pridem vidi legendum esse *so-*

boles, et hanc lectionem a multis annis probavi hominibus doctissimis. Nunc tamen cum hisce notis conscribendis manum admoveo, deprehendo sic Jornandem recte legisse: *Ab his jam bis septima soboles regnabat;* hoc est: Quartus decimus erat rex, ad quem ab Ænea et Iulo regnum per ordinem successionis descenderat. Quin sic legi apud Jornandem video notasse doctissimum Vinetum, quod miror non advertisse tot viros summæ doctrinæ, qui in hoc edendo et corrigendo scriptore desudarunt. *Græv.* *Jam* est in om. sc. excepto Fran. in quo est *nam VII. sobole:* et ed. Nec facile illud auctoritate Salmasii ejecerim. Nam æque suspicari licet *II.* notam numeri consulto a librariis omissam, quod eam supervacuam et ex ultima litera voculæ *jam* repetitam existimaverint, quam pro *II.* ab iis *jam* substitutum fuisse. *Soboles* haud dubie melius est, quam *sobole:* sed putavi exprimendum, quod erat in om. sc. et ed. Flori. *Bis* recipiendum postulat ipsius rei veritas, etsi ab om. sc. et Vett. edd. abest. V. Ed. hic singularis est: nam habet *septimus sobole.* Non habeo quo id defendam. Quærant alii.

§. 5 *Face*] De translata hujus vocabuli significatione, pro omni vehementi adfectu animi, quo quis incitatur, plura Barth. ad Claudian. Consul. Olybr. et Prob. vs. 155. et de Bell. Get. vs. 499. Freinshem. Ind. Flori: et Interpretes Phædri ad l. 1. Fab. 1. qui et ad Fab. 2. ejusd. lib. docent, 'arcem' sæpe dici pro violenta dominatione, quæ libertatem opprimit. 'Patruum' hic dici pro patruo magno observavit Ferrandus: Add. lib. 2. Explication. in l. 1. D. de Success. Ed. Sic 'Avunculus' pro avunculo magno. Vid. ad Liv. Epit. CXVII.

Fluminis amator] Natale solum summe diligi, omnia auctorum loca clamant; etiam iste, cui addatur Sueton. Calig. 8, 13. Vespas. 2, 3. Cicero de Il. 2. 1. Ammian. 22, 21. f. *Gruterus.* Adde l. 1. §. 15. Si quid in fraud. patroni. Leunclav. Annal. Turc. pag. 405. Albæ relictæ causam addit Plutarch. in Rom. c. 12. quod nimirum neque privati volebant Albæ vivere hi gemelli; neque regno avum maternum exucre. *Fr.*

§. 6 *Uter auspicaretur, et regeret*] Freinshem. in Ind. v. *Auspicari*, supplet Urbem, et *auspicari Urbem* exponit, inchoare. Florus hoc vult, opinor: Uter auspicato, vel suis auspiciis, Urbem conderet, et regnum in ea teneret. Liv. 1. 6. ita: 'Ut Dii, quorum tutelæ ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novæ Urbi daret, qui conditam imperio regeret.' Dionys. Halic. 1. 86. 'Ut Deorum judicio permitterent, utrius colonia dicenda esset, et penes quem futurum esset, imperium.' Ennius ap. Cicer. de Divinat. 1. 48. de eorum contentione: 'Certabant Urbem Romam, Remoramne vocarent. Omnibus cura viris, uter esset Induperator.' Et Ovid. Fast. IV. 811. 'Mœnia ponere utrique Convenit: ambigitur nomina (N. Heins. *mœnia:* sed alteri lectioni aliquid præsidii esse videtur in locis prolatis) ponat uter.' Eadem sunt, 'uter nomen urbi daret,' et 'uter eam auspicato, vel suis auspiciis, conderet.' Nam nomen urbi dabat is, cujus auspiciis ea condita erat. Hoc Florus *auspicari* dicit, satis obscure, et inusitate. Nam aliis *auspicari* est, auspicia petere, auspicio operam dare: quod utrique fecerunt. Nam vulgus pastorum eos æqualiter præfecerat imperio, sed ita, ut de regno pararent inter se, ut apud Diomed. Grammat. Lib. 1. p. 379. scribit Cassius Hemina, cujus verba e Ms. emendat Gronov. Obs. 1. 10. Hoc autem illi judicio Deorum et augurio permiserunt. Ennius l. d. 'Curantes magna cum cura, concupientes Regni, dant ope-

ram simul augurio auspicioque.' Et sic Lipsius in Recitationib. interpretatus fuerat: *Uter auspicaretur*, i. e. uter auspicato conderet, vel condere inciperet, Urbem.

Adhibuere piacula] Aut nos nescimus quid sit 'piaculum,' aut vox *piacula* hoc loco omnino aliena, et vocis hujus τὸ ξένον in hac significatione miramur. Jordanes Episcopus etiam in vetustissimis libris habet: *adhibere placuit Deos.* Quod an repererit in libris, an ipse excogitaverit, divinare non possumus. Livius: 'Ut Dii, in quorum tutela ea loca essent, auguriis legerent, qui novæ urbi nomen daret.' *Sal.* Quid sibi velit hæc vox, eo excusatius ignoro, quod et Stadio et ipsi Salmasio peregrina videtur. De re nulli dubium: sed quod in hujus locum verbum substitui oporteat, ambigitur. Ego, cum in Jordanis libris reperiatur *adhibere placuit Deos*, nec ab ea sententia nec a nostræ lectionis vestigiis longe abiturum puto, si hic rescribatur: *adhibuere oracula.* ''Oracula' enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his Deorum oratio,' secundum Ciceronem in Topicis cap. 20. Eadem igitur loquendi figura fuerit 'adhibere Deos,' et 'adhibere oracula:' hoc est, orationem Deorum. Cur autem Deos adhibuerint, ratio in præcedentibus verbis est, 'Gemini erant,' et ita nulla ætatis prærogativa, quam in tali casu observari gentium juris est. Vide Justin. XXI, 1, 1. et ibi not. Berneggeri. Quanquam enim per naturam simul edi non possunt, sed ut alter antecedat necesse sit: tamen interdum ita ambigua ea res est, 'ut nec judiciali subtilitate exquiri possit,' l. 10. §. 1. de reb. dub. quod multo magis hic accidisse oportet, ubi partu remotis arbitris edito, mater, quæ sola scire poterat, jam pridem vita concesserat. Adde l. si fuerit legatum: in fin. de reb. dub. Joh. Andr. in addit. ad Speculat. l. 4. par. 3. C. de feudis. *Fr.* Nullus dubitavi submovere hanc lectionem nullius sententiæ, jam pridem damnatam a doctis editoribus, quamvis pro illa pugnent Veteres libri. Reposui autem quæ in Jornande Episcopo, qui melioribus usus est codicibus, quam nunc supersunt, reperiuntur verba, *adhibere placuit Deos*, hoc est, Deos consulere per aves. Id enim simpliciter *adhibere* notat eleganter, ut ostendi, et pluribus hanc lectionem asserui olim in notis ad Luciani Solœcistam. *Græv.* Pag. 749. Ed. Amstel. ubi idem placuisse J. F. Gronovio scribit. De significatione verbi *adhibere* aliquem, pro, in consilium adsumere, vid. Victor. ad Cicer. Ep. Famil. XI. 7. Jo. Schultingium, quem ibid. laudat Grævius, ad Senec. Suasor. III. p. 35. qui et ipse scripturam, quæ est in libris Jordanis, probat. Et sic *adhibere Deos* pro, consulere, voluntatem eorum auspiciis exquirere, dicit Liv. XXXVIII. 48. 'In ea civitate, quæ ideo omnibus rebus incipiendis gerendisque Deos adhibet, quia nullius calumniæ subjicit ea, quæ Dii comprobaverunt.' Etsi autem non dubito, quin præferendum sit, quod habet Jordanes; tamen scripturam vulgatam submovendam non putavi; quum et Salmasius, et alii Viri docti, qui idem censebant, eam retinuerint, contenti sententiam dixisse in adnotationibus. Nam quod scribit Grævius ad Lucian. etiam in antiquis Flori Edd. legi *adhibere placuit Deos*, id quale sit non intelligo: nondum enim ullum vel scriptum vel editum Flori exemplar exstare comperi, in quo non legatur *adhibuere piacula.* Heinsius ita multa loca Veterum de hac voce congesserat, ut videatur dubitasse an defendi posset vulgatum.

Aventinum] Ita appellatum ab Aventino rege Albano, ibi sepulto. Livius 1, 3, 12. Dionys. Halicarn. 1, 71. Ab Avente fluvio regionis Sabinæ ita vocatum scribit Varro in

libris de gente P. R. Ab hac historia, loco in summo Aventino, ubi res ea gesta est, 'Remoria' nomen mansit, teste Festo in *Remurinus*. 'Remonium' appellat Plutarch. Romulo cap. 13. et cap. 15. 'Remoniam,' quod alteri præfero. *Fr.* Locus Varronis est apud Servium in Virgil. Æn. VII. 657. ubi et aliæ sententiæ adferuntur.

Hic Palatium occupat] Ita præferunt Codices quos contulit acer et diligens Vinetus, quam lectionem sequuti sunt doctissimi viri. Nec damnamus scriptos Jordanis Codices, Palatinos, et Flori quos inspeximus, qui *Palatinum* habent, aut *Pallatinum:* sed parum interest, utro modo legatur. Livius habet 'Pallatinos.' *Sal.* *Palatinum*] Alii *Palatium.* Quamvis utraque lectio bona sit: tamen illam concinniorem puto, ut ad 'montem' referatur. *Fr.* *Palatium*, si recte vidi, habet solus Fran. ceteri o. s. et e. *Palatinum.* Præter eos, qui scripserunt de Urbe Roma, vid. quæ Docti adnotarunt ad Liv. I. 5, et 6. ad Justin. XLIII. 1. et ad Ælian. V. H. XII. 11.

Prior ille sex vultures] Non respuenda forte vetus lectio, quam nos docuit antiquissimus Jordanis Codex Longobardicis literis scriptus: *Prius ille sex vultures, hic postea, sed duodecim videt.* Habetur etiam *videt* in Nazarii schedis. *Sal.* Vide Plutarch. Romulo: cap. 13. Simile augurium Augusto consuli, urbem intranti, oblatum notat Appian. Civil. III. pag. 586. et Obsequens de prodig. c. 128. *Fr.* Regg. Flor. et Edd. excepta prima, habent *occupavit*, ut congrueret, credo, cum sequente *vidit:* nam ita Jordanes vulgatus, cum sc. et vett. ed. om. non *videt*, quod est in recens editis, et Naz. Salmasii, qui tamen ἐν τῷ κειμένῳ reliquit *vidit.*

§. 7 *Sanguine et præda*] Ita in edd. Salmasii et Gruteri. Sic infr. 4, 12, 17. 'Signis militaribus et disciplina, armis etiam Romanis adsueverat.' Ita Curt. 6, 3, 9. 'Gentes alterius imperio ac nomine assuetas.' *Fr.* Confirmant hanc scripturam Mss. Vineti, aliique om. et V. E. Vid. Gronov. ad Liv. XXXI. 35. Scheffer. ad Justin. XXXI. 1. Schulting. ad Senec. Controv. p. 86.

Pollicebantur] Simile loquendi genus infr. 1, 6, 1. 'Clarum fore visa circa caput flamma promiserat.' *Fr.* Vid. Ind.

§. 8 *Cujus dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu*] Locus hic nos aliquantum exercuit potius quam vexavit. Suspectum sane semper habuimus; jure an injuria nondum videre potuimus. Expositio Vineti acuta quidem, vera non mihi videtur, qui hunc sensum elicit: Cum vallum transilisset Remus, occisum fuisse, incertum an jussu Romuli, an casu, an acuto vallo, in quem se induerit. In vetustis Jordanis Codicibus ita scriptum reperi: *cujus dum angustias increpat, saltu transilivit.* In Longobardico, *et saltu transilivit.* Neutrum probamus, quæ manifesto ita mutilata sunt ab ipso Jordane. Nunc culpa vacare excusam lectionem censemus. Hoc sensu: Cum vallum ut nimis angustum irrideret Remus, ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον, saltu etiam transilivit, simul verbo increpans, et re ipsa demonstrans eas valli angustias, ut etiam levi saltu transiliri possent. Hæc mens verborum illorum, *idque increpat saltu.* Sal. Male Vinetus hunc locum exponit, nec satis accurate maximus Salmasius, qui ait, cum vallum nimis angustum irrideret Remus, ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον, saltu etiam transilivit, simul verbo increpans, et re ipsa demonstrans eas valli angustias, ut etiam levi saltu transiliri possent. Sententiam quidem vidit, sed *increpare* minus recte refert ad verba. Nam *increpare saltu* est, transiliendo ostendere reprehendi hoc vallum et contemni, licet nulla vocula contem-

tum præ se ferens emittatur. Venuste meliores apud scriptores quæ sunt orationis traducuntur ad res seu facta. Sic apud Propert. 'Increpare boves stimulo.' Tibull. Eleg. I. 1. 'Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem, Aut stimulo tardos increpuisse boves.' Sic et objurgamus voce; *ferulis* tamen et *flagris objurgare* dixit Sueton. Cal. 20. 'Eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi, voluissent.' Oth. 2. 'A prima adolescentia prodigus ac procax, adeo ut sæpe flagris objurgaretur a patre.' Et 'Solea rubra objurgare' apud Pers. Sat. v. Aspernamur et laudamus ore et verbis; Tacitus tamen dixit *fremitu aspernari* et *armis laudare*. De Moribus Germ. 11. 'Si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est, armis laudare.' 'Admonere' quoque orationis est; Columella tamen dixit 'Admonere flagello,' et Virgilius 'Admonere telo.' 'Refutare' et 'confutare' est, redarguere verbis. Cic. tamen de Provinciis Consularibus: 'Semper illas nationes nostri Imperatores refutandas potius bello, quam lacessendas, putaverunt.' Idem in Tuscul. Quæst. 'Refutetur ac rejiciatur Philocteteus ille clamor;' id est, reprimatur. Cato apud Gell. VII. 3. 'Ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confutet.' *Græv.*

Prima certe victima fuit] Lucanus, 1, 95. 'Fraterno primi maduerunt sanguine muri.' *Fr.*

Consecravit] Simili figura D. Hieronym. in Epist. ad Rusticum: 'Roma, ut condita est, duos fratres Reges habere non potuit, et parricidio dedicatur.' In hoc dentem stringit Justinianus Const. ad Tribon. §. 10. ibi: 'Romam autem.' *Id.* De nece Remi varie prodiderunt Veteres: Liv. I. 7. Dionys. Halic. I. 87. Plutarch. Romul. Ovid. Fast. IV. 837. et Serv. ad Virg. Æn. VI. 780. Veram causam aperire videtur Cicero de Offic. III. 10. Add. Augustin. de C. D. XV. 5. Ceterum hinc deinde muri sancti habiti sunt, ut est in l. ult. D. de Divis. rer. et §. 10. Inst. eod. quod ab ipso Romulo constitutum indicat Liv. I. 7.

§. 9 *Imaginem Urbis*] Ita apud Appian. de Bell. Punic. legatis Carthaginiensium respondet Censorinus: *Vos, non vestrum solum, putamus esse Carthaginem.* Ita Themistocles ait: 'Patriam municipes esse, non mœnia:' apud Justin. 2, 12, 14. ubi notam Berneggeri vide. Eodem sensu infra 2, 2, 49. Hinc apud Tacitum H. 1, 84, 1. 'Quid? vos pulcherrimam hanc urbem, domibus et tectis, et congestu lapidum stare creditis?' *Fr.* Speciem aliquam Urbis, sed vanam, et sine re, quod incolæ deerant. Liv. XXV. 36. 'Ut tamen aliquam imaginem valli objicerent, clitellas illigatas oneribus circumdabant.' Vid. Heins. ad Vell. II. 30.

Asylum] De Romuli asylo nota res ex Livio 1, 8, 6. Dionysio 2, 15. et aliis. Juvenalis in falsos nobiles fin. Sat. 8. 'Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas Nomen, ab infami gentem deducis asylo.' De abusu autem asylorum per urbes Græcas sub Tiberio vide Tacitum 3, 60, 2. et deinceps: quæ etiam ad nostros mores accommodari possunt, quando passim similis abusus invaluit. In sacris literis 'urbes perfugii' dicuntur asyla, quæ Deus ipse constituit certis quibusdam casibus. Hæc Rittershusius ad Guntheri Ligurinum 3, 386. 'Ex laribus parvis, et primi regis asylo:' fateri enim oportet, per quos profecerimus. Meminerunt hujus asyli, lociqne ubi conditum fuit, præter citatos Victor de Vir. illustr. cap. 2. Virgil. Æn. 8, 342. Lactant. 2, 7. Tacitus H. 3, 71, 6. Suet. Tiber.

37, 7. Plutarch. Rom. cap. 22. Augustinus contr. Crescon. 2, 13. tom. 6. Gotfrid. Histor. Brit. 2, 17. et alii. Simile asylum, sed dispari eventu apud Joseph. 18. cap. ult. *Fr.*

Latini Tuscique pastores] Alter Palatinus: *Tuscorumque pastores.* Quod ne quis ut sincerum et inculpatum arripiat, quod ita etiam habeatur in excusis Jordanis, sciat, optimos et antiquos ejusdem scriptos codices legere, *Latini Tuscique pastores;* nec aliter legendum esse. Variant etiam in sequentibus libri. Quidam ita concipiunt: *Latini Tuscique pastores, etiam transmarini Phryges, &c.* alii quidam: *transmarini*, abjecta voce *etiam.* Sed quis finis futurus esset, si omnia grandia, parva, quæcunque variant, vellem miseris chartis illinere? quod cum interdum facimus, non tam ingenio nostro obsequimur, quam voluntati quorundam, quibus id gratum esse scio, morem gerimus. *Sal.* Ejusdem generis sunt hæc in Voss. 1. *illæ adsuetæ*, et *mira vix omnium;* in Voss. 3. *rex erat unius;* in Fran. *vallum videbat....invidet angustias....atque increpat;* et alia alibi tam in scriptis, quam in editis: quæ, quum scribarum errata esse nemo non videat, prætereunda duxi.

Phryges, Arcades] Similiter Sallust. Catil. c. VI. scribit, primos incolas Romæ fuisse Trojanos et Aborigines: non quod hi tum nominibus illis distinguerentur a Latinis, sed quod gens Latinorum, quæ tum erat, e veteribus Latii incolis, Aboriginibus scil. qui ante Evandri et Æneæ adventum in Italiam Latium tenuerant, Arcadibus et Trojanis mista erat. Nam Aborigines et Phryges annis plus 400. ante Romam conditam abolitis veteribus nominibus in unam gentem nomenque Latinorum coaluerant, ut Cato Origin. I. ap. Serv. ad Virgil. Æn. I. 10. et Liv. I. 2.

Ipse fecit] Ut ingenue fatear, ignoro quid faciam hoc loco, nec enim mendo vacare certo persuasum habeo, mirorque intactum huc usque mansisse. *Fr.* Hic Freinshem. notavit: Ut ingenue fatear, ignoro quid faciam hoc loco, &c. Difficultas non est in sententia totius loci, sed in hac locutione *facere populum;* quam tamen probam esse, et idem significare quod, colligere populum, ut 'Exercitum facere' apud Sallust. olim ostendimus in lectionibus nostris Hesiodeis. Sic 'Corpus facere' est, corpulentum fieri, apud Phædrum; ut contra 'Corpus amittere' apud Cic. in Epist. est, macilentum fieri: et 'Ventrem facere' JCtis dicitur paries cum corrumpitur et incipit prominere. Gen. XII. 5. *Animas facere.* Non est ergo ut hic locus in posterum ulli sit suspectus mendæ. *Græv.* 'Facere,' 'Conficere,' et 'Efficere' infinitis locis ponuntur pro, congregare, colligere, contrahere. Vid. Gebhard. ad Corn. Nep. Hannib. c. X. Gronov. ad Liv. XXIII. 15. et XXIX. 35. Freinsh. ad Flor. III. 19. 6. Sed si *fecit* hic simpliciter est, collegit, nihil aliud dicit Florus, quam, quod jam dixerat, 'congregavit.' Præfero alteram interpretationem, quam Clar. Grævius adfert ad Hesiod. c. 13. Ex variis elementis congregando corpus unum Pop. Rom. condidit: et ipse quasi genuit, ejusque parens fuit. Eaque confirmatur verbis Ennii ibid. ab eo prolatis: 'Tu produxisti nos endo luminis oras, O pater! o genitor! o sanguen Dis oriundum!' *Parentem* et *creatorem* Urbis alii vocant. Liv. I. 16. 'Deum Deo natum, regem parentemque urbis Rom. salvere universi Romulum jubent.' Cic. pro Balb. c. XIII. 'Creator hujus urbis Romulus.' De usu vocis 'corpus' vid. Indic. et Heins. ad Vell. II. 109.

§. 10 *Res erat*] Pulcra huic sententiæ adstruas ex Stobæi titulo de nuptiis; visatur quoque Senecæ Hippolytus vs. 477. *Grut.* Talis populus fuit Es-

senorum, apud Joseph. et Plinium 5, 17. Hoc intuitu multa privilegia matrimoniis concessere legislatores, quæ longius exequi, nostri instituti modus non patitur. Videatur l. I. et ibi Dd. D. solut. matr. *Fr.* Liv. I. 9. 'Penuria mulierum hominis ætatem duratura magnitudo erat.'

Manu capta sunt] Objicit hoc etiam Mithridates apud Sallust. in Epist. ad Arsacem: 'Romanos' nihil 'a principio nisi partum (armis) habere: domum, conjuges, agros, imperium.' Sic Silonicæ virgines choreas ducentes raptæ sunt, Judic. 21, 22. Ne idem auderent Picti in Scotorum filias, horum prudentia vetuit, qui Pictis licet novo populo matrimonia tandem non denegarunt. Joh. Monipen. in compendio Chronic. Scot. Angliæ excuso 1612. *Fr.* 'Matrimonia' pro uxoribus, et 'manum' pro vi dici notum est. De illo Casaub. ad Suet. Aug. c. XL. Bernart. ad Stat. Theb. VI. 759. et Græv. ad Justin. XLI. 2. De hoc Rupert. ad Pompon. de Or. Jur. 1. 2. et Broekhus. ad Propert. III. 16. 5. Sed vocem *capta* suspectam fuisse N. Heinsio ex eo intellexi, quod exemplari suo adscripserat ex Ovid. Art. I. 260. 'Partaque per gladios regna nocente manu:' et e Varrone in fin. lib. IV. de Ling. Lat. 'Præda est ab hostibus capta, quod manu parta.' Si quid mutandum sit, malim *rapta*. Nam quæ voluntate aliorum impetrari non possunt, melius videntur dici illis invitis *rapi*, quam *capi*, aut *pari*; et Livius, Sallustius, Ovidius, Virgilius, aliique quam plurimi in hac re narranda utuntur verbo *rapere*, non *capere*. Justin. XXVIII. 2. 'Qui cum uxores non invenirent, vi publica rapuerint.' Augustin. de C. D. III. 13. 'Ut ea (conjugia) dolo raperent.' Sed et *rapere*, *raptor*, et *raptus* propria sunt in hac re verba, et *rapere* et *capere* sæpe permutantur; v. infr. II. 6. 2. Scio recte dici *manu capere*, ut ap. Sallust. Jug. c. V. 'Pop. Rom. quascumque urbes et agros manu ceperat, regi dono dedit,' et, quem ibi Rivius laudat, Liv. III. 71. 'Quem agrum miles pro virili parte manu cepisset.' Sed hoc fere de vi bellica et hostili, quod aliter 'pugnando capere' dicitur; de quo Ciaccon. ad Sallust. Catil. VII. Verum sc. et ed. om. retinent *capta*.

Præda fuere] Nazarianus: *prædæ fuere*. Palatini: *præda*. Jordanei veteres: *præda fuere. hæc statim causa bellorum:* quæ omnes lectiones tolerari possunt, nec habet altera cur alteri invideat, aut se præferre illi postulet. In quibusdam libris *et* deest: in aliis *hæc*. Ex his variantiis lectionem eruebamus, quam veram putamus esse, *præda fuere, et statim causa bellorum*. Eleganter. *Sal.* Alii *prædæ;* neutrum male. De re auctores supra citati. Numerus raptarum apud Dionys. 2, 31. est 683. apud Plutarch. Rom. cap. 22. Totidem raptas Juba scribit. Valerius Antias 527. alii 30. tantum. Salmasius hoc loco legit: *præda fuere, et statim causa bellorum:* eleganter certe, et ita Gruterus in duobus Palatinis suis legi attestatur. *Fr.* Plane Ryckianus *præda fuere, et statim caussa bellorum*, ut Salmasius volebat. Recte. Excerpta Put. *prædæ fuerunt, et hæc statim caussa bellorum*. Paullo ante Reg.: *Simulatis equestribus*. Quod ferri potest. Sic 'In equestribus sedere' sc. subselliis seu locis. *Græv.* Consentiunt cum Ryck. etiam Toll. Duisb. Fran. Pall. Voss. 1. 2. et V. E. Itaque potui excludere pronomen *hæc*, quod et postrema Edit. Amst. omiserat: etsi nonnihil dubito an potius retinendum sit ex more Flori. V. Freinsh. ad n. 13. hujus cap. et Salm. ad I. 13. 6. *Præda*, an cum Nazar. Voss. 3. et edd. vett. excepta prima, *prædæ* dicas, parum interest. Illa forma Liv. XLIV. 6. Justin. IV. 3. et XXXIV. 2. et Ovidius sæpe. Vid. Passerat. ad Propert. II. 4. Hac Liv. XXIV. 36. Sallust. Jug. LXIX. et Justin. XXXI. 1. Sed

sequutus sum, quod habebant plures libri.

§. 11 *Pulsi fugatique Veientes*] Vir doctus, qui emendat *Pulsi fugatique vi hostes*, non est audiendus. Florus ipse confundit bellum Veiens cum bello quod cum Sabinis, Cæninensibus, Crustumerinis et Antemnatibus gessit Romulus. Cum Fidenatibus et Veientibus multis annis post Sabinum bellum Romanis res fuit, longeque alia fuit hujus belli caussa. Vide Plutarchum in Romulo et Livium libro primo. Sed v. cl. et doctissimus Perizonius existimat, *Veientes* imperitia scribarum irrepsisse; Flori manum fuisse: *Pulsi fugatique Cæninenses: captum ac dirutum est oppidum*, nimirum Cæninensium, sive Cænina, ut Liv. I. 11. 'Fusi igitur primo impetu et clamore hostes: oppidum captum;' scilicet hostium Antemnatium. Vide Animad. Hist. c. 10. ubi pluribus hanc emendationem asserit. *Græv.* Perizonii emendatio congruit cum veritate historiæ. Sed dubitari potest, an Florus hic quoque, ut alibi, ordinem rerum gestarum confuderit. Vir doctus apud Grævium est Behotius, Apophoret. I. 5.

Cæninensium] Jordanis scripti libri. *Geniensium* pro *Ceniensium*, ut videtur. Sed *Cæninenses* quam *Cænienses* dicuntur melius: caput ipsorum *Cænina*, a qua *Cæninenses*. Frustra sunt illi qui apud Solinum reponunt *Cænitenses* ex Stephano, qui Καινίτας vocat. Stephanus: Καινίνη πόλις Σαβίνων, ἡ ἀπὸ Ῥωμύλου ἁλοῦσα· τὸ ἐθνικὸν Καινίται. Legendum Καινινίται. Ut a *Cænina* Latini *Cæninensis* formarunt, ita Græci a Καινίνη Καινινίτης. Igitur illi falsi sunt. *Sal.*

Opima] Vide infr. ad 2. 17, 11. *Fr.* De his videndus est Perizon. Animad. Hist. c. VII.

Feretrio Jovi] De Jove Feretrio lege præter alios Valerium III. 2, 3. et seqq. Plura Propertius IV. 11. *Cam.* Servius ad illud Æn. VI. 859. Lege Numæ prima opima spolia Jovi Feretrio debere suspendi, Secunda Marti (belli præsidi, cujus templum extra urbem), Tertia Quirino (id est, Marti qui præest paci). Sed Plutarchus, qui idem narrat in Marcello cap. 2, quod Servius, et plura addit, obtinuisse ait, ut omnia Jovi Feretrio spolia suspensa credantur. Feretrium autem illic Plutarch. dictum putat vel παρὰ τὸ φέρειν, quod ad eum 'ferantur' hæc spolia, vel a 'feriendo,' quod fulmine 'feriat' Jupiter, et quod 'ferire' sit, manu graviter vulnerare et occidere: unde in bello Romani milites clamant: 'Feri, feri.' Festus in *Feretrius:* 'A 'ferendo,' quod pacem 'ferre' putaretur, ex cujus templo sumebant sceptrum, per quod jurarent, et lapidem silicem, quo fœdus ferirent.' Dionysius II. 34. dici posse ait τροπαιοῦχον, aut σκυλοφόρον, aut quod supra omnem rerum naturam emineat, ὑπερφερέτην. Scaliger hic addit a 'feretro' pompæ triumphalis dictum. Valer. Flaccus: 'Has, precor, exuvias, et opima cadavera nostro Linquite, ait, feretro.' Hæc Passeratius in Propertium. Mihi ea opinio, qua a 'ferendo' deducitur, magis placet. Apud Livium I. 10, 8. 'Hæc tibi rex regia arma fero.' Unde Apuleius de mundo 'Trophæophoron' vocat.' *Fr.*

§. 12 *Sabinis proditæ portæ*] Una saltem porta prodita fuit Sabinis; imo, si credimus Dionys. Halicarnass. portula tantum postica: Φυλάσσουσα τὰς ὑποσχέσεις ἡ Τάρπεια τοῖς μὲν πολεμίοις ἀνέῳξε τὴν συγκειμένην πυλίδα: *Servans promissa Tarpeia hostibus condictam portulam aperuit.* Clare Plutarchus in vita Romuli: Συνθεμένου δὲ τοῦ Τατίου νύκτωρ ἀνοίξασα πύλην μίαν, ἐδέξατο τοὺς Σαβίνους: *Pacta cum Tatio unam noctu reseravit portam, qua recepit Sabinos.* Hinc et Christ. Puteanus conjicit hic legendum esse *Sabinis prodita porta.* Potest tamen omnium librorum lectio defendi et

retineri, quia Dionys. Halicarnass. in eodem loco commemorat portulam quidem illam fuisse apertam, sed non per illam admissos hostes, sed Tarpeiam custodes illius loci excitasse, portamque apertam ostendisse, simulque significasse arcem esse captam, quemque suæ, qua ratione posset, debere saluti consulere: Διαφυγόντων δὲ τούτων, τοὺς μὲν Σαβίνους ἀνεῳγμένας εὑρόντας τὰς πύλας κατασχεῖν τὸ φρουρίον ἔρημον φυλάκων: *His dilapsis Sabinos invenisse portas apertas, occupasse arcem sine custodibus.* Græv. Fortassis Florus loquutus est more Poëtarum, qui *portas* de una porta dicunt. Virg. Æn. VI. 631. 'Adverso fornice portas.' Æn. IX. 308. 'Quos omnis euntis Primorum manus ad portas juvenumque senumque Prosequitur.' Et Æn. XI. 499. 'Portisque ab equo Regina sub ipsis Desiluit.' Hoc Græcorum est. Nam, ut scribit Eustath. in Homer. Il. I. p. 758. Græci veteres πύλας πληθυντικῶς dicebant, non πύλην ἑνικῶς. Vid. Casaub. ad Theophr. Char. c. XV. Sic rursus apud Virgilium more Græco Æn. II. 612. 'Portæ Scææ,' et Stat. Thebaid. VIII. 353. seqq. 'Portæ Ogygiæ,' 'Homoloides,' &c. Nec tamen soli Poëtæ ita loquuntur: nam sic quoque accipi potest in Livio V. 45. et XXV. 15.

Per virginem] Valer. Max. IX. 6. 1. 'Romulo regnante, Sp. Tarpeius arci præerat; cujus filiam virginem aquam sacris petitum extra mœnia egressam.' *Fr.*

Pretium rei, quam] Ita magno consensu vetustiores edd. Aliæ *quæ*; sed illud *quam* pendet adhuc ex præcedente voce *rei*, quæ duplicem hic significationem complectitur; *pretium rei*, hoc est, proditionis, et rem, *quam gerebant in sinistris*; nec exemplo caret, ut una vox duobus sensibus serviat. Vide notam Berneggeri ad Justinum 11, 9, 14. *Id.* Clypei et armillæ non sunt pretium rei, quam gerebant in sinistris, sed ipsa res quam gerebant in sinistris. 'Pretium rei' pro, pretium proditionis nemo dixerit. Imo licet sic loquerentur idonei scriptores, hic tamen esset ineptum. Quid enim poterat dici ineptius: Puella petierat pretium rei, rem quam gerebant in sinistris? Nihil igitur certius emendatione magni Doctoris mei Joannis Frederici Gronovii, quam olim adolescens ab eo accepi, qui sic legebat: *puella pretium rem, quam gerebant in sinistris, petierat.* Est ἐπεξήγησις, quæ sæpe occurrit. Justin. II. 4. 'Hercules post victoriam Menalippen captivam sorori reddidit, et pretium arma reginæ accepit.' Flor. IV. 11. 'Pretium libidinum Romanum imperium petit.' Mox *intra mœnia* firmat quoque Ryckianus. Et statim *oraret ut fœdam* tuetur idem codex. Ceterum armillæ, quibus olim viri utebantur, dicebantur proprie *viriolæ.* Isidor. XIX. 3. 'Armillæ proprie virorum sunt collatæ victoriæ caussa militibus ob armorum virtutem. Unde et quondam 'viriolæ' dicebantur.' Nam Romani quoque utebantur armillis. Hinc inter dona erant militaria, et sæpe legimus in antiquis Inscriptionibus 'Donis donato, torquibus, armillis, phaleris.' *Græv.* Ryck. Fran. et plerique olim editi *pretium rei, quam.* Jord, *pretium rei, quod.* Libri Vineti, Regg. Toll. Duisb. Voss. V. E. et Sab. *pretium rei, quæ.* Et sic ediderunt Gruter. et Salmas. qui, quoniam nullam diversitatem scripturæ memorant, non dubito, quin etiam in suis ita scriptum invenerint. Hoc Vinetus ita exponit: 'Puella petierat illa, quæ gerebant Sabini in sinistris manibus, pretium (appositionem hoc dicunt Grammatici) rei, et proditionis.' Probo illius sententiam, nisi quod malim *rei, id est, proditionis.* Et sic Valer. Max. IX. 6, 1. 'Mercedis nomine pactam, quæ in sinistris manibus gerebant.' Clar. Grævius recte disputat adversus eos, qui legunt *pretium rei, quam.* Sed nondum mihi persuadet cum Grono-

vio Obs. II. 25. legendum esse *pretium rem, quam.* Nam primum om. sc. et ed. habent *rei*, et *quam* e scriptis soli Ryck. et Fran. adversus quem consensum non facile quid tentandum arbitror. Deinde, quod dicit Gronovius, quæque ei unica hujus emendationis est ratio, ideo hic legendum esse *rem*, quod voci *pretium* ea, quæ pretium esse dicitur, in eodem casu adponi debeat, id et in recepta lectione fit, in qua suppressum pronomen, illa, vel, ea, eodem casu ponitur, quo *pretium;* nec quidquam prohibet ea suppleri, ut apud Livium de hac re I. 11. 'Pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent;' et, 'Ex pacto tradendi, quod in sinistris manibus esset,' apud Valer. M. l. d. et sæpe apud omnes alios scriptores Latinos, quibus ellipsis horum pronominum est usitatissima, sequente pronomine *qui*, ut vel ipse Gronovius ostendit ad Liv. XXIII. 15. et XXVI. 33. item Riv. ad Sallust. Jug. CVIII. et Dousa Explic. Plautin. I. 1. Quod autem addit Grævius, puellam non petiisse pretium rei, quam Sabini in sinistris gestabant, id tantum valet adversus eos, qui *pretium rei, quam* legunt. Nec video, quare, quum de proditione sermo præcessit, non æque liceat dicere *pretium rei*, pro, pretium illius rei, vel, pretium proditionis, quam absolute *pretium*, pro, pretium illius rei, vel, pretium proditionis, quorum alterutrum in conjectura Gronovii supplendum est.

Illi ut fidem solverent] *Illi ut fidem solverent, et ulciscerentur:* ita veter. *Sal.* Veteres dicit Pal. 1. et 2. a quibus abest copula, quam solus Naz. habet, teste Grutero. Cum eo consentiunt Ryck. Toll. et fortasse Voss. 3. in quo est *ut de fidem; de* pro *et*, puto, ut sæpe in Ryck. Ceteri scripti et V. E. ut duo Pall. 'Solvere fidem' est, præstare promissum. V. Freinsh. Ind. Ovid. Fast. I. 642. 'Voverat; et voti solverat ante fidem.' Sic 'Fidem exsolvere' Liv. XXIV. 16. et XXVII. 5. Paulus l. 40. pr. D. de contr. emt. 'Et, si ante eam diem non renunciasset, ut venditoris fides soluta esset.' Terent. Andr. IV. 1. 19. 'Tandem inventa est causa, solvisti fidem.' Hoc quidam ibi exponunt, fregisti, non servasti. Et sic quoque Manut. ad Cicer. Fam. X. 21. Magis placet sententia eorum, qui per ironiam dictum putant, nisi ostendatur 'Solvere fidem' etiam apud alios dici pro, frangere, ut 'Rumpere fidem.'

Clypeis obruere] Simile factum de Brenno narrat Plut. Parallel. cap. 15. *Fr.*

§. 13 *Ita admissis ad mœnia hostibus, atrox in ipso aditu pugna*] Hæc est vera et antiqua lectio, inquit Vinetus: nos sane quam vera, possimus dicere: quam antiqua, ille viderit. Veram et antiquam potius illam esse quavis sponsione contenderim, quæ ita habet: *admissis intra mœnia hostibus, atrox in ipso foro pugna.* Hujus scripturæ antiquitatem facile probamus, qui testamur ultro, eam extare in omnium optimo vetustissimoque codice S. Nazarii: ita etiam legitur in antiquissimo Jordanis exemplari Nazariano, et in altero Longobardico ejusdem Jordanis, non minus vetusto. Sed quid ad vetustatem provocamus? Plane hanc lectionem confirmat Livius, qui arcem occupasse dicit hostes, et proinde admissos intra mœnia intelligit. *Sal.* Haud aliter Pal. pr. ac tert. Nam sec. *in ipso aditu:* quemadmodum erat et in Vineti scriptis: sed præter omnem historiam. *Grut. Intra mœnia* Ryck. Toll. Dnisb. et om. ed. *in ipso aditu* Ryck. Regg. Magl. Voss. 2. et 3. *in ipso pugna* Fran. et Voss. 1. *Aditu* tueri conatur Rupertus; sed levi argumento. Ostendit e Liv. I. 12. et Aurel. Vict. c. 11. pugnatum esse eo loco, quo deinde forum Romanum fuit: hoc autem quum tunc non in Urbe, sed extra mœnia illius, fuerit, non posse dici hostes intra mœnia admissos. Verum

Florus non de Urbis, sed arcis, mœnibus loquitur; nec minus recte dicit *in foro* pugnatum esse, quam Liv. XXXIV. 5. XL. 46. et Varro de Ling. Lat. IV. p. 36. Augustin. de C. D. III. 13. 'Admissisque hostibus intra mœnia, in ipso foro scelerata, et nimis atrox pugna commissa est.' Fortassis tamen scripserat Florus *in ipso aditu fori.* Nam non apparet causa, cur vel scribæ vel interpolatores pro *foro, aditu;* vel pro *aditu, foro* substituere voluerint. Livius XXVII. 16. 'Prælium in aditu fori majore impetu quam perseverantia commissum est.'

Jovem oraret, ut fœdam suorum] Auctoribus libris melioribus *ut* delendum: *Jovem oraret, fœdam suorum fugam sisteret:* nec aliter ille Jordanes, quem falso Jornandem vocant. *Sal. Ut* non habet solus Naz. sed Pall. 1. 2. et alii om. sc. et ed. retinent.

Hinc templum et Stator Jupiter] Recte docti homines ita repositum iverunt pro *Hic,* quod erat in veteribus editis. Nazarii schedæ etiam *Hic* præferunt: reliqui omnes *Hinc,* ut et Jordanis libri: neque subintelligendum est *prodiit,* aut aliud simile, ut putabat doctiss. Vinetus. *Sal.* Sic præter Jornandem et lectionem codd. Vin. etiam Palat. 2. ae 3. nec non vetus noster: et recte. *Grut.* Mihi etiam verissima videtur hæc lectio: nam ita solet Noster, cum alicujus rei causam originemve prædixit; ut infr. 1. 13, 6. 'Exinde certamen.' *Fr. Hinc* om. sc. et V. E. Tollius ad vocem *Stator* adnotaverat in V. C. Vaticano legi *templum tibi Stator Jupiter.* Sic quoque Fran. nisi quod pro *stator* habet *statuam.*

Stator] Præter ea, quæ supra dicti scribunt de Jove Statore lege Augustinum Civit. III. cap. 13. item Ovid. in fine VI. Fast. Seneca autem de Ben. lib. IV. cap. 7. sic inquit: "'Stator,' non ut historici tradiderunt, ex eo, quod post votum susceptum acies Rom. fugientium stetit, sed quod stant beneficio ejus omnia, stator stabilitorque est.' Videtur autem legendum: *Hic templum esto:* ut sit voventis Romuli verbum. Hæc Camers: sed conjectura ejus refellitur ex positis nota proxime præcedente. Cæterum eadem de causa templum postea vovit Atilius Cos. Auctor Livius X. 36, 10. *Fr.*

§. 14 *Tandem sævientibus*] Lego in Jordane: *Tandem funeribus intervenere, raptæ laceris comis.* Male hactenus distinctum est. Nos ita: *Tandem sævientibus intervenere raptæ, laceris comis.* Cur Jordani placuerit *sævientibus* in *funeribus* mutare, nescio, nisi ita scriptum invenerit in libris: quod non putem. *Sal.* Exinde mihi in mentem venit suspicari, in Nostro, vel Jordane certe, legendum esse *furentibus,* quod sensui conveniens, nec ab utraque lectione procul distat. Ita apud peritissimum antiquitatis et Latinæ linguæ Barclaium, ubi duellum Poliarchi cum Radirobane depingit: 'Gallorum atque Sardorum agmina intervenere furentibus.' *Fr.* De hoc loco quid sentiat Vir et amicus summus Nic. Heinsius ex ejus ad me datis litteris accipe: Τὸ *sævientibus* Freinshemium, ut video, offendit: atqui refer ad *atrocem pugnam;* Jornandes tamen *funeribus,* nec male. Ita enim et Plutarchus in Romulo. Ante quem locum inspectum mirabar cur Florus, cum agat de *laceris Sabinarum comis,* de lugubri sive scissa illarum veste nihil addat, uti Livius, Naso, Dionysius Halicarn. in eadem narratione; quare suspicio erat scripsisse Florum *in funebribus supervenere, laceris comis.* Sic *lugubria* pro veste lugubri apud Nasonem Met. XI. 'Surge age, da lacrymas lugubriaque indue.' Propert. 'Numquam mater lugubria sumpsi.' *In lugubribus* igitur ut infra cap. 13. hujus libri 'Sicut in trabeis erant,' et apud Val. Flaccum: 'Seu venit in vittis, longa-

que in veste sacerdos.' Ovid. Fast. III. in hac de Sabinis narratione: 'Crinesque resolvunt Mœstaque funerea corpora veste tegunt.' Hæc ὁ πάνυ Græv. *Funeribus* etiam in Freculpho legitur. Freinshemii conjectura jam ante in mentem venerat Lipsio, qui in Recitationibus *sævientibus* pro glossa habebat. Utrumque defendi potest. Virg. Æn. VIII. 700. 'Sævit medio in certamine Mavors.' Flor. II. 18. 6. et alibi. Sic 'Desævire' Id. II. 6. 12. et Virg. Æn. X. 569. Nec minus 'Furere' dicitur de pugnantibus, ut ostendit Græv. ad c. 16. hujus lib. Sed *sævientibus* est in om. sc. et ed. Flori.

Intervenere] Simile quid de Celticis Plutarch. de Virt. Mul. cap. 10. *Fr.*

Novam in urbem hostes demigrarent] Uterque scriptus Jordanis *hoste demigrarent*, quod nescio quid sit: sed legendum *hostes*. Quidam etiam: *novam in urbem hostium demigrarent*: quod placet magis: sed quomodo *hostes* pace jam facta et fœdere percusso? forte legendum: *ut, relictis sedibus suis, in novam urbem sponte demigrarent*. Sed nihil mutandum nunc pronuncio. *Sal.* Illud *hostes* in *sponte* mutari voluit Salmasius propter scriptos Jordanis, in quibus *hoste* legitur. Verum receptam firmant Palatini tres; dictique *hostes*, respectu animorum, quibus advenerant. Claudius apud Tacitum XI. 24, 8. 'Conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives, habuerit.' *Grut.* Ita Cicero pro Corn. Balbo cap. 13. 'Romulus fœdere Sabino docuit etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere.' De hac ipsa haud dubie historia Varro tertio Humanarum: 'Postea cum his una Rempubl. conjuncti et congerminati' (quod tamen nescio quomodo verbo *congermanescere* subjungatur apud Nonium) 'tenuere.' An pro *congerminati* scribendum *congermaniti*? Fr. Salmasius hanc conjecturam in prima Edit. Flori sui A. 1609. proposuerat, quam deinde in secunda repudiavit. Locum Nonii jam ante sic correxerat Colvius ad Apul. II. p. 30. Sed vid. Salmas. ad Solin. p. 22. et 677.

§. 15 *Auctis brevi viribus*] Berol. Doisb. et V. E. *in brevi*. Lucret. II. 77. 'Inque brevi spatio mutantur sæcla animantum.' Suet. Aug. XXII. 'In multo breviore temporis spatio.' Sed usitatius abest præpositio.

Juventus divisa per tribus] Atqui etiam seniores per tribus divisi fuerunt: nam nemo civis esse poterat sine tribu. Merula adnotaverat Florum juventuti tribuere, quod alii toti populo. Sed videtur 'tribus' dicere pro centuriis Equitum. Vid. ad I. 5. 2.

Divisa per tribus, in equis et in armis] Et hic quoque agmen producemus variantium lectionum, quas prætermittere non potuimus. Vinetus adnotat ex suis *dispersa* pro *divisa*. Sed melius *divisa* uterque Palatinus. Iidem libri: *et in equis et armis ad subita bella*. Nazarianæ membranæ: *in equis et armis ut ad subita bella excubaret*. Sic in scriptis Jordanis omnes *subita bella*, non *belli*. Legi in quodam loco apud Tacitum, 'Sobita belli.' Horatius: 'Et acuta belli.' Recte igitur ita reposueris cum lectione Nazariana: *Juventus divisa per tribus in equis et armis, ut ad subita belli excubaret*. Sal. Lectionem Gruteri, quam ex optimo codicum Nazariano habet, recipi placuit. *Fr.* Omnino hic cum Salmasio revocandum ex Nazariano *ut*, nisi velis orationem claudicare; et revocavi sane; sed turpi lapsu librariorum editum est *aut*. In fine capitis clare Ryckianus, ut Palatinus secundos, et editio Stadii et Freinshemii: *Quirinum in cœlo vocari placitum Diis. Ita gentium Roma potiretur*. Recte ita scribi ne dubitari potest a quoquam Latinæ linguæ pe-

rito. Sensus est: Si pro Numine haberent colerentque Quirinum, se conceptis quasi verbis promittere ac jurare Romam Orbis imperium consecuturam. Est solemnis formula qua solebant uti in jurejurando. Plancus ad Ciceronem Epist. x. 9. 'Ita ab imminentibus malis respublica me adjuvante liberetur.' Vide quæ ibi notavi. N. Heinsius ex Nazar. in quo scribitur *placitum desistat gentium*, colligit præterea τὸ *esse* excidisse, legendumque: *placitum Diis esse, ut Roma gentium potiretur.* Paullo ante in codice Regio recte scribitur: *cum concionem haberet apud Capreæ paludem, e conspectu ablatus est*, quod et firmant Putean. Excerpta, ipso probante Puteano. *Græv.* Salmasius in exemplari suo e Naz. adnotarat *in equis et in armis ut.* Gruterus scribit in eo non esse *ut.* Sed habet id Freculph. itidem post *armis*, ut in Naz. et Jord. et eodem loco videtur fuisse in Regg. et Magl. In Fran. est *ut in equis.* In vett. edd. excepta prima, a qua, itidem ut a ceteris scriptis, abest, *ut juventus divisa p. t. In armis* Ryck. et eædem vett. edd. *Subita bella* Pal. 1. 2. Ryck. Toll. Duisb. et om. ed. vet. *Subita belli* Vineti et ceteri scripti. Hinc apparet magnam partem, librorum consentire in hanc scripturam: *juventus divisa per tribus in equis et armis ad subita bella excubaret*; in qua nihil est, quod magnopere aliquem possit offendere. *Ut* a librariis additum esse suspicionem præbere potest, quod non eodem loco in scriptis et edd. ponitur. Nec puto eo omisso hic magis claudicare orationem, quam multis aliis locis optimorum scriptorum, ubi *ut* post verba 'censeo,' 'suadeo,' 'moneo,' 'decerno,' et alia omittitur, cujus ellipseos ubique obvia sunt exempla. Vid. Suet. Cæs. XLI. Cicer. Fam. XVI. 4. Liv. XXXI. 8. ubi itidem sine causa unius Ms. auctoritate intruditur *ut*, et XLII. 28. Idem XXXIV. 59. 'Quintius legationes universas Græciæ Asiæque quum in Senatum introduxisset...postulata et sua et Regis exposuit. Renunciarent civitatibus suis.' Ubi longe insolentior est ellipsis: est enim ac si scripsisset, *decreverunt, censuerunt*, vel *responderunt Patres, ut renunciarent. Subita belli* videtur in editionibus Flori ortum esse e libris Vineti, idque deinde certatim adripuerunt Viri Docti. Confirmat id Vinetus e Tacito, H. v. 13. Agric. XXXVII. et Liv. IV. 27. quibus multa addere in proclivi est. Et ita etiam h. l. legendum censet Gron. ad Liv. VI. 32. Sed aliter videntur dici *subita belli*, aliter *subita bella. Subita belli*, quemadmodum e locis dictis, et aliis, intelligi potest, fere dicuntur, quæ ante bellum prævideri non possunt, sed eo jam suscepto sæpe subito et præter exspectationem incidunt, quæ metuentes cauti duces partem aliquam copiarum a reliquo corpore secernunt, et selectam ac separatam habent, quæ subitis illis occurrat. At Romulus, ex sententia Flori, omnem juventutem semper intentam, et equis armisque instructam esse voluit, ut, si subitum aliquod bellum ingrueret, eam statim ad manum paratam haberet, et opponere hostibus posset. Sic *subitum bellum* apud Justin. XXII. 6. 'Stupor itaque et admiratio omnes incessit, unde tanto imperio tam subitum bellum.' Liv. X. 7. 'Si quod repens bellum oriatur.' Itaque non potui hic discedere a lectione antiqua cum Freinsh. et Grævio, qui ex sententia Salmasii ediderunt, *ut ad subita belli excubaret*: etsi non nego Florum recte potuisse dicere *ad subita bellorum. Juventus in equis et armis* est, equis et armis instructa. Vid. Græv. Lection. Hesiod. c. XVIII. ubi hoc genus loquendi e Græcis et Latinis scriptoribus illustrat. Add. Salmas. ad Trebell Poll. Tyrannos c. XXXII. Heins. ad Valer. Flacc. I. 486. et v. 349. Wass.

ad Sall. Catil. XXXVIII. *Excubare* est, intentum, paratum esse, ut qui excubias agunt: Cicer. Tusc. IV. 17. 'Qui semper animo sic excubat, ut ei nihil improvisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino novum.' Et sic sæpe Idem alibi. Propria significatione Cæsar B. G. VII. 11. 'Duas legiones in armis excubare jubet.'

Patres] Varias hujus appellationis causas afferunt Sallust. Catil. 6. 5. Dionys. II. 8. Plut. Rom. 18. Rutil. Itin. I. 158. Mihi potissima videtur, quam idem Plutarchus adducit, ita dictos, ut admonerentur ipsi, patria cura et sollicitudine complectendos inferiores: plebeii vero, amandos et observandos esse ad instar parentum, quo etiam respectu principem 'patrem patriæ appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.' Seneca de Clem. I. 14. Similem rationem cur Græci Reges ἄνακτας vocaverint reddit Plutarchus Theseo cap. 38. Ab hac appellatione, 'Orba Resp.' Senatu destituta, Justin. XXI. 4, 3. *Pater patriæ;* infr. IV. 12, 66. *Fr.*

Senatus] Cicero in Catone cap. VI. Plutarch. an seni sit gerenda Respub. ita Lacedæm. Senatum Lycurgus 'Gerontes,' Apollo 'Presbygeneas' appellavit. Iidem ibidem. 'Carthaginenses Seniores' leguntur apud Livium XXXIV. 60, 13. Pertinent huc, quæ notantur infr. I. 16, 10. *Id.*

§. 16 *His ita ordinatis, repente*] Nazarii liber: *quum repente concionem haberet*, et uterque Palatinus. Minus tamen, si quid judico, recte. *Sal.*

Ante urbem, apud Capreæ paludem] Sic distinxi. Codex Regius non habet *ante Urbem*. Vid. Ovid. Fast. II. vs. 475. *Græv.*

Apud Capreæ paludem] Meliores et antiquiores libri *Capræ*. Græcis etiam Αἰγὸς λίμνη dicitur: αἴξ enim *capra* est, non *caprea*, sed utrumque tamen, et *Capræ* et *Capreæ paludem* apud veteres dici non ignoramus. Jordanis codices sic habent: *Capræ paludes*, quod non caret ratione. Sic Αἰγὸς ποταμοὶ, cum sit unicus fluvius: Latine *Capræ fluvius*, aut *Capræ fluvii*. Sal. *Capreæ*] Recte: quamvis Palat. 1. et 2. *Capræ:* nam utrumque Latinis in usu; certe utrumque invenitur in Mss. itaque minus recte illi, qui in postremis editionibus Suetonii mutarunt versum illum Tib. XLV. 4. 'Hircum vetulum capreis naturam ligurire:' minus, inquam, recte, qui maluerunt litera minus *capris*. Certe a *caprea* 'capreolus.' *Grut.* *Capræ* Naz. Pal. 1. apud Grut. libri Vincti, Ryck. Voss. 1. 2. et Liv. I. 16. 'Capræ paludes' Festus in *Caprilia*. Vid. Heins. ad Ovid. F. II. 491.

§. 17 *Discerptum*] Romuli interitus varie scribitur. Lege Val. Max. V. 3, 1. Ciceronem de Leg. I. Augustinum Civit. III. 15. Ovid. F. II. 491. Item ceteros. Modum novum ex Aristobuli sententia ponit Plutarchus in Parall. cap. 32. *Cam.* Vide etiam Dionysium II. 57. *Fr.*

Consecrationis speciem] Idem dicit Dionysius dicto loco. *Id.* De tribus defectibus solis, quos in unius Romuli historia memorari hic adnotat Stadius, vid. Petav. de Doctr. Temp. IX. 54. et X. 21. et Scalig. de Emend. Temp. p. 395.

§. 18 *Cui mox Julius Proculus*] Quidam: *cui J. mox P.* Sal. Livius I. 16, 5. Lactantius I. 16. Cicero princ. librorum de Leg. Dionys. II. 64. f. Similia legas apud Suet. Aug. 100. 9. Senec. princ. ἀποκολοκ. Dionem lib. LIX. de morte Drusillæ. Item in supplem. Curt. X. 4, 31. de Hephæstione. Ad quorum imitationem cuivis veterum comparandus Barclaius Arg. lib. III. in narratione Selenissæ de Theocrine: 'Sed non hactenus stetit ludibrium. Quidam miles sive adulatione sive insania motus: Quæ autem illa species, inquit, quam in summa

arce vidi, cum ex castris exciti primum sumus?' et reliqua quæ sequuntur. Quadrat huc Taciti locus H. I. 34. 3. 'Vagus primum et incertus rumor: mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse affirmabant.' *Fr.*

Augustiore forma] Sive mendacium hoc hominis fuit, sive etiam fraus dæmonis. Quemadmodum 'bello Latino diabolus in specie viri majoris et augustioris, quam pro humano habitu, apparens, victoriam Romanis pollicitus est, si se consul pro exercitu devoveret:' Dresserus Millen. IV. pag. 449. *Id.*

Quirinum] Rationes appellationis hujus varias affert Ovidius F. II. 477. sive a genere hastæ, sive a Curibus, sive a Quiritibus, quos tamen ab ipso nomen accepisse putat Justinianus §. 2. Inst. de J. N. G. et C. *Fr.* Vocatus etiam fuit Altellus. Vid. Festum in *Altellus*. Græv. Romani post Sabinos in Urbem receptos 'Quirites' sunt appellati, vel a Curibus Sabinorum, ut Liv. I. 13. et Plutarch. in Romul. et Numa, vel ab incolis Curium, qui jam ante 'Quirites' vocabantur, ut Serv. in Virg. Æn. VII. 710. Romulus deinde post mortem ex more, quo nomina consecratorum mutabantur, 'Quirinus' est dictus, tamquam proprius Quiritium Deus. Plutarch. et Dionys. Halic. II. 63. *In*, quod ante *cœlo* habent Naz. Voss. 2. 3. Fran. et Edd. post veterem, deest in ceteris scriptis, et V. E. Videtur excidisse ob præcedentem *m*.

Placitum Diis ut gentium] Antiqua lectio in Nazariano: *placitum desistat. gentium Roma potiretur*. Alter Palatinus: *placitum diis, ita gentium Roma potiretur*. Omnino legimus, *placitum Diis ita, gentium Roma potiretur*. Sic loquitur Noster paulo supra: 'Jovem oraret, fœdam suorum fugam sisteret:' et ita multis in locis, quæ tædii fugiendi gratia adnotare supersedeo, lector autem diligens non omittet. Sed, quod me pene effugerat monere, habetur et alia lectio in posteriore Pal. *Quirinum cœlo vocari placitum, et ut gentium Roma potiretur;* ut hinc discamus nunquam defuisse, qui ludum putarent bonos auctores corrumpere. *Sal.* Locum ita restituimus ex veteri scriptura: nam quidam portentose habebant *desistat*. In antiquissimo libro *de his ita*, ex quo illud *desistat* manavit. *De hi* pro *Dii* vel *Dei* fere semper in illis optimis schedis scriptum observavimus, quæ est scribendi antiqua valde consuetudo, vitiosa tamen. Sic, ut Quintil. lib. I. notat, apud antiquos tragœdiarum scriptores in veteribus libris inveniebatur *mehæ* pro *meæ*. Ita apud Quintil. legimus: nam vulgo perperam scriptum *mehe* pro *me*. Sic infra vel *vehentes* pro *veientes* in eadem. *Id.* in Append. *Diis. ita*] Distinctionem hanc menti auctoris convenire putamus; *ita*, hoc est, si hoc fecerint, si se pro numine acceperint, sicut apud alios auctores passim occurrit *sic:* ut Ovid. Am. lib. II. eleg. 13. vs. 12. 'Sic tua sacra pius semper Osiris amet.' Idem Epist. 20. vs. 3. 'Discedat sic corpore languor ab isto.' Tibullus II. 5. fin. 'Sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli, Sic tua perpetuo sit tibi casta soror:' et alia complura, quanquam nec illa distinctio *Diis ita plac.* inepta est, et loco Taciti XIII. 56, 1. juvatur: 'Id Diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Rom. maneret, quid darent, quid adimerent, neque alios judices, quam se ipsos, paterentur.' *Fr.* Alterius Pal. scriptura *placitum Diis, ita gentium Roma potiretur* est in Ryck. Toll. Fran. E. V. S. B. et P. *Ut*, non *ita*, Vinetum reperisse in suis libris, apparet ex illius adnotatione, et sic Duisb. Voss. 3. Jord. et ex editis A. et J. Etiam in altero Pal. fuisse *ut* dicit Salmasius: sed Gruterus ex eo descripsit *placitum et omnium gentium R. p.* Voss. 1. et 2. ut Naz. *placitum desistat gentium R. p.* Ita

etiam in Reg. F primum fuerat, sed a secunda manu emendatum *placitum Diis gentium R. p.* In Q *placitum sic gentium R. p.* In his, quod ad distinctionem attinet, non multum est præsidii: nam ea a quibusdam plane abest, in quibusdam non eodem loco ponitur. Distinctionem Salmasii verba *placitum Diis* separantis a præcedentibus *Quirinum in cœlo vocari* adjuvat nonnihil locus Taciti ap. Freinsbem. magis etiam Liv. I. 16. 'Abi, nuncia Romanis, cœlestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit.' Et sic placuisse N. Heinsio, intelligi potest ex iis, quæ ad n. 15. scribit Grævius. Freinshemii interpretatio mihi nonnihil coacta esse videtur, utpote in qua hæc verba respondeant remotioribus, non proxime præcedentibus. Pro *ita* cum Vineto et Heinsio mallem *ut:* sed retinui quod erat in pluribus scriptis et editis, et potest ferri eadem sententia, quæ est in verbis Livii. Itaque e Salmasii et Heinsii mente distinctionem posui. *Poteretur* Naz. et Voss. 2. a manu prima, e quo corrector fecerat *potiretur.* Florus fortassis scripsit *poteretur*, et scribæ pro eo posuerunt *potiretur*, quod usitatius erat. Vid. G. Fabric. ad Terent. Phorm. v. 5. 2. Broekh. ad Propert. II. 7. 64. et Burm. ad Ovid. Met. XIII. 130.

CAP. 2 *De Numa Pompilio*] Numa dictus ἀπὸ τῶν νόμων, hoc est, a legibus, quas instituit. Numæ gesta scribunt Livius, I. 18. et seqq. Plinius (sive Victor est) de Viris illustr. cap. 3. Solin. cap. 2. Ruffus de vita regia, Eutrop. I. 1. Oros. in 2. Agell. Valerius Max. I. 2. 1. Lactantius I. 22. Plinius 13. 13: 14. 12: 18. 29. Augustinus de Civit. Dei, 2. 16: 3. 9: 11. 15: 17. 35: 18. 24. Plura Ovid. Met. 15. fab. 44. Virg. Æn. 6. 808. Plura Plutarch. in vita Numæ, et Dionys. 2. 59. *Cam.*

§. 1 *Curibus*] Sabinarum urbium hæc tunc opulentissima, parvulus vicus Augusti Cæsaris temporibus: Strabo lib. v. *Vinetus.*

§. 2 *Ille sacra*] Omnia quæ ad divinum cultum spectabant Numa in octo partes distribuit. Primi erant 'Curiones,' qui pro curialibus rem divinam faciebant. Secundi 'Flamines,' quos a gestatione pileorum, quæ flammea dicebantur, ita nominabant. Alii a filo derivant, quasi filamines. Tertio erant 'Tribuni Celerum,' qui designari solebant, ut regum ad bellum euntium satellites et custodes. Quarto ordine erant 'Augures,' qui non avium tantum sed signa omnia divinitus missa interpretabantur. Quintus ordo habebat 'Virgines Vestales,' quæ sacri ignis custodes erant. Sexto loco habebantur 'Salii,' qui saltatione et choreis laudabant Deos armorum præsides. Septima in classe 'Feciales' locabantur. Horum officium erat, 1. ut cura gereretur, ne P. R. ulli fœderatæ civitati bellum injustum inferret. 2. Ut cognoscerent, si qui fœderatorum se a Romanis injuriam passos dicerent, an id jure dicerent. 3. Ut imperatorum delicta contra jusjurandum ac fœdera commissa expiarent. Ultimo et octavo numero habebantur 'Pontifices.' Hi, a ponte ligneo seu sublicio reficiendo dicti, de cæremoniis ac religione cognoscebant, leges ferebant de sacris, quæ non erant scripta aut moribus P. R. recepta, sacerdotes examinabant, ipsi nulli judicio multæve erant obnoxii, neque senatui neque populo dictorum factorumque rationes reddebant. Pontanus ex Dionysio II. 65. et seqq. *Fr.*

Augures, Salios, ceteraque sacerdotia] Reperit in suis libris accuratissimus Vinetus *ceterosque per sacerdotia*, et ita in editione sua legi voluit, ex quo cognoscimus quales fuerunt ejus scripti codices, et quam vetusti. Nam ita duo recentiores Palatini legebant, vix ante trecentos annos exarati. Sed vir diligentissimus et doctissimus

lectionem, quam primus in novam editionem intrudebat, debuit explanare, cujus mentem, qualis sit, me non assequi profiteor. Nazarianus, omnium facile optimus ac vetustissimus, habet *ceteraque per sacerdotia*. Unde facio: *ceteraque populi Romani sacerdotia*. Scriptum erat compendio notarum PR. Ex quo fecerunt *per*. Nihil æque tralaticium. *Sal. Ceterosque per sacerdotia*] Ita Mss. Vineti, Gruteri, Salmasii; et defendi potest, ut Floro *per sacerdotia describere* idem sit, quod Tacito 'Per cohortes' 4. H. 66, 2. 'Per manipulos' 2, 78, 4. 'componere.' Salmasius corrigit, *ceteraque fere sacerdotia*. Rutgers. Variar. 1, 18. *ceteraque P. R. sacerd.* quæ lectio maximam speciem habet. *Fr.* Ryck. cum aliis *ceterosque per sacerdotia*. Nihil Salmasii emendatione *ceteraque P. R. sacerdotia* est certius, quam recepi. *Græv.* Non scio quid sit, quod de Vineto scribit Salmasius: nam jam ante cum in om. vet. ed. erat *ceterosque per sacerdotia*, idque e scriptis non solum Pall. et Ryck. verum etiam Berol. Magl. Duisb. Fran. et omnes Voss. habent. Nec convenit Salmasio cum Grutero, qui hic adnotat Vinetum edidisse *ceteraque sacerdotia*, quum in aliis Edd. esset *ceterosque per sacerdotia*: et ita est. Salmasii conjectura apud Freinshemium est in prima Edit. illius, a qua hic discessit. Rutgersius locum Flori non a se sed a P. Scriverio emendatum scribit, probatque emendationem illam, ut haud dubiam, et de suo emendationes aliquot locorum apud alios Scriptores, in quibus sibi non dissimile mendum deprehendisse videbatur, profert. Ceterum, ut ad rem veniamus, cum Salmasio sentit etiam Nic. Heinsius ad Vellei. II. 69. eaque conjectura mihi propemodum certa esse videtur, cum etiam liber Flor. Jordanes, et Freculph. habeant *ceteraque sacerdotia*, quod Vinetum quoque in suis invenisse vix dubito. E Regg. quoque nulla varietas scripturæ ad Edit. Grævii, qui conjecturam Salmasii receperat, adnotata erat. Nec tamen eam in contextum inferre volui, cum propter auctoritatem alior. Mss. et Edd. Vett. tum quod Gerardus et Isaacus Vossii nihil mutandum censebant. Nam ille ita adscripserat: "V. C. *ceterosque per sacerdotia*. Bene. Lactant. 1. 22. de Numa: 'Pontifices, Flamines, Salios, Augures creavit, Deos per familias descripsit.' Vid. tamen, an apud Lactantium legendum sit *et eos* pro *Deos*: ut 'per familias describere' Lactantio idem sit, quod Floro 'per sacerdotia.'" Hic: 'Per 'sacerdotia,' i. e. 'per familias,' ut Lactant. habet.'

Annum quoque] Jordanei veteres *annumque*: iidemque mox legunt *fastos nefastosque*: perperam. *Sal.* De hae re vide Macrobium, 1. 13. Plutarchum in Numa cap. 32. Censor. cap. 20. Solinum cap. 1. Ovid. Fast. 1. vs. 43. *Fr.* 'Describere' est, distribuere, apte disponere, suum cuique adsignare. Liv. XXX. 26. et XXXI. 34. Cicer. de Senect. cap. 11. Vid. Victor. ad Cicer. Fam. XII. 1. Græv. ad Off. I. 34. et Gronov. ad Liv. XXXIV. 56.

§. 3 *Ancilia*] *Ancylia* scribit Plutarch. Numa, cap. 25. et appellata ita adjicit, quoniam ἀγκύλον τὸ σχῆμα ποιοῦσι, *curvam figuram faciunt*. Ceteras derivationes vide ibid. *Fr.*

Palladium] Erat hoc simulacrum Palladis, quod Æneas post excidium Trojæ a Diomede acceptum asportasse in Italiam dicitur. Quem ideo 'penatigerum' vocat Ovidius Met. XV. 450. Quamvis alios, bello Mithridatico a Fimbria repertum, auctores esse Servius ait, ad Æn. II. 166. Aliorum denique alia est ea de re sententia. Vide Dionys. II. 77. Hinc ille nummus, Pontano teste, cum Vestæ templo, in quo Palladium Romæ servabatur. In eodem nummo Æneas fingitur Anchisen patrem humeris

portans, et manu dextra tenens hoc Palladium, sinistra filium Iulum. Hoc vero *Palladium, quod occultum Romani neminique videndum colebant, Heliogabalus in cubiculum suum transtulit:* Herodianus v. 15. quamvis Lamprid. in vita ipsius cap. 6. 'non veram imaginem' abstulisse, 'sed ex pluribus, quæ ad simulacrum illud effictæ erant, aliquam,' asserat. Posset autem Romanis hoc loco objici quod a Strabone lib. vi. Heracleotis: *At multo etiam protervius est ea ab Ilio allata fabulari, quæ scriptores ponunt. Nam et Heracleæ, et Lavinii, et Luceriæ, et Siritide Minerva habetur Iliaca, quasi ab Ilio allata.* Item Athenis. Vide Pollucem lib. viii. cap. 10. *Id.*

Imperii pignora] Fata appellat Plautus Bacch. iv. 9, 29. quibus nempe manentibus salus populi salva esset. Ejusmodi septem recenset Servius ad Æn. vii. 188. et sunt: Acus matris Deum, Quadrigæ fictiles (de quibus Plinius xxviii. 2. et xxxv. 12.) Veiorum, Cineres Orestis, Sceptrum Priami, Velum Ilionæ, Palladium, Ancilia. Sic Cicero pro Sext. cap. 8. supercilium Pisonis 'Reipub. pignus' illudens appellat. *Id.* In antiqua inscriptione dicuntur *arcana Urbis præsidia,* apud Gruterum lxxxiii. 15.

SAECULO. FELICI
PHISIAS. SACERDOS. ISIDI. SALVTARIS
CONSECRATIO.
PONTIFICIS. VOTIS. ANNUANT. DII.
ROMANAE
REIPUB. ARCANAQUE. URBIS.
PRAESIDIA
QUORUM. NVTV. ROMANO. IMPERIO.
REGNA. CESSERE. *Græv.*

'Imperii pignora' eadem vocant Liv. v. 52. et xxvi. 27. Ovid. Fast. iii. 346. 354. 422. et vi. 445. Vid. Barth. ad Claudian. de Bello Get. iv. 103. et Schulting. ad Senec. Controv. i. p. 65. In Servio vulgo vitiose legitur *paria* pro *pignora,* etiam in novissima Edit. doctiss. Masvicii. Hoc quum ei ostendissem, respondit *paria* ibi per errorem relictum esse: nam se voluisse edi *pignora,* idque intelligi posse ex Indice in Servium v. *Pignora.*

Janumque geminum] In Jordane: *bifrontem.* Non longe: *ad simulacrum cœlestium siderum.* Ita habent quantum est scriptorum librorum; quod et viri docti annotare non omiserunt, et diu est quum recipi debuit. Post paulo codices Jordanis habent: *flamma vigilaret;* aut *flamma invigilaret.* Sed *vigilaret* retinemus. *Sal.* Causas hujus consuetudinis docui ex sententia Macrobii, Servii, Silii, Nasonis, in annotationibus nostris in Claudianum de laud. Stilic. ii. 287. Virgil. Æn. vii. 609. Idem scribit Florus infra ii. 3, 1. et iv. 12, 64. Augustin. Civit. iii. 9. *Cam.* Vide etiam Plinium xxxiv. 7. et Servium Æn. i. 298. Item Varron. de lingua Lat. lib. iv. ubi leg. *ut sit aperta.* (sic bene liber vetus Turnebi) *semper, nisi cum bellum sit nusquam. Traditum est memoriæ, Pompilio Rege fuisse opertum &c.* Fr. Salmasii adnotatio eo pertinet, quod in quibusdam Edd. legitur *ad similitudinem,* contra scriptos et optimas Edd. 'Ad simulacrum' Florus rursus iv. 2. 88. et Sueton. Cæs. lxxxiv. 'Ad similitudinem' Fran. et Voss. 3. 'Fidem pacis ac belli' dicit Janum, qui fidem faceret, qui indicaret, pax an bellum esset. Freinsh. in Indic. Liv. i. 19. ita: 'Indicem pacis bellique fecit: apertus, ut in armis esse civitatem; clausus, pacatos circa omnes populos significaret.' *Fides* pro re, quæ fidem facit. Justin. ix. 2. 'Ea primum fides inopiæ Scythicæ fuit.' Liv. xxi. 13. 'Vestra autem causa me, nec ullius alterius loqui, quæ loquor apud vos, vel ea fides sit, quod....' Propert. iv. 6. 60. 'Nostri sanguinis ista fides.' Vid. cl. Burm. ad Ovid. Met. xii. 365.

Focum Vestæ] Vult, sicut sidera æternum lucent, sic debere virginum

assidua cura atque opera hunc ignem. Lipsius de Vesta cap. 8. ubi vide plura, qualia solent apud Lipsium. Plutarch. Rom. c. 41. et Dionys. II. 66. a Romulo institutas Vestales referunt, ut Vestæ sacra curarent, et ignem ejus custodirent. Vide et Ovid. Fast. VI. 248. et seqq. *Fr.* *Focus Vestæ* sæpe apud Veteres. Ovid. Fast. IV. 296. 'Quæque colunt sanctos virginitate focos:' Cicer. de Leg. II. 8. et 12. alii apud Lips. in libro de Vesta.

Flamma vigilaret] Statius Sylv. I. 1, 35. 'An tacita vigilet face Troicus ignis?' *Fr.* *Flama* Toll. Vid. I. 6. 1.

Egeriæ] De Egeria præter alios Ovid. Fast. III. 260. et Met. XV. 482. Augustin. Civit. 7. cap. ult. Lactant. I. 22. Cicero de Legib. I. Acron. II. Epist. Horat. *Cam.* Similia recensent Val. Max. I. 2. Dionys. II. 62. Plutarch. Numa cap. 8. Diodor. I. 94. Nicolaus Damasc. in Excerpt. Vales. pag. 525. Max. Tyrius Dissert. p. 21. *Fr.* De Egeria add. Interpretes Virgil. in Æn. VII. 763. Festus: 'Egeriæ sacrificabant prægnantes, quod eam putabant facile conceptam alvum egerere.' Novissimus Editor emendat *conceptum alvo egerere*. Hoc dudum occuparat Turneb. Advers. III. 5. Idem adnotat in Gloss. Isidori *Egeriam* expoui 'noxiam.' Sed hoc corruptum esse, et apud Isidorum legendum *Egeria, Nixia* docuit Reines. Var. Lect. I. 8.

Barbari] Appellat ita, quod rudes et feroces fuerint, nullis cultioribus institutis mitigati, quod Noster tangit infr. I. 22. 1. et Dionys. III. 26. sive quod ex Barbaris, hoc est, non Græcis orti. Qua ratione Plautus, 'Marcus vertit barbare,' in Prologis Asinariæ, et Trinummi: item Captivis, IV. 2, 114. 'Quid tu per barbaricas urbes juras?' cum Italas nominasset: et in ejusdem Pœnulo III. 2, 21. 'Barbariam' pro Italia accipiunt. Dionysius tamen Romanos a Græcis ortos asserit, IV. 31. hoc argumento, quod literis Græcis scripta columna in Dianæ fano locata fuerit tempore Regis Tullii. Cujus tamen fidem elevat Cæsar de Bell. Gall. VI. 14. qui Græcas literas in usu fuisse scribit apud Gallos, quos tamen nemo facile a Græcis deduxerit. *Fr.*

§. 4 *Ut quod vi et injuria*] Hanc plerorumque, fere dixerim omnium, magnorum imperiorum originem esse facile videbunt res ex vero æstimantes; ut ridicule facere videantur, qui ab aliis majorum suorum acquisita, ab aliis iterum perdita, longo post intervallo, quasi jure repetunt, sicut apud Tacitum VI. 31, 3. Artabanus Parthus 'Veteres Persarum ac Macedonum terminos reposcit:' et apud Herodian. VI. 6. Artaxerxes Persa omnem Asiam, *ceu veterem Persarum possessionem, sibi vindicat.* Sapor etiam apud Marcell. XVII. 10. Constantino Imp. scribit in hæc verba: 'Adusque Strymona flumen, et Macedonicos fines, tenuisse majores meos, antiquitates quoque vestræ testantur: hæc me convenit flagitare.' Adde Nostrum infra II. 8. 7. Bodin. de Repub. Tac. III. 26, 3. Sic de Peruvianis Pietro de Cieca in Chronic. del Peru I. 117. *Id.* Lipsius de Magnit. Rom. IV. 3. ea, quæ apud Sallust. Hist. IV. Mithridates, et apud Tacit. Agr. XXX. Galgacus de injustitia armorum Romanorum dicunt, eo elevat, quod illa ab hostibus profecta sint. Pugnet Lipsius pro Romanis, quantum lubet. Ego eras credo, hodie nihil. Hic certe, saltem de Romulo, et initiis imperii Romani, est ingenua confessio hominis Romani, qui panegyricum magis, quam historiam Pop. Rom. scripsit. Minuc. Fel. Octavio c. 25. 'Quidquid Romani tenent, colunt, possident, audaciæ præda est.' Add. Liv. I. 19.

Religione] Vide de Alcimo Lydorum Rege piissimo simillima apud

Suidam in *Xanthus*. Græv.

Cap. 3 *De Tullo Hostilio*] Vitam Tulli Hostilii regis scribunt Livius, I. 22. Dionys. III. Eutropius, I. 6. Orosius, II. 4. Victor de Vir. illustr. cap. 4. Val. Max. III. 4. 1. VII. 4. 1. IX. 12. 1. Plinius, II. 35. XXVIII. 2. Augustinus Civit. III. 15. Ruffus. Virgil. Æn. VI. 813. *Cam.*

§. 1 *Cui in honorem virtutis*] Scripti Jordanis mendosissime heic legunt: *cujus honorem virtutis*, et supra eadem manu correctum, *ob honorem*. Quod non procedit. *Sal.* Auctor de Vir. illustr. cap. 4. 'Quia bonam operam adversus Sabinos navaverat.' At quomodo potuit, si sub Numa duorum et quadraginta annorum pax fuit? Sed de avo ejus id referunt Livius et Dionysius, ut ita non tam in honorem suæ quam avitæ virtutis regnum accepisse videatur: licet adeptum postea præclare administraverit. *Fr.* Infra III. 5. 10. 'In honorem mortuorum,' et similia III. 20. 8. et IV. 12. 22. Vavassor in libello de Vi et Usu quorumdam verborum putat, veteres abstinuisse his loquendi generibus, 'in honorem,' 'in gratiam,' 'in laudem alicujus facere.' Apud Velleium II. 18. 3. et II. 41. 2. primum inveniri 'in gratiam alicujus facere,' ac deinde eas phrases vulgo cœpisse usurpari. Sed Ciceronem aliosque veterum dixisse 'alicujus causa,' 'alicujus gratia,' 'honoris causa,' 'honoris mei,' 'tui,' 'illius causa,' 'gratiæ causa,' 'in aliquem' denique, seu 'de laudibus alicujus scribere,' aut 'loqui.' In Livio tamen plus semel legitur, quod Velleium primum usurpasse putat Vavassor. Vid. Liv. XXVIII. 39. XXXV. 2. XXXIX. 26. XL. 17.

Regnum ultro datum] Ms. Gud. *regnum ultro datur:* et mox Reg. *præliis utrinque*. Græv.

Hic omnem] An non ante eum Romulus? haud dubie: quomodo ergo hic 'omnem militarem disciplinam condidisse' dicitur? 'Condere' igitur Floro est, perpolire, corrigere, et quasi ex integro restituere, sicut Ecbatana Seleucus 'condidisse' dicitur apud Plin. VI. 14. gentem Tyriorum Alexander apud Justin. XVIII. 4, 1. imperium Carthaginiensium Mago apud eundem, XIX. 1, 1. Ita Augustus 'faciendi' verbo utitur, ubi templum Jovis Feretrii 'fecisse' dicit, in monumento Ancyrano. *Fr.* 'Condere' quidem interdum est, instaurare et reficere collapsa, stabilire, confirmare: et sic Plin. Ep. X. 38. Trajanum 'conditorem disciplinæ militaris firmatoremque' vocat. Vid. Lang. ad Cicer. Off. I. 21. Verum Florus hic non de militiæ, sed disciplinæ militaris, et artis bellandi institutione et auctore agit, et non militiam, sed 'disciplinam militarem artemque bellandi' a Tullo 'conditam' dicit. Nimirum Romulus jam ante instituerat legionem, militumque in ea numerum et conditionem definiverat: Tullus autem deinde, ut auctor est Florus, disciplinam addidit, quo nomine contineri possunt exercitia et tractatio armorum, ordo agminis et aciei, præmia et pœnæ, multaque alia. Ita h. l. exponit Lipsius in Recitationibus. Idque verum esse ostendunt verba, quibus Florus in hac re utitur. Nam hic 'disciplinam militarem, artemque bellandi,' et 'exercitationem juventutis' memorat; at infr. c. 8. Tullum 'militiæ artificem,' non conditorem vocat, et 'auxisse ratione virtutem' dicit. Itaque 'condidit disciplinam militarem' hic nihil aliud est quam, auctor illius fuit, primus eam ordinavit, ut de Magone Justin. XIX. 1. 'Quum primus omnium ordinata disciplina imperium Pœnorum condidisset, viresque civitatis non minus bellandi arte quam virtute firmasset.' Et sic ad h. l. Perizonius.

§. 2 *Exercita juventute*] Contra dictata Grammaticorum, qui 'exercitum'

volunt dici eum, qui cum multis molestiis et ærumnis conflictatus est; 'exercitatum,' qui sibi labore et usu peritiam rei alicujus comparavit. Agrœtius in Grammaticis Vet. Putschii: 'Exercitus laboribus: exercitatus studiis.' Serv. in Virg. Æn. III. 182. ''Exercitatus,' peritus significat.' Sed Scriptores veteres sæpe negligunt hoc præceptum Grammaticorum. Tacit. A. III. 20. 'Impiger manu, exercitus militia.' Vid. Casaub. ad Sueton. Tiber. VI. et cl. Burmann. ad Petron. c. LXXXIII.

Gravem] Potentem, validum, et qui non facile vinci posset; ut qui diu princeps Latii fuisset. Liv. XXXIV. 17. 'Segesticam gravem atque opulentam civitatem vineis et pluteis cepit.' Ovid. Am. I. 9. 19. 'Ille graves urbes, hic duræ limen amicæ Obsidet.' Cæsar B. G. IV. 3. 'Hos quum Suevi multis sæpe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemque civitatis, finibus expellere non potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt, ac multo humiliores infirmioresque reddiderunt.' Ita rectius hic Perizonius, quam Ryckius, qui adscripserat, inquietum, et in vicinorum injurias promtum: quamquam alibi 'gravis' ita recte exponitur. Vid. Græv. ad Justin. XLI. 1.

Principem populum] 'Princeps populus' est, qui reliquis plus potest polletque. Hoc ante Romanos in Italia Albani erant 'diu,' 400. nempe per annos. Servius ad Æn. I. 276. Nam quod Virgilius et Justinus XLIII. 1, 13. 300. duntaxat mentionem faciunt, hoc est, usque urbem conditam. *Fr.* Cincius ap. Festum in *Prætor* scribit Albanos rerum potitos usque ad Tullum Regem. Albam 30. annis post Lavinium conditam esse prodit Dionys. Hal. I. 66. Ab ea condita autem usque ad Numitorem et Amulium 400. annos fluxisse tradit Strabo lib. V. p. 229. Et ex annis singulorum Regum Albanorum ap. Dionys. I. 71. et Eusebium in Chron. colligitur summa plus 400. annorum ab Alba ad Romam conditam: quibus si addantur plus 80. a Romulo ad Tullum, fient non minus 500. et ita Dionys. III. 10. et 23. Idemque III. 31. subtiliter numerum exsequens Albam 500. annos minus 13. stetisse scribit.

§. 3 *Misso in compendium bello*] Senec. de Ira III. 2. 'Nec in pecuniam aut lucrum tota civitas spem suam misit.' Quint. Decl. CCCXIII. 'Oportet esse in civitate et accusatores; alioqui omnia mittuntur ad manus, omnia mittuntur ad ferrum.'

Horatiis Curatiisque] Latini scriptores hos vocant 'Curiatios,' et e Græcis Plutarch. et Zonaras. Dionys. Halic. Κοριάτιους. Vid. Sigon. Defens. Scholior. ad Liv. I. 11. Pro *tergeminis*, quod recentiores Edd. habent, ex omnibus scriptis et Vett. Edd. revocavi *trigeminis*. Et sic de his Liv. I. 24. Colum. III. 8. Gell. I. 10. Festus in v. *Sororium*, Macrob. Sat. I. 5. Aurel. Vict. cap. IV. et Jordanes. In Pandectis Florent. l. 3. 'Si pars heredit. pet.' iidem dicuntur 'tregemini,' quod idem est. Et est discrimen inter 'trigeminus' et 'tergeminus.' Nam 'trigemini' sunt tres uno partu editi, ut locis dict., et apud Colum. II. 1. III. 10. et VII. 6. l. 7. pr. D. de Reb. dub. et l. 137. de V. S. Unde etiam Plautus videtur nomen imposuisse Fabulæ 'Trigeminis,' quam memorat Gell. VII. 9. 'Tergeminus' autem dicitur vel pro triformi, triplici, ut 'Tergemina Hecate' Virgil. Æn. IV. 511. 'Tergeminus Geryon' Id. Æn. VIII. 202. 'Tergemina spolia' Liv. I. 26. et alia, de quibus Bernart. ad Stat. Theb. VI. 289. et Bochart. Hieroz. p. 1. lib. II. cap. 40. Vel pro amplissimo maximoque, ut 'Tergeminum sophos' Martial. III. 46. 'Tergemini honores' Horat. Carm. I. 1. ex sententia Turnebi et aliorum. In Plinio quidem

H. N. VII. 3. *tergemini* dicuntur tres uno partu editi: 'Tergeminos nasci certum est, Horatiorum Curatiorumque exemplo:' et contra *trigeminus* pro triplici ap. Liv. VI. 7. 'Modo trigeminæ victoriæ triplicem triumphum egistis.' Sed hæc mihi suspecta sunt. Nam et Horatius, qui in Fastis Pigh. ad A. U. 300. et 302. 'Tergeminus' vocatur, in Fastis Anonym. Norisianis 'Trigeminus,' et Diod. Sic. lib. XII. p. 293. Τριγέμινος est. Et quod in Epit. Liv. I. editur *Tergeminorum pugna*, id in Ms. inveni *Trigeminorum*.

Utriusque populi fata commissa sunt] Nazarianus et Jordanis Codices *fata permissa sunt*. Haud paulo melius. *Sal.* Jordanei *fata permissa sunt:* nec aliter Flori scripti Codices. Cur magis placuerit *commissa* quam *permissa* illis, qui primi hoc pro illo substituerunt, nescio. Nos antiquam scripturam reponendam censemus, quam non antiquitas modo sed etiam bonitas tuetur. *Id.* in Append. Ita Pal. pr. Gruteri, veteres Salmasii, et Jordanes. Hactenus editi *commissa*. Rem ipsam quod attinet, similia exempla collegit Zwingerus Theatri Histor. vol. VIII. lib. IV. pag. 2113. Quale apud Pausaniam quoque legitur lib. V. in historia Oxyli, et in lib. III. rer. Vienn. Lazii pag. 91. de Friderico II. Duce Austriæ. De talibus quid sentiant JCti, lege apud Ferdin. Vasqu. Quæst. Illustr. lib. I. cap. 40. Ayalam de Jure et Officiis Bellicis lib. I. cap. 3. *Fr.* Add. Casaub. ad Athen. IV. 13. Non video cur tam præcise damnari debeat *commissa*, quod non solum tuentur Pal. 1. 2. Fran. Toll. Duisb. et om. ed. sed etiam ipse Florus IV. 2. 43. 'Philippicis campis Urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt.' Et Livius I. 27. 'Quod tribus militibus fortuna publica commissa fuerit.' Sed tamen secutus sum Freinshemium et Grævium: nam Naz. scripturam etiam Regg. et Voss. confirmant. In Ryck. est $\frac{p}{r}$. *commissa sunt*. Hoc videtur pertinere ad consuetudinem scribarum adnotandi variam lectionem, de qua Salmas. ad n. 8. huj. cap. et infr. ad c. 13. princ.

§. 5 *Sic (rarum) unius manu parta victoria*] Ita in vetustissima editione legi, præstantissimi viri testantur, nisi quod *verum* eam habere dicant pro *rarum*. Scripti libri cum reliquis editionibus *rarum alias decus:* nec temere ullum vidimus scriptum codicem, nisi in hac lectione retinenda consentientem. Vetustiss. etiam Jordanei, *Sic rarum alius decus. Alius* pro *alias:* in hoc auctore ita emendavimus paulo infra, lib. II. nam in Longobardico caractere *u* et *a* confunduntur. Vidimus qui legeret: *Sic (rarum alias) de Curiatiis manu parta victoria est:* absurde et inepte. Legendum: *Sic rarum alias decus, unius manu parta victoria est.* Sal. *Sic (rarum alias decus) unius*] Ita Pall. editiones que pleræque. *Grut.* Gruterus, quem hic designat Salmasius. in Edit. A. 1609. scribit in V. E. esse *sic (rerum) unius manu p. v. e.* Recte; nisi quod *rerum* uncis inclusum non est. *Rarum* sic apud Tac. A. I. 56. 'Nam (rarum illi cœlo) siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat.' Et, 'Rarum etiam inter hostes,' ibid. cap. 39.

Circa se] Liv. I. 26. ita: 'Cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat.' De hoc more circumferendi spolia vid. Perizon. Animadv. Hist. cap. VII. pag. 237.

Citavere leges nefas] Quis de hac lectione dubitet? pro ea tamen portentum est in vetustis Jordanis libris: *ultus est ferro quod auderet leges nefas.* Exerceant se, quibus otium suum id potest concedere. Nobis ut male otiosis esse non licet, ita nec occupationes nostras male collocare. *Sal.* Quanto simplicius in hac re Livius I.

26. ‘ Raptus in jus ad Regem.’ Et Cicer. pro Cluent. et alibi, ‘ Lege citare reum.’ *Leges*, pro eo, quod fit ex legibus. Senec. de Brevit. vit. c. xx. ‘ Lex a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo Senatorem non citat.’ ‘ Nefas’ Perizonius accipiebat pro homine nefario, adscripseratque: Sic ‘ Scelus ’ ap. Terent. ‘ Servitia ’ et ‘ Ergastula ’ Flor. III. 21. 11. Hac significatione etiam ap. Virg. est *nefas*, Æn. II. 585. ‘ Exstinxisse nefas tamen, et sumsisse merentis Laudabor pœnas.’ Freinsh. in Ind. exponit ‘ scelus,’ facinus. Nec male; ut ‘ citare nefas ’ eodem modo dicatur, quo ‘ accusare negligentiam, perfidiam, avaritiam’ alicujus.

Abstulit virtus parricidam] Hæc veterum codicum omnium, quos docti viri viderunt, lectio est. Nullus *parricidium*, quod doctiss. Pontano placebat. Pro *virtus abstulit parricidam* Cicero dixisset ‘ virtus eripuit parricidam.’ Nam rei eleganter dicuntur eripi, qui aut vi aut auctoritate ac gratia potentiorum hominum absolvuntur. Cic. Act. II. in Verr. lib. I. ‘ Non est is reus, non id tempus, non id consilium (metuo ne quid arrogantius apud tales viros videar dicere), ne actor quidem is est, cui reus tam nocens, tam perditus, tam victus, aut occulte surripi aut impune eripi possit.’ Pro quo paulo ante dixerat: ‘ Ex manibus populi Romani eripi. Nam quis hoc non intelligit, istum absolutum Diis hominibusque invitis, tamen ex manibus populi Romani eripi nullo modo posse?’ In eod. lib. ‘ Tum vero quod pronunciatum est, non per Neronem judicatum, sed per Dolabellam ereptum existimabatur :’ hoc est, extortum a Dolabella. Suet. Aug. c. 56. ‘ Cunctari se, ne, si superesset, eriperet legibus reum.’ Cic. pro Cluent. 30. ‘ Condemnatum adducebam, ut ne eripi pecunia quidem posset.’ Quod aliis scriptoribus est ‘ eripere,’ hoc Floro ‘ auferre.’ Virtuti vero non invenuste tribuit, quod alii de gratiosis ac potentibus hominibus dicunt, in quorum gratiam rei damnandi absolvuntur. *Græv.*

Facinus intra gloriam fuit] I. e. minus gloria. Freinsb. in Ind. Non tantum valuit facinus ad eum condemnandum, quam virtus et gloria ad absolvendum. De hoc genere loquendi vid. Manut. ad Cic. Fam. IV. 4. Gronov. Obs. I. 10. et ad Sen. Med. v. 520. et Broekh. ad Propert. III. 7. 2.

§. 6 *Nec diu in fide Albanus*] Ryck. Pal. 2. Fran. Voss. 3. et Edd. Vett. præter primam, intrudunt glossam *mansit Albanus*. Reg. Q, *permansit*. Jord. *Albanus perstat*. Non cogitabant hi correctores Florum delectari conciso genere loquendi. Sic mox, ‘ Spes inde nostris, metus hostibus.’ Add. I. 1. 9. III. 10. 18. IV. 2. 67.

Nam Fidenate bello missi] *Misit in auxilium et fœdere:* ita vetus Naz. et Jordanei: mendose prorsus. *Sal.* Sic apud Tac. III. 41. 3. bello Sacroviriano ‘ quidam Galliarum primores tulere auxilium, quo dissimularent defectionem, magisque in tempore efferrent.’ *Fr.* Idem vitium quod in Naz. et Jord. notat Salm. est in Duisb. et V. Ed. nisi quod in illis est *ex*.

Expectavere fortunam] Callido consilio ducis, quod tamen ipsi in exitium vertit. Apud Liv. XXXI. 32, 4. ‘ Damocritus, Prætor Ætolorum, egregie consultum genti aiebat; nam utrius partis melior fortuna belli esset, ad ejus societatem inclinaturos.’ Claudian. Metii hujus personam pulcre aptavit Gildoni de bell. Gild. vers. 247. ‘ Subsedit fluitante fide,’ &c. Britannorum similis actus, nec ipse impunitus, refertur in Chronico Scotiæ Monipennii, sub rege Fergusia. *Fr.*

§. 7 *Ubi inclinare socios*] Naz. *subincli-*

nare socios: male. Alter Pal. *se socios ad hostem videt:* in altero *etiam se suos.* Sed hæc levicula tædet chartæ mandare. *Sal.* Naz. *subinclinare socios.* Quod damnat Salmasius, sed merito vindicat Nic. Heinsius, præfatus, sic 'Subdiffidere,' et 'Subdifficilis,' et mille talia apud Ciceron. inveniri. 'Subdeficiens quassa adhuc voce' ap. Curt. lib. VII. cap. 7. ap. Paterc. lib. II. 'Subrefectus primo aspectu carissimi sibi capitis,' de Augusto, cum graviter jacenti supervenisset Tiberius. 'Refectum' dicere non potuit, cum morbus iste Augusto esset letalis. 'Subimpetrare' Tacito, 'Subinfluere' Senecæ in Nat. Quæst. 'Subexhibere' Arnobio. Non percepta fuit vis et elegantia illius verbi. *Græv.* Si in Naz. non fuit *ubi*, ut videtur indicare Salm. manifeste vitiosa est illius Cod. scriptura. Nam nemo non videt ultimam literam vocis *callidus* temere repetitam, et capiti seq. vocis *ubi* adjectam, atque inde illud *subinclinare* ortum esse.

Quasi ipse mandasset] Hoc ipsum et similia refert Frontin. Strateg. II. 7. et de Datame Polyænus lib. VII. de hoc Sidon. Apoll. Carm. 2. vs. 288. Vide Nostrum IV. 2, 83. Et Frontin. VI. 16, 4. *Fr.*

§. 8 *Metium Fufetium*] Etsi properamus, ἐν παρόδῳ admonere non pigebit, *Mettum* heic scribi in optimis Naz. membranis, non *Metium;* et in antiquis Jord. Quomodo etiam scribendum censeo ap. Virgil. illo versu: 'Citæ Mettum in diversa quadrigæ Abstulerant:' et in illo Ovidii, a criticis exagitato: 'Sic doluit Mettus, tunc cum, in contraria versus, Ultores habuit proditionis equos.' Nam viri docti, qui persuasum habent a Virgilio et Ovidio propter versum 'Metum' pro, Metium usurpatum fuisse, egregie animi falluntur. 'Metum' dixere veteres, et 'Mettum,' 'Metium' et 'Mettium' pro eodem: ut 'Atius' cum simplici *t*, et cum duplici 'Attius.' 'Metum' dixisse veteres, nihil melius probet, quam ὑποκοριστικὸν 'Metellus.' Nam ut a Marco, Marcellus, sic a Meto, Metellus, Græcis Μέτιος. Ita semper apud illos scriptum reperies. Latinis Scriptoribus 'Metum' aut 'Mettum' frequentius, quam 'Metium,' reperies: quod sciunt satis, qui in pervolutandis membranaceis libris aliquid temporis contriverunt. Vide indicem luculentum Inscript. Gruterianarum. *Sal.* Naz. antiquiss. Vin. Reg. F, Toll. et Voss. 1. 2. habent *Fufetium* quod se etiam in exemplaribus Orosii invenisse testatur Fabric. ad Oros. II. 4. Pal. 1. 2. Duisb. et V. E. *Suffetium*, Reg. Q *Sufet*, quod etiam in cet. libris Vin. videtur fuisse. Ryck. *Fuffet.* Fran. *Fusec.* Voss. 3. *Sussec.* Omnino scribendum est *Fufetius* vel *Fuffetius*, ut ostendunt Vinet. ad h. l. Pier. ad Virg. Æn. VIII. 642. Sigon. ad Liv. I. 23. et in Defens. illius Scholii contra Robortellum. Ceterum ex iis, quæ Pier. l. d. Vinet. et Salmas. ad h. l. scribunt, apparet, quam recte ab Jasitheo, i. e. Raph. Fabretto in Apolog. p. 74. reprehensus fuerit Jac. Gronovius, quod in Epist. I. earum, quibus loca quædam geographica Livii emendat, scripserat *Mettus.* Ovidii distichon, quod e Trist. I. 3. 75. hic laudat Salmasius, pro supposito habet N. Heinsius ad Ovid.

Religatum inter duos currus] Vera est hæc lectio. Cave censeas *currus* heic esse patrii casus: legendum enim: *inter duos currus, funes.* Est varians lectio, quam juxta adscripsit librarius, ut, qui vellet, eligendi potestatem haberet: inde est, quod in quosdam libros propagatum fuit *inter duos currus:* in alios *inter duos funes.* De hoc librariorum et antiquariorum more, parum adhuc observato, dicemus infra idoneo magis loco; cujus rei ignorantia fecit, ut in multis auctorum locis restituendis multi hacte-

nus impune peccaverint, cum id non observassent. Videri fortean posset lectum olim fuisse aut legisse quosdam *religatum inter duos currus fune, pernicibus equis distraxit:* id est, fune religatum inter duos currus. Quam tamen Flori manum fuisse vix censeam. *Sal.*

Pernicibus equis distraxit] Præter nominatos lege Agell. xx. 1. Val. Max. vii. 4. Plutarch. Parall. cap. 7. Claudian. in Gildon. vs. 254. Virg. Æn. viii. 642. *Cam.* Varro primo de vita P. R. 'imperiosius, quam humanius' egisse hoc facto Tullum dicit. Livius certe, i. 28. 15. 'supplicium exempli parum memoris legum humanarum' vocat. Id supplicii Herculem invenisse ferunt. Et ab Hermanarico, Gothorum rege, usurpatum scribit Bonfin. Dec. 1. lib. ii. Nec absimile in Bessum statuit Alex. *Fr.*

§. 9 *Quamvis parentem, æmulam tamen*] Ita, ubi de imperio agitur, omnia alia inferiora sunt, nec parentibus, nec filiis, aliisve sanguine aut necessitudine junctis parcitur, quorum exemplis plenæ omnes historiæ. Vide Tac. xii. 47, 7. Nam, ut ait Liv. i. 42. 2. 'Invidia regni, etiam inter domesticos, omnia infida atque infesta facit.' Nimis quippe alte infixum est animis hominum illud apud Suet. Cæs. xxx. 9. Euripidis: *Nam si violandum est jus, regnandi gratia violandum est.* Fr. Flor. iii. 18. 15. 'Contra matrem ac parentem suam.' De his appellationibus urbium respectu coloniarum ab iis conditarum vid. P. Fab. Semestr. i. 9. et Freinsh. ad Curt. iv. 2. 10. Græci eadem ratione μητέρας dicunt. Scalig. ad Catull. Carm. lxviii. vs. 34.

Ipsumque Populum Romanum transtulisset] Manifesto legendum *Romam.* Perperam in Naz. *Romanum.* Sal.

Rediisse rursus] In Reg. Q male deest *rursus.* De hoc et aliis hujus generis pleonasmis Freinsh. in Ind. v. *Rursus*, Buchner. de Commut. rat. dicendi i. 21. et Erhard. ad Petron. c. 23. Ryck. Duisb. Fran. Jord. et V. Ed. *perisse* et *redisse.* Et sic in aliis verbis plerumque Duisb. Ryck. et V. E.

Cap. 4 *De Anco Marcio*] Quæ compendiose hic narrantur lege ap. Liv. i. 32. Dionys. iii. 49. Eutrop. i. 7. Oros. ii. 4. Victor. de Vir. illustr. cap. 5. Ruffum, Solin. c. 2. Augustin. Civit. iii. 15. Euseb. lib. temporum, Plinium, xxxi. 3. Claudian. in Gild. vs. 109. Virg. Æn. vi. 815. Dictus autem 'Ancus' ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, id est, *a cubito*, quem incurvum habuit; Servius est auctor, Æn. vi. 815. *Cam.* Tales enim 'Ancos' appellari Festus affirmat. Aliter Const. Manasses vs. 1654. Τὴν γὰρ ἀγκύλην τοῦ ποδὸς εἶχε πεπηρωμένην. *Fr.* Idem, quod Festus et Servius, scribit Valerius Antias apud Val. Max. in Fragm. de Nominib. *Marcius* porro, non *Martius*, ut male in quibusdam libris, scribendum esse docet Sigon. ad Liv. i. 32.

§. 1 *Nepos Pompilii, par ingenio*] Addit Jordanes *Nepos Pompilii, ex filia.* Quod quidem verum est. Atque ita scripsit Florus. Idem Jord. pro *pari ingenio* reposuit *pravo ingenio:* id quoque prave. Pari ingenio cum Pompilio avunculo fuisse intelligit, quoad religiones ac cæremonias, quas institutas per Numam, a proximo rege Hostilio bellatore intermissas vel abolitas, restituit. Vide Livium. *Sal.* Ancus semper repetito nomine avi materni 'Numæ nepos' dicitur. Ita præter Florum Livius, Aurel. Victor, Dionys. Hal. Plutarch. et ceteri omnes, qui numquam nomini illius addunt, quo patre, sed qua matre vel avo fuerit ortus, quia ab his omnis ejus nobilitas. Hinc Seneca Epist. cviii. 'Anci pater nullus: Numæ nepos dicitur.' Nullum ejus patrem fuisse dicit, non, quod patrem non habuerit, sed quod ignobilem, si cum matre comparetur, et Historicis non

memoratum; ideoque postea plerisque ignotum. Perizon. Animadv. Hist. c. 3. p. 157. Add. clariss. Noodt. Probab. 1. ult. et Patric. ad Fragm. Ciceronis Tom. III. p. 7. qui frustra se torquet in constituenda lectione Senecæ, l. d. In Salmasii animadversione quædam prave edita esse vel ipsius vel operarum typographicarum culpa cuivis apparet.

Pari ingenio] Nimirum ad pacis artes prompto, quali Numa fuerat: quanquam nec belli gloria caruerit, sed 'cuique superiorum regum belli pacisque et artibus et gloria par' fuerit, teste Livio, I. 35, 1. *Fr.*

§. 2 *Hic igitur et mœnia muro amplexus est*] Libri omnes veteres non agnoscunt istud *hic*. Sed ita hunc locum concipiunt: *Igitur et mœnia muro amplexus est*. Quid sit 'mœnia muro amplecti,' quærere possent illi, qui putarent muros urbis, et mœnia, rem eandem esse. Non ita est. 'Mœnia' heic quælibet ædificia appellat, ut sunt domus et insulæ urbis. Sic probatos auctores hanc vocem passim usurpare alibi ostendemus. Quod ait igitur, mœnia muro amplexum esse Ancum Marcium, de Janiculo id accipiendum, quod muro urbi conjunxit Ancus, ponte quoque sublicio in Tiberi facto. 'Livius I. 38. 'Janiculum quoque adjectum. Id non muro solum, sed etiam ob commoditatem itineris ponte sublicio, tum primum in Tiberi facto, conjungi urbi placuit.' Utrumque heic simul expressit Florus. *Sal. Hic intermœnia* legit Salmas. quid autem muro cinctum, ostendit Livius, I. 33, 8. Dionysius, III. 45. *Pontanus.* Ita e Pontano Freinshemius. Sed hæc erat conjectura Salmasii ad primam Edit. *Hic* est in aliis om. sc. et ed. et Gruterus a solo Naz. abfuisse testatur. 'Mœnia' pro ædificiis urbium sæpe dici ostendit Salm. ad Lamprid. Commod. c. 17. Schulting. ad Sen. Controv. VI. et Gronov. Obs. II. 12. qui putat falli Salmasium hunc locum e Livio interpretantem de Janiculo. Nam Florum dissentire a Livio, qui solum Janiculum ab Anco muro et ponte sublicio Urbi conjunctum dicat: quum Florus velit, Ancum toti Urbi, quæ ad id tempus tantum vallo a Romulo facto, de quo supr. cap. 1. munita fuerat, murum circumdedisse. Sane hanc esse mentem Flori indicat etiam id, quod de Anco scribit c. 8. 'Ut urbem ponte jungeret, muro tueretur.' In quo, si fides est habenda Dionysio Hal. et Livio, vel erravit, vel rem in majus, ut solet, auxit. Nam Dionys. III. 43. et 45. ab Anco tantum Aventinum et Janiculum muro cincta dicit: Livius autem I. 33. solum Janiculum. Servium Tullium deinde septem montes uno muro amplexum auctor est Dionys. IV. 14. de quo Liv. I. 44. 'Aggere, et fossis, et muro circumdat Urbem.'

Interfluentem Urbi] Jord. in veteribus libris *influentem urbi*. Non quidem male, sed non propterea sollicitanda Flori germana lectio. *Sal.* Pontis hujus vestigia hodieque Romæ extare, et incolis *Ponte marmorato* vocari, testatur Paulus Merula, Cosmogr. part. II. lib. IV. c. 22. ubi vide. *Fr.* Fuit hic pons ille sublicius, de quo plura Donat. de Urbe Roma III. 21. et Nardin. Rom. Vet. VIII. 3. Freinshemius in Ind. conjungit, interfluentem Urbi. Potius jungenda sunt, commisit Urbi. Curt. IV. 2. 16. 'Jacienda moles erat, quæ Urbem continenti committeret.' V. Freinsh. Ind. Curt. *Interfluere* autem accusativo jungitur. Liv. XXVII. 29. 'Fretum, quod Naupactum et Patras interfluit.' Et Curt. III. 1. 'Media illa tempestate mœnia interfluebat Marsyas.' Fran. *Tiberim*, quod etiam videtur invenisse scriba Cod. Ryck. in quo est *Tiberini*. Salmasius e Naz. adnotarat *ponti*. Pro *commisit* Flor. habet *conjunxit*, et cum Ryck. Duisb. Fran. Voss. et om. ed. *veluti*.

Ostiamque] Plurima huc facientia lege apud Merulam, d. lib. IV. cap. 19. et 21. *Fr.* Add. Cluver. Ital. Ant. III. 3. Bergicr. de publ. et militarib. Imper. Rom. viis IV. 49. n. 8. 9. 10. et quos ibi laudat Henniuius.

CAP. 5 *De Tarquinio Prisco*] Historiam regis hujus scribunt Livius, I. 35. Dionysius III. 59. Eutrop. I. 7. Oros. II. 4. Victor cap. 6. de Vir. illustr. Valer. Maxim. I. 4. 1. et III. 4. 2. Plinius, XXXIII. 1. et III. 35. 12. Lactant. II. 1. Augustin. Civit. III. 15. Lege Ruffum, Solinum, Eusebium. *Cam.* Vide etiam Suidam. *Fr.* Hunc 'Priscum' demum cœpisse vocari, postquam alter Tarquinius regnum nactus est, adnotat Sigon. ad Liv. I. 34.

§. 1 *Quamvis transmarinæ originis*] Patre nimirum Demarato Corinthio natus, cujus præter citatos Strabo lib. V. et VIII. meminit. *Fr.*

Regnum ultro petens accipit] 'Ultro petens' addit, quod hic primus ambitiose petiit regnum, contra quam Reges superiores, quibus id propter opinionem virtutis ultro delatum fuerat, Liv. I. 35. Idem de priscis aliarum gentium Regibus scribit Justin. I. 1.

Græcum ingenium] Ita plane Seneca Nat. Q. II. 50. 1. 'Attalus noster, egregius vir, qui Etruscorum disciplinam Græca subtilitate miscuerat.' Sic intell. Tacitus de Livia, V. 1. 5. 'Cum artibus mariti, simulatione filii, bene composita.' *Fr.* Add. Ind. Græci ingenio, eloquentia, et artibus, quæ ad animi cultum pertinent, aliis nationibus antecellebant, et in omni ratione vitæ elegantiores et cultiores, sed magnitudine animi, gravitate, et virtute bellica Italis inferiores habebantur. Ovidius: 'Græcia facundum, sed male forte, genus.' Sallust. Orat. de Rep. ordin. II. 'Unius tamen M. Catonis ingenium versutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur hæc disciplina Græcorum. Sed virtus, vigilantia, labor apud Græcos nulla sunt.' Hirtius de Bell. Alex. c. 15. 'Rhodiis navibus præerat Euphranor, animi magnitudine ac virtute magis cum nostris hominibus, quam cum Græcis, comparandus.' Add. Horat. Art. P. vs. 323. Cic. pro Flacc. c. 4. et de Græcarum ac Romanarum artium discrimine Virg. Æn. VI. 848. et seqq.

§. 2 *Centuriis tribus auxit*] Exercuit hic locus viros eruditos. Difficultas inde oritur, quomodo Florus potuerit tradere Tarquinium tribus voluisse augere, cum alii rerum Romanarum scriptores testentur equitum centurias seu equestrem ordinem illum constituisse augere. Sic sane Livius lib. I. c. 36. sic Aurelius Victor aliique. Flori tamen sententiam, quod observavit doctiss. Rupertus, tuetur Dionysius Hal. lib. III. Οὗτος ὁ Νέβιος βουλομένῳ ποτὲ τῷ Ταρκυνίῳ τρεῖς φυλὰς ἑτέρας ἀποδεῖξαι ἐκ τῶν ὑπ' αὐτοῦ πρότερον κατειλεγμένων ἱππέων, καὶ ποιῆσαι τὰς ἐπιθέτους φυλὰς ἑαυτοῦ τε καὶ τῶν ἰδίων ἑταίρων ἐπωνύμους, μόνος ἀντεῖπε κατὰ τὸ καρτερὸν, οὐκ ἐῶν κινεῖν τῶν ὑπὸ Ῥωμύλου κατασταθέντων οὐδέν: *Idem Nevius, cum aliquando Tarquinius ad veteres tribus e delectis a se recens equitibus tres novas addere vellet, easque tribus additas a se atque ab amicis suis denominare, solus fortiter contradixit, non sinens hic quidquam eorum, quæ a Romulo instituta essent, mutari.* Sed hic etiam locus obscurus est, et intellectu difficilis, non minus ac Flori. Dicit is quidem Tarquinium voluisse tribus augere, sed non nisi equitibus, quos ex civibus reliquis modo elegerat. Hoc qui intelligi potest ab historiæ Romanæ non imperito, qui novit, quid illo tempore et sequentibus quoque tribus fuerint? Non potest sane vocabulum φυλαὶ sive tribus accipi in ea significatione hoc loco, qua Dionysius libro II. usus est, et mille aliis locis, cum dicit populum

divisisse Romulum in tres majores partes, quas dixerit 'tribus;' tribum autem Græcorum lingua dici φυλὴν, τριττύα. Quis autem credat ex solis equitibus recens a se delectis voluisse novas tribus conscribere Tarquinium? Hoc tamen Dionysius dicit. Sed nullæ equestres fuerunt tribus, sed ex omnibus civibus conficiebantur tribus: ex singula tribu vero centuriam equitum excerpserat Romulus. Nulla unquam tribus fuit nec illarum quas Romulus instituit, nec quæ postea iis accesserunt, quæ ex solis equitibus fuerit conflata. Nulla autem alia ratio hunc nodum expediendi patet, quam si dicamus, Florum et Dionysium ipsas centurias equitum, quæ retinuerunt antiqua trium Romulearum tribuum nomina, dixisse tribus. Romulus cum omnem populum descripsisset in tres tribus, unam dixit Lucerum, alteram Ramnetum, tertiam Titiensium. Ex singula tribu selegit centuriam equitum, quibus solis adhæserunt sequenti tempestate nomina tribuum, ut equitum centuriæ dicerentur Luceres, Titienses, Ramnenses. Hinc a Dionysio et Floro equestres centuriæ tribus dictæ sint, quod vetus tribuum nomen illis solis postea fuit datum, quamvis perquam dure. Nam qui accurate loquetur, et qui norit quæ fuerint tributa Romanorum comitia, qui in exercitu tribuni militum, qui decuriones, qui alarum præfecti, nunquam centurias equestres tribus dixerit. Tribunus enim dicebatur proprie qui tribui præerat; hinc in copiis tribunus legionis, qui legioni, hoc est, peditibus, decurio vero, qui turmæ, et præfectus, qui alæ, præerat. Singuli cives adscripti erant alicui tribui. Ipsi equites quoque singuli suam tribum habebant. Nunquam vero tribum conficiebant soli equites. Isidorus tamen sic quoque loquitur Orig. lib. IX. cap. 3. 'Turma triginta equites sunt, Romani enim equites in una tribu trecenti:' hoc est, in unaquaque Titiensium, Ramnensium, Lucerum centuria erant tempore Romuli trecenti equites. Nam Romulus primo legerat ex qualibet tribu centum Celeres, seu equites, postea T. Tatio in urbem recepto centurias illas auxit, ut singulæ essent trecentorum, et totus equestris ordo nongentorum capitum, ut ex Livio emendato et Dionysio Hal. pluribus asserit contra dissentientes Gronovius Obs. III. 25. Hi sunt illi trecenti, quos in una tribu, hoc est, centuria fuisse Isidorus scribit. Tarquinius non tribus, hoc est, tres centurias nongentorum capitum a Romulo institutas auxit, ut decreverat facere, et illis centuriis de se et suis amicis nomina imponere; sed, relicto trium veterum centuriarum numero, capita duplicavit, ut singulæ centuriæ essent sexcentorum hominum. Hoc est quod Florus dicit Tarquinium tribus auxisse centuriis; singulam enim tribum, hoc est, centuriam Romuleam, auxit trecentorum hominum numero, quia Navius numerum tribuum augeri prohibuerat. Hoc tamen Tarquinius effecit, ut, quia novas equitum centurias, quibus nova nomina imponeret, conscribere non licebat, adjecti a se prioribus centuriis dicerentur secundi Titienses, Luceres, Ramnes, sicuti a Romulo creati dicebantur primi Titienses, Luceres, Ramnes, ut ex Festo viri docti pridem ostenderunt. Ceterum ut Florus aliique abusi sunt voce 'tribus' pro centuria equitum, quia prima illa tribuum appellatio postea apud solas equestres centurias remansit, sic vice versa propter eandem rationem Livius I. 13. tradit centurias tres equitum a Romulo conscriptas dictas fuisse Ramnenses, Titienses, Luceres: 'Eodem tempore,' inquit, 'et centuriæ tres equitum conscriptæ sunt, Ramnenses ab Romulo, ab Tito Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis et ori-

ginis caussa incerta est;' cum tamen non solum ex aliis scriptoribus gravissimis, sed ex ipso Livio constet, a Romulo non centurias equitum, sed tres partes populi, in quas illum discreverat, quæ tribus nominabantur, dictas esse Ramnenses, Titienses, Luceres. Nam lib. x. cap. 6. ostendit olim tres tantum augures fuisse Romæ, singulam tribum unum habuisse: 'Ut tres,' ait, 'antiquæ tribus Ramnes, Titienses, Luceres, suum quæque augurem habeant.' Non possunt hic antiquæ tribus de centuriis illis equitum intelligi, de quibus in primo libro loquitur; alioqui soli equites habuissent augures; sed de toto populo in tres tribus illas distincto, quarum singulæ suus fuerit augur. Hæc prolixius, quam harum notularum ratio fert, sum executus, quoniam viros eruditissimos hic cespitasse video, et non ita pridem cum homine perdocto de hoc loco mihi fuerit contendendum. *Græv.* Pighius in Annal. ad A. U. 138. putat locum mutilum, et ita supplendum esse, *et equites centuriis tribus auxit.* Sed hoc recte refellit Rupertus ad h. l. Perizonius ad oram libri sui adnotaverat, *centurias viribus auxit*, et huic conjecturæ confirmandæ adscripserat loca Flori I. 1. 15. et III. 18. 3. Liv. I. 30. 'Et ut omnium ordinum viribus aliquid ex novo populo adjiceretur, equitum decem turmas ex Albanis legit:' et II. 1. 'Quo plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret.' Si locus non est corruptus, non video, quomodo vox 'tribus' aliter exponi possit, quam ex sententia Grævii, quæ etiam eo confirmari potest, quod Florus supr. I. 1. 15. eam videtur usurpasse pro centuriis equitum. Et tamen sic quoque alia ratione parum accurate loquitur. Nam ita verba, 'centuriis tribus' i. e. centurias equitum 'auxit,' nihil aliud significare possunt quam, ad veteres centurias novas adjecit, atque adeo numerum centuriarum auxit. Sed hoc negat Livius; verum manente numero trium centuriarum, numero capitum in singulis centuriis alterum tantum a Tarquinio adjectum scribit. Itaque hoc quoque interpretatione benigna ita molliendum erit, ut dicamus, Florum 300. illos equites singulis centuriis, in quibus jam ante totidem erant, a Tarquinio additos ob id quoque centurias vocare, quod numero hominum pares erant veteribus, et quod, etsi numerus trium centuriarum sub Tarquinio mansit, tamen veteres et novi cujusque centuriæ appellationibus inter se distincti fuerunt; ita ut, qui a Prisco adjecti erant, pro novis prope centuriis haberi possent. Nam veteres tum dicti sunt *Ramnenses, Tatienses, Luceres primi;* novi autem, *Ramnenses, Tatienses, Luceres secundi.* Nec tamen eæ tum sex erant centuriæ, ut non satis caute scribit Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 3. sed tres tantum, nominibus, quibus dixi, inter se distinctæ, quas Servius Tullius deinde sex fecit. Liv. I. 43. et Gronov. Obs. III. 25. Ceterum non adsequor, quod scribit Grævius, tempore Romuli in singulis centuriis 300. equites, et universum ordinem equestrem 900. capitum fuisse. Si hoc verum est, quomodo cum Gronovio probare potest scripturam librorum Livii I. 36. in quibus est, post duplicatum a Prisco numerum capitum in singulis centuriis equitum, in universum 1800. equites fuisse? Nam certe vel in hoc numero error est, vel in eo, quem sub Romulo ponit Grævius. Primus post Romulum numerum equitum auxit Tullus Hostilius Alba diruta, adjectis ad singulas centurias 100. capitibus, Liv. I. 30. Ita, si jam ante 900. erant, tum facti sunt 1200. Hunc numerum porro si duplicavit Priscus, consequens est ab eo non 1800. sed 2400. equites factos, quod non puto a quoquam proditum esse. Est quidem in universum hæc res

admodum perplexa, multisque difficultatibus involuta, et quod Grævius de numero equitum sub Romulo tradit, quodammodo defendi potest e Dionys. Hal. II. 16. et 37. Sed hic numerus non convenit cum eo, quem ipse post Sigonium et Gronovium e Mss. ap. Liv. I. 36. probat.

Quamvis Attius Navius] Repone veterem lectionem, quam hactenus neminem ex suis libris deprompsisse mirum: *Hic et senatus majestatem ampliavit, et centuriis tribus auxit, quatenus Attius Navius numerum augeri prohibebat:* ita non solum libri scripti Flori, sed et Jordanis. Quæ verissima est lectio. Grammatici distinguunt inter 'quatinus' et 'quatenus.' Hoc loco *quatenus* in propria significatione sumitur: ut enim 'hactenus' pro, huc usque, sic 'quatenus,' quo usque. Tarquinius Priscus Senatum numero ampliavit, et centuriis tribus auxit: quam ad summam numerum augeri prohibebat Attius Navius. Hoc est, *quatenus*, quam ad summam, quo usque. *Sal.* Ita veteres, testibus Grut. et Salmasio, melius quam impressi. Sensus est: Rex tribus cum numero augere prohiberetur, conjectis in easdem centuriis auxit. *Fr.* Non intelligo, quæ Salmasius scribit de voce *quatenus*. Festus: 'Quatenus' significat, qua fine, ut 'hactenus' hac fine; at 'quatinus' quoniam.' Sed utrumque sine discrimine in veteribus libris scribitur pro, quoniam. Vid. Freinsh. in Ind. et Vorst. ad Val. M. IX. 11. princ.

Prohiberet summus augurio] Scribitur in optimo Nazariano: *prohibebatur summus augurio.* Unde proclive est facere: *prohibebat vir summus augurio.* Hic autem Attius Navius augur *Nevius* et *Nævius* cognominatur in antiquis Codd. Flori ac Jordanis. Quam scripturam et alibi in vetustis monumentis reperi. *Sal.* Ryck. Duisb. Voss. 2. 3. et v. e. *Actius*, Fran. *Ancus*, tres Pall. teste Grutero, et ceteri sc. *Attius. Nævius* tres Pall. *Nevius* Ryck. Duisb. et v. e. *Manius* Fran. ceteri *Navius.* Apud alios non minus variant hæc nomina. Vid. Vinet. ad h. l. Sylburg. ad Dionys. Hal. III. 70. Gronov. ad Liv. I. 36. et Salm. ad Solin. p. 800. *Vir* in scriptis Flori non inveni. Sed erat tamen in eo, quem laudat Pighius ad A. U. 138. Et Perizonius eam vocem libro suo adscripserat. Et sic infr. II. 17. 13. 'Summus vir astu et audacia.' Itaque retinui cum Freinsh. et Grævio: eo magis, quod ita in vetustiss. libris Jordanis esse hic scripserat Salmasius, et quod in Frec. est.

§. 3 *Quem Rex*] Referunt hoc Dionys. 3. 94. Livius, I. 36. Cic. de Divin. I. 17. Lactant. 2. 7. *Fr.* Vid. etiam Salm. ad Solin. l. d.

§. 4 *Atqui hoc, inquit, agitabam*] Ita libri omnes Flori. In antiquis Jordanis scriptum est *agituram.* Quod charactere Longobardico idem valet, quod *agitaram.* In iisdem libris mox legitur: *Et augur, potes, inquit; et secuit.* Sal. Vulgata lectio est in om. sc. et ed. præterquam in Reg. Q, a quo abest *ergo:* et Fran. *cogitabam.*

Inde Romanis] 'Romani nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspiciis domi habent,' Cicero de Divin. I. 43. Claudius etiam 'ad senatum retulit, super collegio aruspicum, ne vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret,' Tacit. XI. 15. 1. *Fr.*

§. 5 *Tusciæ*] Servius in Virg. Æn. X. 164. 'Tuscia dicere non debemus, quia nequaquam in idoneis auctoribus legitur: sed aut Etruria dicenda est, aut Lydia, aut Tyrrhenia:' quæ descripsit e Servio, ut multa alia, Isidorus Orig. XIV. 4. Vossius de Vit. Serm. I. 7. scribit, 'Tusciam' demum cœpisse dici a scriptoribus, qui longe post Plinium vixerunt, sed neque apud ullum Augusto æqualem, neque apud Plinium et eo aliquanto

juniores legi. Et tamen Florus non ita multo junior Plinio fuit. Quin et apud Varr. de Ling. Lat. lib. IV. p. 10. legitur, 'utrumque, ut Etruria, et Tuscia.' Sed hoc Scaliger emendat *Tusci:* nam gentem sine discrimine 'Etruscos' et 'Tuscos' dicunt optimi Scriptores.

§. 6 *Inde*] Cum Tarquinius Etruscos novennali bello fregisset, hac conditione pacem petentibus dedit, ut se civitatum suarum principem agnoscerent. Illi facile assensi, principatus insignia, quibus suos reges ornare consueverant, ad eum detulerunt. Dionysius, 3. 84. etiam Strabo lib. v. testatur, ornatum triumphalem ac consularem, omniumque adeo magistratuum, a Tarquiniis Romam fuisse translatum. Alludit huc Silius Ital. 8. 486. 'Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces,' &c. et Sall. Cat. 51. 33. 'Insignia Magistratuum ab Tuscis pleraque sumsimus.' Adde Symmach. Epist. 3. 5. *Fr.* Ryck. Flor. Ber. Duisb. Voss. 3. et v. e. *et inde.* Suspicor ab ultima syllaba vocis præcedentis ortum.

Fasces] Magistratuum majorum insignia: quæ ipsis a lictoribus præferebantur. His autem Romulum etiam usum esse Livius I. 8. 2. innuit. Eusebius autem in Olymp. 26. Tullum Hostilium, primum Rom. regum fasces habuisse asserit. Vid. Æl. Hist. Animal. 10. 22. 2. *Fr.* De fascibus et lictoribus vid. quæ collegit Lips. Elect. I. 23.

Trabeæ] Togæ species ex purpura et cocco: Isidorus lib. XIX. qui Romulo tribuit inventionem ejus; et firmat Plinius, 9. 39. Cedrenus etiam Numam trabea usum scribit, non longe a principio. *Fr.* De his Ferrar. de Re Vest. Part. 1. lib. II. c. 5. et Analect. c. 5. et Ruben. de Re Vest. I. 5.

Curules] Sellas curules ab Etruscis sumptas etiam Livius auctor est, 1, 8, 4. Macrob. Saturn. 1. 6. Tullum regem accepisse sellam curulem ab Etruscis memorat. Erat autem sella, qua sedebant Coss., Prætores, Ædilium etiam qui inde Curules dicebantur. 'Senatores enim, qui curulem magistratum gessissent, Bassus dicit, curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur:' Agell. 3. 18. Erat autem ea sella eburnea, indeque Horatio *curule ebur* dicitur, in Epist. 1. 6. 52. 'Cuilibet hic fasces dabit, eripietque curule Importunus ebur.' *Fr.* Voss. in Etymol.

Anuli] De anulorum origine, et apud Romanos usu, prolixe Plinius, 33. 1. ubi vide. Atque ab initio quidem, triumphantes tantum, nec hi quidem omnes, aureis utebantur: mox ad equestrem ordinem devenere: vilioribus gestare non licebat. Ap. Liv. 23. 12. 2. bello Punico secundo, dicit Mago: 'Neminem nisi equitem, atque eorum ipsorum primores, id gerere insigne.' Adeoque proprium hoc equitibus ornamentum erat, ut, qui a Principe anulo aureo donarentur, in ordinem equestrem allecti intelligerentur. Ita apud Tac. H. 1. 13. 2. H. 2. 57. 5. Suet. Cæs. 37. 2. et 39. 5. et Vitell. 12. 4. Hinc Auctor infra, 2. 6, 18. 'Dignitatem equestrem' pro anulis posuit. Inferioribus seculis ingenuitatis nota erat; quique jus illud adepti erant, ut ingenui habebantur: l. 4. cum seqq. de jur. aureor. anulor. l. 10. §. 3. de, in jus voc. *Fr.* Ad ea, quæ de ordine equestri a Principibus per donationem aureorum anulorum conlato scribit Freinsh. add. Dion. lib. XLVIII. pag. 385. et Cujac. Obs. VII. 14. Petrus Faber tamen Semestr. II. 6. putat, libertinos anulis aureis donatos ea re quidem equestrem dignitatem accepisse, sed Equites nec fuisse, nec dici potuisse, nisi simul equo publico donati fuissent. De hoc nonnihil dubito; sed non est de ea re hic quærendi locus.

Phaleræ] Ornamenta equorum, quibus inter dona militaria equites ob rem bene gestam donabantnr. Exempla apud Livium, 39, 31, 14. Plin. 7. 28. ubi Siccium phaleris viginti quinque donatum scribit. *Fr.* De phaleris multa lexicographi Græci. Lipsius de Milit. Rom. v. 17. existimat, etiam peditum dona, nec equorum solum, sed etiam hominum ornamenta fuisse, et ad pectus demissas pependisse. Contra Cerda ad Virg. Æn. IX. 359. tantum equorum, non equitum ornamenta, nec umquam ad pectus demissas fuisse disputat: sed satis confuse. Nam mox peditibus quoque phaleras concedit, sed tantum in galea. Verum, si etiam peditum ornamenta fuerunt, sive in galea, sive alibi, cur non et equitum esse potuerunt? Illud quidem manifeste falsum est, quod addit, quoties fit mentio phalerarum apud Scriptores veteres, signate etiam equorum mentionem fieri: quum mox ipse proferat loca Suet. Aug. XXV. et Dionys. Hal. X. 37. ubi tantum phalerarum, nulla equorum mentio est. Et phaleras promiscue tribui militibus e Tac. H. I. 57. et II. 89. hic adnotarat Perizonius. Add. Flor. III. 10. 26. et Scheff. de Torquib. cap. 11. Poëtis etiam quævis ornamenta dici 'phaleras' observat Barth. ad Claud. Epig. XXXIV.

Paludamenta] Hæc appellatio ad varias vestes extenditur; propria tamen est imperatoriæ: ita Noster infra, 4, 2, 59. Græci φοινικίδα sæpius appellant. Appianus de Bell. Parth. de Crasso: Οὐχ, ὥσπερ ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίων στρατηγοῖς, ἐν φοινικίδι προελθεῖν, et totidem verbis Plutarch. Crasso cap. 42. *Non, ut moris erat Romanis imperatoribus, purpurata processisse.* Et de Antonio idem App. eodem lib. Ἐν τῇ στρατηγίδι φοινικίδι προελθὼν, *In imperatoria purpura prodiit.* Tali enim colore differebant a sagis vulgaribus. Inde 'coccum Imperatoris dicatum paludamentis' ait Plinius, 22, 2. Effigiem Imperatoris paludati exhibet Lipsius de Mil. Roman. fine libri 2. *Fr.* Add. Ferrar. II. 3. 4. et seqq. Quod autem vulgo Docti tradunt, etiam militum gregariorum saga 'paludamenta' fuisse vocata, et lictores 'paludatos' cum Imperatoribus ad bellum profectos, id refellit J. F. Gronov. ad Liv. XLI. 10.

Prætexta] Hac etiam Hostilium usum scribit Plinius, 9, 39. Livius, I. 8, 4. nihil aliud quam ab Hetruscis sumptam. Macrobius originem prætextarum Romæ etiam ab Hostilio arcessit, Saturn. I. 6. Ita dicta est, quod purpura esset prætexta, qualem etiam Justiniani adhuc tempore in usu fuisse, colligere liceat ex §. 26. Instit. de rerum divis. Porro prætextis utebantur 'in magistratibus, in sacerdotiis: liberi quoque eorum prætextis purpura togis [unde 'prætextati' vocabantur, ut infra, 2, 6, 10.] utebantur: magistratibus in coloniis, municipiisque, Romæ infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ habendæ jus permissum erat.' Livius, 34, 7, 2. *Fr.* De prætexta Ferrar. I. 2. 1. et Ruben. I. 1.

Inde quod] Vetus editio habet: *Indeque aureo curru quatuor equis triumphatur.* Quod non bene probat vir eruditus, etsi adstipulantes habeat hæc lectio ambo Palatinos. Rectius Naz. *Inde quod.* Paulo post ad finem hujus capitis veteres addunt libri *sumpta sunt.* Idque rejiciendum non est. *Togæ pictæ, tunicæque palmatæ, omnia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas eminet, sumpta sunt.* Nempe inde sumpta sunt. *Sal. Indeque* recte rejicit Salmasius. *Sumpta sunt* addunt Jord. Freculph. et Ald. Vulgata scriptura, quam in aliis om. sc. et ed. inveni, magis convenit stilo Flori.

Aureo curru] Triumphus honor est omnium amplissimus, qui vel Senatus

auctoritate, vel populi jussu, deferri poterat illi, qui imperium acceptum cum virtute feliciter gesserat. Hujus vero apparatus pompaque variata fuit pro Reipublicæ incremento, et rerum gestarum magnitudine. Quis primum apud Rom. triumphum egerit, inter scriptores non convenit. Plutarchus Romul. cap. 27, contendit a Romulo institutum pedestrem, sed a Prisco curulem, hoc est, ut *aureo curru, quatuorque equis* triumpharetur, eumque triumphum alii a Poplicola consule primum esse actum opinantur. De jure, ordine, pompa triumphi, per opportunitatem latius dicturi sumus: cui nunc ista non satisfaciunt, is consulat Val. Max. Cic. in Pisonem, Zonaram Annal. lib. II. Livium, Dionys. Plutarch. Agell. Dionem, et, hujus seculi scriptorem elegantiss. diligentissimumque, Carol. Sigonium, de jure civium Romanorum. *Stadius.* Ad equos quod attinet, albos fuisse patet ex Livio, 5, 28, 1. Ovid. de Ponto, 2, 8, 49. Claud. de bell. Get. vs. 127. Plinio Paneg. 22, 1. Propert. 4, 1. 12. Sidon. Carm. 2. vs. 375. et Apul. in Apologia 'Peram et baculum Philosophis exprobrares? igitur et triumphantibus quadrigas albas,' &c. Pompeius Magnus elephantis junctis triumphavit, teste Plinio, 8. 2. *Fr.* Camillum primum Veiis captis albis equis triumphasse indicant Plutarch. in Camill. et Liv. v. 23. et 28. Propertius IV. 1. 32. scribens: 'Quatuor hinc albos Romulus egit equos,' prolepsi utitur, quæ ad veritatem historiæ exigi non debet; cujusmodi multa sunt in poëtis. Nam ne quadrigis quidem, quod scribit Dionys. Hal. II. 34. multo minus quadrigis albis Romulum in Urbem invectum concedit Plutarch. Romul. Eadem prolepsis est ap. Ov. qui F. VI. 724. Postumium Tubertum, cujus triumphus incidit in A. U. 322. aliquot annis ante triumphum Camilli niveis equis triumphasse scribit. Vid. hic Rupert. et Panvin. de Triumpho cap. 1. ibique Mader.

Togæ pictæ] Nempe acu, ex invento Phrygum, indice Plin. 8, 48. unde etiam 'Phrygiæ vestes' nomen habent. De Sybaritæ cujusdam Alcisthenis veste picta vide Aristot. de Admirab. Audit. cap. 83. *Fr.*

Tunicæque palmatæ] Has plerique pro iisdem habent cum togis pictis: ego autem nusquam legisse memini 'togam palmatam,' sed semper 'tunicam,' nisi apud Isidorum lib. XIX. quem pro idoneo auctore, hoc in loco, non agnosco. Constat autem, quid inter togam et tunicam intersit: imo simul gestari solitas indicat Livius 30. 15, 8. Præterea ab auctoribus ita curiose non distinguerentur, si eædem forent. *Id.* Præter Isidorum etiam Martialem VII. 1. Schol. Juv. ad Sat. X. 35. et Tertull. de Coron. Mil. c. 13. 'Togam palmatam,' et contra, Livium I. 20. 'Tunicam pictam' dixisse observarunt Manut. III. Quæsit. per Epist. 1. et Ferrar. de Re Vest. I. 2. 8. apud quos, nec non ap. Ruben. de Re Vest. I. 21. et Salm. ad Vopisc. Carin. c. 20. plura de his legi possunt.

Quibus imperii dignitas] Vide Val. Max. 2. 2, 7. Liv. I, 8. 2. 5, 41. 7: 45, 29, 2. *Fr.*

CAP. 6 *De Servio Tullio*] De Rege isto scribunt Livius 41. Dionysius, 4. 1. et plerique supra citati. *Fr.*

§. 1 *Nec obscuritas*] Hæc enim ad altiora nitenti impedimento esse solet: quo consilio Astyages, cum sibi a nepote metueret, filiæ ex gente obscura tum temporis Persarum maritum dedit, 'ne paterna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret,' Justin. I. 4, 4. Quicquid enim virtute, quicquid industria profeceris, quia tamen in æquo videre, fortunæ modum exigent. 'Ægerrime enim,' ait Dio lib. XLI. 'homines tolerant sibi a suis æqualibus anteiri.' Cic. de Orat. 2. 52. 'Invident homines maxime paribus aut

inferioribus: cum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse.' *Id.*

Matre serva] Et inde Servio nomen. Dionysius dicto loco. Consentit cum Nostro Juvenalis, Sat. 8. 259. Festus in voce: 'Servorum dies festus erat;' præter alios, quibus accedere non vult Livius, I. 39, 10. Leviter in hac re corrigendus Seneca, Epit. controvers. 3. 9. 'Servo natum regem habuimus:' imo *Serva*. Id. Varie tradunt de hac re veteres. Vid. Plutarch. Quæst. Rom. XCVIII. et de fort. Rom. prope fin. Horat. Sat. I. 6. 8. M. Sen. Controv. VI. et XXI. L. Sen. Ep. CVIII. et Claudii Imp. Orat. ap. Gruter. Inscript. p. 511. 'Creare' de matre dicit, ut Virg. Æn. X. 551. et Catull. Carm. LXI. et 'Creatrix' pro matre rursus Virg. Æn. VI. 367. et VIII. 534. ubi vid. Cerd. et cl. Burm. ad Phædr. F. I. 6.

Liberaliter] Ut ingenuum scil. non ut servum. Cic. de Orat. I. 31. 'Quod est homine ingenuo liberaliterque educato dignum.' Terent. And. V. 4. 8. 'Adolescentulos libere eductos.' Senec. de Benef. III. 21. 'Indulsit' dominus servo, 'liberalius educavit, artes, quibus erudiuntur ingenui, tradidit; beneficium est.' Columel. de R. R. I. 3. 'Cum in primis cunabulis, si modo liberis parentibus est oriundus, audisse potuerit, Μηδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.' Ita ap. Terent. et alios, 'liberalis' et 'liberalitas' sæpe de his, quæ liberis hominibus conveniunt ac digna sunt. De Servio Liv. I. 39. 'Inde puerum liberum loco cœptum haberi, erudirique artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur.' *Educarat* Ryck. Reg. F, Ber. Magl. Duisb. Fran. et v. e. Hoc quoque voluisse videntur scribæ Voss. I. 2. in quibus est *educararat*. Deinde *flama* Flor. Ber. Duisb. vid. I. 2. 3.

Visa circa caput flamma] Historiam hanc scribunt Plinius 2. 110. et 36. 27. Cic. de Divin. I. 53. Val. Max. I. 6, 1. Liv. I. 39, 1. Dionys. 4. 2. Auctor de Vir. illust. cap. 7. Servius ad Æn. 2. 682. ubi Virgilius simile de Iulo fingit, quod repetit Claudianus in IV. consulatu Honorii, vs. 192. et Sid. Apoll. Carm. 2. vs. 115. et ad Masinissam trahit Silius lib. 16. vs. 118. Accidit hoc et L. Marcio duci exercituum Coruelianorum, de quo Liv. 25. 39, 17. Val. M. I. 6. 2. Item Salvidieno, de quo Dio lib. 48. pag. 430. Philosophi notant ex naturalibus causis oriri posse hunc ignem. Apud Photium certe Bibliothecæ cod. 242. plura recenset Damascius, quæ partim prodigiis, partim naturalibus accenseas. Ipsum locum adscribere fas sit: 'Severi equus, quo multum usus est, tractatus, scintillas e corpore multas et magnas ejecit, donec portentum hoc ad consularem dignitatem Romæ eum evexit. Sed et Tiberio asinus, ut refert Plutarchus Chæronensis, adhuc juveni, et in Rhodo operam danti eloquentiæ, imperium eodem eventu præsignificavit. Sed et Balemerin, unum ex Attilæ aulicis, de suo corpore jecisse scintillas. Hic Balemeris pater fuit Theodorici ejus, qui nunc summum totius Italiæ imperium tenet. Dicit autem etiam de se ipso Auctor, ut etiam mihi, cum et induor et exuor, etsi id raro admodum accidit, accidit tamen, ut scintillæ ingentes exiliant, aliquando cum sonitu, interdum etiam flammæ integræ vestem illustrent, nihil tamen exurant; et se ignorare, quo portentum hoc tenderet. Vidisse se ait et hominem quendam e capite scintillas evibrantem, et flammam, cum vellet, a capite asperiore veste attrito excitantem.' Adde Wolf. Rer. memorab. p. 507. Ceterum sicut ignis clarus est et splendidus, ita claros etiam futuros, quibus eveniunt, talia prodigia ostendunt. Eadem ratione ap. Dionys. 5. 45. Romani, cum pila arsissent, λαμπρὰν νίκην, *splendidam victoriam*, sibi portendi in-

terpretantur. Ita 'illustria Macedonum castra Dario visa fulgorem Alexandro portendere' augurantur quidam; ap. Curt. 3. 3. 6. *Fr.* Plura hujusmodi apud Cerd. ad Virg. Barth. ad Claud. Freinsh. ad Curt. ll. dd. et Casaub. ad Suet. Tib. XIV.

§. 2 *Quasi ad tempus*] Naz. Flori *quasi tempus:* deest *in.* Nam supra notavimus, legendum heic esse *quasi in tempus:* quæ vera est lectio. *Sal.* Dum nempe Rex convalesceret, cujus mors tegebatur, donec Servio confirmaretur potestas. Ita calliditate Liviæ, 'simul excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem, fama eadem tulit:' Tac. I. 5, 9. Simile exemplum Calligenis, qui mortem Philippi celavit, dum Perseus regnum invaderet, ap. Liv. 40. 56, 11. et Mechemetis Bassæ, qui Solymanni obitum pressit, donec ad Selimum de occupando regno literas daret, apud Thuan. Hist. lib. 38. Adde Justin. 30. 2, 6. Leunclav. Aun. Turc. 74. Scalig. Canon. Isag. p. 142. et p. 151. Thuan. Hist. lib. 114. in morte Amuratis, Descript. regni Congi, cap. 2. in fine. *Fr. In tempus* emendarat Salmas. ad procem. n. 1. Et sic Tac. A. VI. 11. 'In tempus deligebatur, qui jus redderet,' et A. XIV. 20. 'Scena in tempus structa.' Sed *ad tempus* est in om. sc. et ed. ac Frec. idque retinuerat Grævius in Ed. A. 1680. pro quo deinde Amstelodami dederunt *in tempus.* Retinui vulgatum. Ita Cic. de Amic. VIII. Offic. II. 16. Suet. Cæs. X. Liv. XXIII. 48. et alii.

Regnum dolo partum] Ita de Tarquinio Auctor de Viris illustr. cap. 6. 'Regnum intercepit, et ita administravit, quasi jure adeptus fuisset.' Assuevit enim alias fieri, ut respondeant initiis regnorum reliqua. Vide infra not. ad I. 7, 1. *Fr.* De phrasi 'agere regnum' Idem in Ind. et Gronov. Obs. IV. 14. ad Sen. Œd. v. 264. et ad Tac. A. I. 44. Sic 'bellum agere' pro, gerere, administrare, Id. Obs. II. 3. et Heins. ad Ov. Tr. II. 230.

§. 3 *Censum*] Vide latius Dionys. 4. 19. et Liv. I. 42, 6. *Fr.* 'Census' hic pro tabulis, in quibus scribebantur quæ quisque profitebatur et in censum deferebat. 'Volumina censualia' et 'Libri censuales' dicuntur in utroque Codice Legum Rom. Itaque pro 'referre in censum' paullo post dicit, 'referre in tabulas.' Gronov. de Pecun. Vet. IV. 1. Eadem significatione Cic. pro Arch. c. V. 'Census nostros requiris scilicet,' ut ibi adnotat Passerat. Et pro Cœl. c. XXXII. 'Qui ædes sacras, qui censum populi Rom. qui memoriam publicam suis manibus incendit.' De discrimine inter 'deferre' et 'referre in censum' Gronov. ib.

Curiis atque collegiis] Jord. *decuriis atque collegiis:* prave. *Sal.* Si sic Florus scripsit, vehementer hallucinatus est. Nam curias instituit Romulus. Nec decuriæ, quas ex Jornande nonnulli exsculpunt, hic locum habent. Sed tamen huic loco mendum insidere inde licet colligere. Nihil certius emendatione Gronovii τοῦ πάνυ, qui legendum monuit: *centuriis atque collegiis.* Nam populum Romanum secundum possessionum et facultatum modum descripsit Servius in quinque classes; singulas classes vero in suas centurias. Hinc comitia centuriata, in quibus populus centuriatim conveniebat, et suffragia ferebat, quæ Servius Tullius instituit, sicuti curiata comitia, in quibus curiatim populus suffragia ferebat, suam debent originem Romulo. Istis comitiis omnia ad rempublicam pertinentia ad Servii usque tempora gerebantur. Sed post Serv. Tullium quicquid majoris erat momenti in comitiis centuriatis peragebatur. In his creabantur omnes magistratus majores, ferebantur leges, pax bellumve jubebatur. Itaque non potuit Florus præterire tam celebrem populi divisio-

nem in centurias, a quibus centuriata comitia. *Græv.* Frec. et Ald. *decuriis*, ut Jord. Et sic laudat Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 12. Sed vellem docuisset, quæ fuerint illæ decuriæ, in quas Servius populum distribuit. Fortassis scriptura Jordanis ita defendi queat, si quis dicat, decurias esse partes collegiorum, quæ hic memorat Florus. Nam collegia et corpora artificum in decurias divisa fuisse, patet ex Inscriptt. vet. et libris Legum Rom. Vid. Indic. Inscription. Gruteri et Reinesii c. VIII. et IX. Reines. ad Insc. I. 19. et Cujac. Obs. XXI. 10. Sed non constat, an tam antiqua fuerit divisio illa collegiorum in decurias, quarum nullam mentionem circa hæc tempora invenio. Rupertus putat retinendum esse *curiis*, et Florum longe diversos auctores sequutum ab iis, qui curias a Romulo institutas prodiderunt. Sed hoc ideo improbabile est, quod nullus in hac re memoratur dissensus veterum. Nec puto Florum 'curias' et 'centurias' pro iisdem habuisse, quo in errore Epitomatorem Festi versari adnotat Scaliger ad Festum in *Centuriata*. Omnino adsentiendum videtur Gronovio, ob causam, quam hic exponit Grævius. Idem placuerat Perizonio, qui pro *curiis* adscripserat *centuriis*. Sic contra in Liv. Epit. I. de Romulo: 'In centurias populus divisus.' Quod recte emendavit Sigonius, *In curias*.

Collegiis] Dissentiunt a nostro Plutarch. Numa, cap. 31. et Plinius, 34, 1. et 35, 12. qui Numæ institutum hoc tribuunt. *Fr.* De collegiis Sigon. l. d. Cujac. Obs. VII. 30. et Briss. Antiq. ex Jure Civ. I. 14.

Officiorumque] Freinsh. in Ind. exponit *opificiorum*. Sed hæc nomine 'artium' continentur, nec temere alibi 'officia' pro, opificiis dici invenias. Puto Florum hoc velle, ex his tabulis patuisse, quodnam quisque civis officium Reipubl. præstaret. Nam aliud præstabant seniores, aliud juniores; aliud divites, aliud pauperes: quorum discrimina in tabulis notata erant.

In tabulas] Vetustiores edd. *in tabulis:* non absurde. Eo fere modo loquitur Suetonius: 'Quemadmodum summam rationibus vellet referri,' in Vespas. 22. 5. Quod sequitur, *ac sic*, ex Naz. est, elegantius utique quam illud impr. *ac si*. Fr. *In tabulis* est in Voss. 3. et Junt. Edd. B. S. et P. transpositis literis habent *in talibus*. Id defendi quidem potest, sed non debet, repugnantibus fere om. sc. et aliis Edd. 'Referre rationibus' est in l. ult. pr. D. de Rescind. vend. et l. 2. §. 6. de Administr. rer. ad civit. pertin. Sed in Suetonio Grævius recte edidit *inferri*.

Maxima civitas minimæ domus] Cicero ad Att. 6. 1. 'Provincia gubernata ut domus.' Quod maximæ est prudentiæ. Nec enim qui domum regere potest, possit etiam civitatem regere. Vide Aristot. Polit. in pr. *Fr.* I. e. eadem diligentia gubernaretur, qua minima domus. Est enim boni patrisfam. curare ut in domo sua quisque rite munere suo fungatur, et omnia cum cura in rationes referre. Nam videtur his verbis tangere diligentiam Romanorum in conficiendis tabulis et ephemeridibus, in quibus tota ratio rei domesticæ perscribebatur; de quibus Bud. ad l. 48. D. de Jure dot. 'Diligens' et 'Diligentia' sæpe dicuntur de bonis patribusfamil. ut Turneb. ad Cic. Agrar. II. 19. et cl. Burm. ad Petron. c. LXVII. qui et ad eumdem c. II. ostendit, *continere* esse verbum proprium disciplinæ et coërcitionis. Senec. de Provid. c. 1. 'Illos disciplina tristiori contineri.'

CAP. 7 *De Tarquinio Superbo*] Hujus gesta scribunt Livius, 1. 49. et deinceps, Dionysius 4. 48. et deinceps, Ruffus, Eutrop. Victor de Vir. Illustr. cap. 8. Accius Bruto; cujus

tamen paucula fragmenta hodie extant. *Fr.*

§. 1 *Superbo*] Cognominis hujus rationem reddit Livius, 1. 49. 1. quod insepultum socerum abjecerit: meliorem Noster, Dionys. 1. 67. et 4. 48. Auctor de Viris illustr. cap. 8. et Propert. 3. 11, 48. 'Nomine quem simili vita superba notat:' hoc est, cognomen hoc traxit, quoniam superbe vixit et imperavit, ut recte interpretatur Gebhardus dicto Propertii loco. *Id.* Tarquinius vel ob eam unam causam 'superbus' recte appellari potuisset, quam hic e Livio memorat Freinsh. Nam et sic Horat. Carm. I. 28. 32. de eo, qui cadaveri inhumato terram non injicit: 'Debita jura, vicesque superbæ' (vel, *superbe*, ut Passerat. non improbante celeberr. Bentleio) 'Te maneant ipsum.' Sed Livius non ob id solum, verum et ob alia multa eum hoc cognomen accepisse scribit. 'Superbo,' inquit, 'cognomen facta indiderunt,' quæ deinde per partes exsequitur. Quæ Livius 'facta,' Florus 'mores' dicit. Nam 'superbiæ' nomine apud veteres multa comprehendebantur vitia, libido, avaritia, crudelitas, et alia, ut e Servio ad Virg. Æn. XI. 15. et Latin. Pacat. in Paneg. ad Theodos. c. XX. adnotat Casaub. ad Theophr. Char. c. XXV.

§. 2 *Regnum avitum*] Indicat igitur Tarquinium hunc nepotem fuisse Prisci, quod et Dionysius, 4. 1. et 48. expresse testatur. Sicut etiam Constantinus Manasses vs. 1664. Alii filium ejus faciunt, inter quos Livius, 1. 46. 4. et 1. 47, 2. Onuphrius in Fastis in Olymp. 67. Agellius, 17. 21. Plutarch. Poplic, cap. 21. filium an nepotem Prisci appellet, ambigit. Vide disputationem de hac re Laur. Vallæ, præfixam notis in Livium. *Fr.* Dissensionem Veterum in hac re memorat Claudius Imp. in Orat. ap. Grut. Inscr. p. 502. Prisci 'Filium' vocat etiam Cicero in Bruto cap. XIV. et Strabo lib. V. p. 231. Sed Dionys. Hal. multis iisque non infirmis rationibus disputat, non potuisse natura Fil. Prisci fuisse, ac tandem utriusque sententiæ conciliandæ hanc rationem iniri posse putat, ut Superbus natura nepos, adoptione filius Prisci fuisse dicatur. Et hoc probat Rupert. ad h. l. Pomponius l. 2. §. 2. D. de Orig. Jur. Superbum 'Demarati Corinthii filium' fuisse dicit contra omnis historiæ fidem, qui locus valde torsit Interpretes. Nodum solvit V. A. Cornelius van Bynkershoek in Prætermissis ad l. d. per geminationem literarum in Pandectis usitatam, sed hic non animadversam, legens *Demarati Corinthii FILIus* i. e. *filii filius.*

Rapere maluit] Videtur alludere ad verba Livii, 1. 47, 2. 'Qui habere regnum, quam sperare, mallet.' Sicut et Tacitus, 1. 7, 11. de Germanico: 'Ne habere imperium, quam exspectare, mallet:' quæ loca suspicionem mihi injiciunt, ita etiam scripsisse Livium, *expectare*, aut *espectare*, pro quo, qui minus intellexere, substituerint *sperare*. Fr. In Livio nihil mutandum ostendit ad eum loc. Gronovius.

Non melius egit, quam acquisierat] Vetustiss. Naz. *adquæsierat*. *Adquærere* pro *adquirere*: quod semel notandum proponimus. Sic enim veteres loquuti, 'conquærere' et 'adquærere,' dicentes. *Sal.* Ita solet fieri. 'Nemo enim unquam imperium flagitio quæsitum bonis artibus exercuit,' Tac. H. I. 30, 6. nam plerumque 'imperium iis artibus retinetur, quibus initio partum est,' Sall. Cat. 2. 5. Qui enim bonis artibus ad regna pervenere, iisdem etiam subditorum animos retinere gaudent; qui diversa irrupere via, quoniam caritatem civium promittere sibi non possunt, metu et terrore, solitis tyrannidi vinculis, exprimunt obsequia. Ita, quod ait Seneca de Clem. 1. 13. 'Scelera

sceleribus tuenda sunt.' Rarissimum enim est, ut 'regnum dolo partum sic agatur industrie, ut jure acceptum videatur.' Vide proxime præcedentem notam ad 1. 6, 2. Eodem prope loquendi modo Clytæmnestra in Agamemnonem Senecæ invehitur, vs. 174. 'Sic auspicatus bella, non melius gerit.' et Liv. Epit. 69. 1. 'Saturninus tribunatum non minus violenter, quam petierat, gessit.' *Fr.* Idem, quod hic de 'conquærere,' et 'adquærere' Salmasius, de 'disquærere' adnotat Victor. ad Varr. de R. R. I. 57. et de 'requærere' Scalig. ad Catull. Carm. ult. 'Exquærere' dixisse Plautum in Aulul. IV. 10. 70. scribit Priscian. lib. I. p. 561. Vid. ibi Taubm. Et ap. eumd. poëtam in quibusdam libris Capt. II. 2. 43. est 'exquæsivero:' et Stich. I. 2. 50. 'exquæsitum.' L. I. §. 14. D. de Leg. Corn. de Fals. liber Florent. 'adquæratur.' Et sic sæpe idem in his.

§. 3 *Super cruentum patrem*] Immanitas incredibilis; sed non tamen sine exemplo: legimus enim et apud Justin. 41. 6, 5. 'Eucratides a filio, quem socium regni fecerat, in itinere interficitur: qui non dissimulato parricidio, velut hostem, non patrem interfecisset, et per sanguinem ejus currum egit, et corpus abjici insepultum jussit.' *Grut.* Tulliæ facinus præter Dionys. et Liv. recenset etiam Val. M. 9. 11, 1. et Ov. F. 6. 603. *Fr.* *Supra* Vineti unus, Flor. Ber. Duisb. Fran. Jord. et v. e.

§. 4 *Ipse in Senatum cædibus, in omnes superbia*] Amplius habet Jordanes: *ipse in Senatum cædibus, in plebem verberibus, in omnes superbia.* Quod an sit Flori, dubito: et fortassean ita in suis codicibus repererit Jordanes. Quod temere non affirmem. *Sal.*

In Senatum cædibus] Rationem hujus facti reddit Livius 1. 49. Nam cum senatus ex optimis et ditissimis civibus constaret, hunc præcipue sublatum voluit, tam ut eorum præda ditesceret, quam ut metum sibi ab iis demeret, denique ut facilius orbæ reipublicæ dominaretur. 'Regibus enim semper boni, quam mali, suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est,' ait Sall. Cat. 7. 2. Et apud Tac. Ag. cap. 3. 'Multi fortuitis casibus, promtissimus quisque sævitia principis interciderunt.' Vide notam Berneg. ad Justin. 42. 2, 10. Ita Græcinum Julium 'C. Cæsar occidit ob hoc unum, quod melior vir erat, quam esse quemquam tyranno expediret:' apud Sen. de Benef. 2. 21. et Tiberius Arruntium 'divitem, promptum, artibus egregiis, et pari fama publice, suspectabat:' apud Tac. 1. 13, 2. Tertiam rationem quod attinet, eo facit Hannonis consilium apud Justinum 21. 4, 3. qui Senatum interfecturus erat, 'ut orbam rempublicam facilius invaderet.' *Fr.*

Superbia] Perdiccæ 'odium arrogantiæ plus nocuit, quam hostium vires,' apud Justin. 13. 8, 2. ubi notam Berneggeri vide. Adde Hist. Peruvian. Augustin. de ç. carate, lib. 6. cap. 5. f. de Gundisalvo Piçarro. *Fr.* 'Boni' hic sunt nobiles, potentes, divites. Vid. Gronov. Obs. IV. 9. Schulting. ad Sen. Controv. VI. et Græv. Lect. Hesiod. c. VI.

Cum sævitiam jam domi fatigasset] Lege *cum sævitiam domi fatigasset:* expuncto illo *jam*, quod temere adhæsit ex fine vocis *sævitiam.* Sal. *Sævitiam*] Ita vetus e. Grut. Palatinique 2. ac 3. quæ lectio etiam Salm. probatur. *Fr.* Ancipitis disquisitionis est, utrum *jam* temere repetitum sit e fine præcedentis vocis, an omissum a librariis id supervacuum putantibus. Hic quidem sensui nihil obest. 'Sævitiam fatigare' est, ad satietatem sævire, fatigari sæviendo. Serv. ad Virg. Æn. VIII. 94. 'Olli remigio noctemque diemque fatigant,' i. e. ipsi fatigantur. Et ad Æn. IX. 605. 'Venatu invigilant pueri, silvas-

que fatigant,' i. e. ipsi fatigantur in silvis. Sen. ad Marc. c. I. 'Omnia in supervacuum tentata sunt: fatigatæ allocutiones amicorum.' Et de Clem. I. 11. apud Rupert. 'Lassa crudelitas.'

§. 5 *In Latio*] Atqui nulla subjectarum urbium Latina præter Gabios: apparet igitur Florum non stricte vocabulo 'Latii' usum fuisse, sed quomodo posterioribus temporibus consuevit, ut vicini etiam populi comprehenderentur, qua ratione 'socii Latini nominis' appellati creberrime apud auctores non Prisci tantum Latini, sed Italorum plerique, ut a Cluverio non merito reprehensus videri possit Noster, quod 'Ocriculum' (pro quo ille *Olliculum* rescribit) in Latio posuerit: eadem enim ratione ceterarum quoque urbium nomina mutanda forent. Vide etiam infr. 1. 11, 8. *Fr.* Dispar est Ocriculi et aliarum urbium, quas hic memorat Florus, ratio. Nam hæ in Latio, saltem adjecto, fuerunt. At Ocriculum in Umbria, ubi Nar fluv. Tiberi miscetur, locat Strabo lib. v. p. 227. 'Latinorum' nomen etiam interdum Italicis tribui certum est; sed quærendum est, an scriptores vett. plerosque Italorum creberrime vocent 'socios Latini nominis:' et an 'Latii' nomine ita comprehendantur Urbes extra Latium sitæ, ut 'Latinorum' nomine interdum Italici extra Latium. *Ocricolum* Naz. Pal. 2. Regg. Voss. 2. *Oricolum* Ryck. *Otricolum* Duisb. *Acricolum* liber Vineti. Vid. 3. 18. 11.

Ardea] Sed hæc oppugnata tantum ab ipso, nec capta est, teste Dionys. extr. lib. 4. Livio extr. lib. 1. nam in obsidione ista conspiratio adversus ipsum facta est. *Fr.*

Suessa Pometia] Sic legendum sine commate medio, ne videantur urbes esse diversæ: de hac enim intelligendus Plin. 7. 16. ubi loquitur de iis, qui nascuntur cum dentibus: 'In feminis ea res inauspicati fuit exempli, regum temporibus. Cum ita nata esset Valeria, exitio civitati in quam delata esset futuram, responso aruspicum vaticinante, Suessam Pometiam, illa tempestate florentissimam, deportata est, veridico exitu consecuto.' *Grut.*

§. 6 *Neque enim filium*] Hanc historiam præter citatos supra, lege in Ovid. F. 2. 691. *Cam.* Item apud Val. M. 7. 4, 2. Plin. 19. 8. Polyæn. Strat. lib. 8. Front. 1. 1, 4. et 3. 3, 3. Simile strategema Zopyri ap. Justin. 1. 10, 15. quod Megabyzo adscribit Ctesias, et Olthaci Plutarchus, Lucullo, cap. 31. Vide etiam infra, 3. 11, 7. *Fr.*

§. 7 *Cui Gabiis, ut voluerat, recepto*] Membranæ Naz. *cui Gabios, ut voluerat, receptos:* lege *cui Gabios, ut vol. recepto.* Sic infra: 'Mundam se recepit exercitus.' Vulgo perperam *Mundæ.* Sal. Nihil hic moverem, nisi Ryck. liber aliam scripturam mihi offerret. In illo enim scribitur: *cui a Gabiis, ut voluerat, recepto.* Lege *cui a Gabinis, ut voluerat, recepto.* Græv. *Cui a Gabiis* etiam Pal. 2. et Voss. 3. *cui Gabii* Voss. 1. 2. et v. e. Vulgata scriptura non eget mutatione. Cic. pro Flacc. c. xxv. 'Illum non modo recipiebant suis urbibus.' Phædr. IV. 11. 'Cœlo receptus.'

Eminentia forte papaverum capita virgula decussit] Ita Florum loqui voluere Viri doctiss. Nam alia est in omnibus antiquis scriptura: *virgula excutiens.* Non quæram cur ita mutarint adversus omnium librorum auctoritatem et consensum, veterum item excusorum. Non aliter descripsit Jordanes. An verbum *excutere* parum illis idoneum visum est? Saltem debuissent *decutiens* reponere: nam *decussit*, quod reposuerunt, cum seqq. non cohæret. Quid enim illis fiet, *quæ superbia sic respondit*, si ab hac periodo vi avellantur? Totum igitur hunc locum lego et distinguo: *Cui Gabiis, ut voluerat, recepto, et per nuntios consulenti quid fieri vellet, emi-*

nentia forte papaverum capita virgula excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet, quæ superbia! sic respondit. Jam clara et plana sunt omnia. Nullo alio responso edito, sed papaverum tantum eminentia capita excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet, quæ superbia! sic respondit. Verba illa *quæ superbia!* per parenthesin legenda sunt. At quod superbiam Florus interpretatur, prudentiam et calliditatem summam fuisse, ne consilium evulgaretur, alii volunt. In Jordanis libris eadem ferme lectio invenitur, nisi quod habent *qua superbia?* Sic autem alibi loquitur Florus. *Sal.* Conveniunt omnes præter Ovid. qui dicit, liliorum capita excussisse, loco modo citato. *Cam.* Ad rem quod attinet, imitatus est hoc facto Tarquinius Thrasybulum Milesium, ut refert Dionys. 4. 63. Simile est quod Aventinus, propius ab initio libri quarti, de Caroli filio naturali Pipino recenset. Qui legatis patris, jussu ejus consilium poscentibus, quomodo conjurati puniendi forent, cum forte hortum repurgaret: 'Nihil opus est verbis,' ait, 'herbas inutiles radicitus extirpo, ut fruges bonæ crescant: ite et renuntiate Regi, quæ facio.' Adde Ælian. Hist. Var. 1. 34, 7. *Fr. Decussit* a Vineto ortum indicat Gruterus in Edit. 1609. *Excutere* sic quoque Virg. Æn. XII. 492. 'Apicem tamen incita summum Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.' A Ryck. absunt omnia inter verba *fieri vellet* et *quæ superbia.* Nempe scriba, quum descripsisset *vellet*, quod est ante *eminentia*, deinde oculos conjecerat in posterius *vellet* ante *quæ*, atque ita præterierat omnia intermedia. Multos hujusmodi errores scribarum dudum observarunt Docti. Vid. cl. Cleric. Art. Critic. P. III. S. 1. c. 1. §. 4. et toto cap. 5.

Quæ superbia] Reduxi lectionem veterem, quæque firmabatur Mss. Pall. omnibus. *Grut.* Et hoc etiam Salmasio, Schottoque in Obss. Philol. mihi quin etiam, si dicere fas est, priusquam istos viderem, in mentem venit. Animadverteram enim multis in locis usum hac loquendi figura Auctorem, ut infra 3. 4, 4. ('Simile prodigio!') 3. 5, 23. ('Quanta felicitas!') 4. 12, 24. ('O securitas!') Quod autem superbiæ hoc adscribit Flor. magis ex odio quodam adversus ceteram regis superbiam, quam ex vero, agit: prudentiæ enim potius adscribendum fuerat, ne cognitum ministro consilium per eundem proderetur. Alias enim superbiæ signum esse nemo ambigit (idque innuit ap. Liv. 42. 40, 2. Q. Marcius) non respondere; aut ut vilissimum illud mancipium Pallas, 'nihil unquam nisi nutu aut manu significare, vel, si plura demonstranda sint, scripto uti, ne vocem consocies.' Tac. 13. 23, 3. Xiphil. in Nerone. *Fr.* Schotti locus est Nodor. Cicer. IV. 11.

§. 8 *De manubiis captarum urbium*] Dionys. 4. 57. Liv. 1. 53, 3. Tac. H. 3. 72, 6. unius Sucssæ Pometiæ spoliis id factum asserunt. Apiolarum manubiis, Plinius 3. 5. ex Antiate. Ea autem spolia cum vix ad fundamenta suffecerint, (ut Livius quidem computat,) Florus autem de erecto templo loquatur, consulto de pluribus urbibus locutus est. Capitolii porro conditionem alii Tarquinio Prisco tribuunt. Eusebius etiam Numæ Pompilio. *Fr.* 'De manubiis' Cic. pro Dom. c. XXXVIII. Liv. XXIII. 11. et XXXIII. 27. Vid. Wouwer. ad hæc Minucii Fel. c. XXV. 'Templa omnia de manubiis, id est, de ruinis Urbium, de spoliis Deorum, de cædibus sacerdotum.' Sed quid proprie sint 'manubiæ' docet Græv. ad Cic. Agrar. I. 4.

Quod quum inauguraretur] Immo, quum fana Deorum, quæ ibi erant, exangurarentur, 'ut libera a ceteris religionibus arca esset tota Jovis,

templique ejus, quod inædificaretur,' ut Liv. 1. 55. Et Serv. in Virg. Æn. IX. 448. 'Actum est, ut exinde ad alia templa numina evocarentur sacrificiis: quo posset libere et sine piaculo templum Jovis exædificare' Tarquinius. * Add. locum Catonis ap. Freinsh. Hoc veteres dicebant *liberare locum*, ut hic e Liv. v. 54. adnotat Rupert. Ulpianus l. 9. §. 2. D. de Rer. divis. 'Solent, qui liberare locum religione volunt, sacra inde evocare.' De evocandis sacris Festus in *Novæ curiæ*.

Cedentibus ceteris Deis] In veteri Naz. scriptum multis locis, ut heic, *de his* pro *deis:* sic supra: *Placitum de his ita.* De quo, etsi leve sit, monendum putavi. *Sal.*

Juventas] Ita hic haberent omnia nostra exemplaria, nisi ultimam consonantem erasisset Camers in impressis, et quidam alii emendatores, qui *Juventam* esse Deam legerant, et *Juventatem* ætatem in commentario Acronis in Horat. Od. lib. I. 30. ubi nos contra legimus, quod *Juventas* Dea est, *Juventa* sine *s* ætas. Vin. *Juventas* etiam infr. 2. 1, 1. in melioribus libris legitur: et apud Augustin. semper est *Juventas, Juventatis, &c.* Ovid. solum restitisse Terminum meminit F. 2. 669. 'Terminus, ut memorant veteres, inventus in æde Restitit, et magno cum Jove templa tenet.' Sicut et Liv. 1. 55, 5. quamvis 5. 54, 10. mentionem etiam illius faciat. Cato Orig. 1. ap. Fest. in *Nequitum:* 'Fana in eo loco compluria fuere, ea exauguravit: præterquam quod Termino fanum fuit, id nequitum exaugurari.' Juventatis etiam meminit Dionysius 3. 92. Tertium Martem adjicit Augustinus de Civ. Dei 4. 23. ubi Vives. *Fr. Juventa* Pal. 2. Voss. 3. Reg. F, Magl. et quidam impressi. Fran. et Junt. *juventus.* Hæc sæpe permutantur, ut ap. Liv. XXI. 62. 'Lectisternium Juventæ:' et XXXVI. 36. 'Juventutis ædem,' ubi Gronov. e Mss. restituit *Juventati*, et *Juventatis.* Munckerus quidem ad Hygin. Fab. pag. 10. et ad Anton. Liber. c. XLI. etiam 'Juventutem' pro Dea dici putat. Sed mihi potior est auctoritas aliorum. Ætas sine discrimine est 'juventus,' 'juventa,' et 'juventas;' sed 'juventas' hac significatione poëtis usitatius, quam prosæ scriptoribus. Vid. de his Heins. ad Claud. de Nupt. Hon. v. 84. et Broekh. ad Tibul. I. 4. 33.

Terminus] De hac re perantiquum ænigma extat apud Agell. 12. 6. 'Semel minusne, an bis minus sit, non satis scio, An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier, Jovi ipsi regi noluit concedere:' ubi pro eo, quod in primo versu legitur *non satis scio*, cum transcendat leges carminis, forte non inepte substitueretur *nescio.* Ceterum similis scirpus est in fine vitæ M. Antonini Philosophi, apud Julium Capitol. de Tertullo Faustinæ adultero, 'de quo mimus in scena præsente Antonino dixit, cum stupidus nomen adulteri uxoris a servo quæreret, et ille diceret ter 'Tullus,' et adhuc quæreret, respondit ille, 'Jam dixi ter Tullus dicitur.'' *Fr.*

§. 9 *Sed illud horrendum*] Edd. Jord. *horrendius:* sed scripti vett. *horrentius.* Cave tamen putes, ita Annæum scripsisse. *Sal.* Naz. et quidam codd. Vineti Edd. S. P. A. et J. *molientibus sedem.* In Duisb. deerat *ædem. Sedes* et *ædes* sæpe permutantur. Vid. I. 13. 10. et III. 10. 3. Liv. v. 42. 'Caritate sedium suarum:' vulg. *ædium.* Vid. Cujac. et al. ad pr. Inst. de Mil. testam. et Drakenb. ad Sil. Ital. XIV. 652.

Humanum repertum est caput] De hac re et quomodo Olenus Calenus augur fatum illud in suam gentem trahere sit conatus, vide Dionys. 4. 66. Plin. 28. 2. Servium Æn. 8. 345. Caput autem illud 'Toli' cujusdam fuisse, et inde 'Capitolium' nominatum, ex monumentis vetustiorum refert Arnobius contr. gent. lib. 6. p.

243. Ita in fundamentis Carthaginis caput bubulum, mox equinum inventum, bellicosam potentemque fore significavit, ap. Justin. 18. 5, 15. et 16. Omnia enim ex similitudine rerum interpretabantur veteres. Ita vultures 'assuetæ sanguine et præda aves bellatricem fore,' quam conderet urbem, Romulo spoponderant, supra 1. 1. 7. Ita Servium 'clarum fore visa circa caput flamma promiserat,' sup. 1. 6, 1. Ita Carthaginiensibus bellatoris equi caput, virtutem bellicam, Romanis autem humanum, imperium orbis præsagiit, cum omnia homo regat, hominem autem caput. *Fr.* *Olus* est in Arnobii Edit. Lugd. Bat. 1651. et apud Serv. in Virg. Æn. VIII. 345. Alii ap. Ryck. de Capitol. c. X. et Cerd. in Æn. IX. 448. nomen hominis non memorant, sed tantum caput humanum repertum, ab eoque Capitolio nomen inditum dicunt. Scaliger ad Varr. de Ling. Lat. p. 167. fabulam ad nobilitatem gentis excogitatam, et a Romanis Capitolium appellatum esse scribit, quam Græci ἄκραν dicebant, quia esset κορυφὴ τῆς πόλεως. Et sic Vossius in Etymol. idque verosimilius est, quam vulgata narratio, quam fabulæ propiorem esse manifestum est.

Caputque terrarum] Invidiosos urbis hujus titulos ex multis auctoribus collectos, vide apud Merulam Cosmog. part. 2. lib. 4. cap. 22. Sizman. in Rutil. Itin. v. 194. *Fr.* Et Lips. de Magnit. Rom. I. 2.

§. 10 *Tolerare non potuit*] Multa ex hac causa bella, multas seditiones ortas, notat Alber. Gentil. de jur. belli lib. 1. cap. 20. et ex eadem Decemviratus abolitionem Liv. 3. 44, 1. Hac de causa Gotthi Hispaniæ imperio excidere: Maximus Valentiniani successor Romano: sicut et ipse Valentinianus. *Fr.* 'Ex liberis ejus,' ut I. 16, 9. 'Illustris ex hac gente clades:' Tac. Agr. XVI. 'Timor ex legato.' Add. Sall. Jug. c. CII. Terent. Adel. III. 4, 79. Flor. II. 6, 27. 'Liberi' plur. num. de uno. Vid. IV. 3, 2. Quod mox dicit 'alter,' videtur existimasse, Superbum tantum duos filios habuisse: quos tres fuisse tradunt Liv. I. 53. 56. et Dion. Hal. IV. 64, 69. Aruntem, Titum, et Sextum.

§. 11 *Lucretiæ*] Hoc ipsum aliaque pluria exempla lege apud D. Hieron. sub fin. lib. 1. adversus Jovinian. *Fr.* Epith. 'ornatissimus' sæpe adponitur iis, qui præditi sunt rebus, quæ ornamentum aliquod, i. e. decus, gloriam, et existimationem pariunt, quæ multæ sunt. Lucretia ergo ornatissima virtute, genere, forma, pudicitia. Cic. Verr. I. 48. 'Hominem ornatissimum loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis.' Hinc 'ornamentum' pro honoribus ac divitiis ap. Corn. Nep. Att. VII. Sed 'ornati' et 'ornatissimi' sæpe speciatim dicuntur honoribus ac dignitate conspicui. Cic. pro Flacc. XXI. Suet. Cæs. I. Vid. Lips. ad Sen. de Benef. III. 15. et cl. Burm. ad Petron. CXXVII. Ceterum Lucretiam coactam quidem nec tamen invitam stuprum passam scribit Dio in Excerpt. Peiresc. p. 574. et 577. quem eo nomine ibi reprehendit Valesius.

Imperium] Diem, quo reges Roma pulsi sunt, qui 'Regifugium' dicebatur, quotannis Romæ celebrabant, 7. scilicet Cal. Martii, et XI. Cal. Jul. Auctor Ovid. F. 2. et 5. Advertendum autem serpentem latrasse, quum pulsus est, ap. Plin. 8. 41. *Cam.* In Regg. et Fran. est *Regi:* in Flor. *regis.* Rectum est *Regibus:* nam populus juravit, se non modo Tarquinium, 'sed neminem unquam Romæ regnare passurum:' Liv. II. 1. Cic. Brut. cap. XIV. 'Paucis annis post Reges exactos.' Pompon. l. 2. §. 16. D. de Or. Jur. 'Exactis deinde Regibus.' Et Flor. I. 10, 1. 'Pulsis ex urbe Regibus.' Sigonius ad Epit.

Liv. LXVII. argutatur nescio quid, ac scribit, Tarquinio non esse imperium abrogatum, sed exsilio mulctatum, ne in Urbe esset. Refellit eum ex h. l. Flori Gronovius. Et Liv. I. 59. disertis verbis: 'Multitudinem,' inquit, 'perpulit [Brutus] ut imperium Regi abrogaret, exsulesque esse juberet L. Tarquinium cum conjuge ac liberis.' Post *abrog.* Regg. Toll. Duisb. Voss. 1. 2. Fran. Ryck. et V. E. addunt *est.*

CAP. 8 *Anacephalæosis*] 'Consummationem' vocat Sen. Suas. VI. Alter Sen. Ep. 39. 'Oratio hæc, quæ nunc *breviarium* dicitur, olim, cum Latine loqueremur, *summarium* vocabatur.' *Fr.* Quintil. Instit. Orat. VI. 1. 'Rerum repetitio et congregatio, quæ Græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, a quibusdam Latinorum *enumeratio.*' 'Recapitulationem' dixerunt posteriores: qua voce Laur. Vallam primum fuisse usum videtur existimasse Borrich. in Cogitat. de Ling. Lat. Sed eam in vetusto Interprete Irenæi inveniri observavit Vossius Instit. Orator. III. 6. §. 2. 'Anacephalæosis' autem non est a Floro, sed ab his, qui Titulos singulis capitibus adposuerunt.

§. 2 *Ardentius*] Non damno; forte tamen nihilo absurdius legi posset *audentius*, ob rationem, quam subnectit. Ita de Cæsare Suet. cap. 58. 1. 'Dubium cautior, an audentior.' *Fr.* Libri om. sc. et ed. *ard.* nec quidquam contra eos tentandum est. 'Ardere' nota metaphora transfertur ad omnes vehementes adfectus et motus animi. Hinc *ardens*, concitatus, vehemens in eo, quod cupit agitque, urgens propositi, et qui vehementer vult, quidquid vult. Flor. IV. 2. 42. de Cæsare: 'Ardentissimi Ducis impetus,' quem paullo ante 'ferocem,' et 'rei conficiendæ cupidum' dixerat. Virg. Æn. I. 423. 'Instant ardentes Tyrii.' Liv. I. 46. 'Juvenis ardentis animi.' Sall. Cat. V. 'Ardens in cupiditatibus.'

§. 3 *Deorum metu mitigaretur*] Diagoras, Theodor. Leucippus, Democritus, Epicurus, et ex Rom. Lucretius, putant, terroris ac metus gratia religionem a sapientibus institutam, quo se homines imperiti a peccatis abstinerent. Lactant. cap. 10. de ira Dei. De Numæ religione scriptum, Civit. 7. cap. ult. Ex quibus constet vera religio, docet D. Augustinus, Civit. 10. et Lactant. 4. 28. *Cam.* Eorum, qui de Diis opinionem continendorum hominum caussa repertam tradunt, meminit et Cicero, de Natur. Deorum, 1. 42. Ad quorum sententiam accedit Euripides apud Plutarch. de placitis Philosoph. 1. 7. *Fr.*

§. 4 *Militiæ artifex*] Ita supr. 1. 3. 1. Totum autem locum ita scripsi, cum in prioribus edd. interrogatio post vocem *necessarius* poneretur; elumbi, ut videbatur, sensu: ita etiam seqq. numeris interrogatio semper adjicitur fini. *Fr.*

Ut acueret ratione virtutem] Ut virtutem insitam disciplina militari augeret et efficaciorem redderet. Nam hæc si absit, virtus sola in bello parum valet. Elegans est in hanc rem apud Rupert. locus Senecæ de Ira I. 11. Germanos, quum nihil illis sit animosius, nihil ad incursum acrius, nihil armorum cupidius, nihil ad omnem patientiam induratius, tamen facile vinci; quod 'sine ratione ac disciplina' pugnent. Ita de militia Tulli cum Romuli militia comparata dici potuit, quod de alia re Ovidius: 'Et quod nunc ratio est, impetus ante fuit.' 'Ratio' ap. Florum idem est quod disciplina, quæ duo sæpe conjunguntur. Vid. Schel. ad Hygin. pag. 1108. Tom. X. Thes. Antiquit. Rom. Acuere vires pro, augere, est ap. Justin. XX. 1. 'Ut militum vires continuo labore acuerentur.'

§. 5 *Ex ipso habitu*] Facit huc, quod de Romulo Livius, 1. 8, 2. dicit; et

Val. M. 2. 2, 7. ‘ Instrui,’ inquit, ‘ imperia, argenteis vasis et annulis aureis publice præbitis : patiebantur, quo talium rerum usu auctoritas magistratuum esset ornatior.’ *Fr.*

§. 6 *Nisi ut ipsa se nosceret Resp.*] Legendum *nisi ut ipsa se nosset respublica.* Scripti sane omnes sic habent, ut et Jordanes. *Sal.* Sic ed. vetus et Pal. pr. neque aliter fere 2. ac 3. nempe *noscet.* Grut. Et Salmasius approbat. Vulgati habebant *nosceret*, quod et ipsum non reprobum est ; ‘ noscere’ enim pro, nosse aliis auctoribus, ut Tac. 2. 28, 1. ponitur. *Fr.*

§. 7 *Importuna dominatio*] ‘ Importunus’ est, impotens, improbus, intolerabilis. Turneb. ad Cic. Agrar. II. 24. Gronov. ad Sen. de Benef. IV. 3. Græv. ad Cic. Famil. IX. 21. ubi ‘ importunos’ vocat Papirios, quos ante ‘ improbos’ dixerat. Sed sæpe de tyrannis dicuntur *importunus*, et *importunitas.* Liv. V. 2. XXIX. 17. et XXXVIII. 14. Vid. Tan. Fab. ad Justin. XLII. 1. Cic. Læl. cap. XV. de Superbo : ‘ Quamquam miror, illa superbia et importunitate si quemquam habere potuit amicum.’ Et ‘ dominatio’ de iisdem. Freinsh. in Ind.

Non nihil, immo vel plurimum profuit] Ryck. *non nihil imo plurimum profuit*, omisso *vel.* Calci hujus capitis subjicitur in eodem libro : *Finit liber primus et prima ætas. Incipit liber secundus et prima ætas populi Ro.* Sed lapsa est manus scribæ : pro *prima ætas pop. Ro.* enim scribendum erat *secunda ætas pop. Ro.* Græv.

Agitatus injuriis] Frustra Freinshem. in Ind. tentat *fatigatus. Agitatus injuriis* est, pressus, vexatus, et iis ferendis fatigatus. Cic. Verr. III. 18. ‘ Sedes suas patrias istius injuriis exagitati reliquerant.’ Id. pro Quint. cap. 11. ‘ Ut multis injuriis jactatam atque agitatam æquitatem in hoc tandem loco consistere et confirmari patiamini.’ Gell. XVII. 21. conjungit ‘ exagitatus’ et ‘ vexatus.’ Et Serv. in Virg. Æn. VI. 68. ‘ Agitataque numina Trojæ,’ exponit, vexata. Est metaph. a feris, quæ *agitari* et *exagitari* dicuntur, quum venatores eas persequentes consistere non patiuntur. Liv. XLI. 9. Cic. Off. III. 17. Ovid. ‘ Et lepus hic aliis exagitandus erit.’

Cap. 9 *Bruto*] Cognomentum hoc traxit a simulata stultitia, cum verum ei nomen L. Junio esset. Cum enim, occiso patre et fratre, sibi quoque a Tarquinio metueret, sub hac persona latuit, donec capta occasione prorumperet. Vide Augustinum, Quæst. ex utroque test. cap. 115. Cum enim suspecta sit Tyrannis nobilium alacritas et erectum ingenium, ut supra, 1. 7, 3. monuimus, nonnulli, ut loquitur Seneca, ‘ in contemptu remedii causa delituerunt,’ sicut hic noster; ut et David, 1. Sam. 21. 13. Archelaus Cappadox, apud Dion. non longe a fine lib. 57. Dionysius Corinthi, apud Plutarch. Timoleonte, c. 19. et Justin. 21. 5, 3. Solon apud Cic. de Off. 1. 30. ut et de se testatur, forte immerenter, Claudius Cæsar, apud Suet. cap. 38. 6. Unde apparet, haud absurde dictum illud esse : ‘ Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.’ *Fr.*

Collatinoque] Tarquinius Egerii filius hic fuit, ita appellatus a Collatia oppido Latino, ubi plurimum morabatur, ut auctor est Dionys. 4. 72. Hinc Ov. F. 2. 733. ‘ Cui clarum dederat Collatia nomen.’ *Id.* Egerii, qui Tarquinii Prisci fratris filius erat, filium facit Liv. I. 57. nepotem Dion. Hal. IV. 64.

Ultionem sui moriens mandaverat] Ejus generis mandatum est Germanici, ap. Tac. 2. 71. et Suet. Cal. 3. 9. Item Othonis, apud eundem, Vesp. 6. 9. ubi interp. vide. *Fr.* De verbo *mandare*, idem in Ind.

Ad vindicandum] Unum verbum duplici significatione. Vid. Freinsh. Ind. Justin. III. 1. ‘ Egregius ado-

lescens et cædem patris et se ab injuriis Artabani vindicavit.' Plura hujus generis ibi Interpretes, et ad eund. I. 9. et XI. 9.

Bona diripit] Jussu scilicet et instinctu Patrum, 'ut' nempe 'plebs contacta regia præda omnem in perpetuum spem pacis cum his amitteret,' Liv. 2. 5. Ita enim obligandi sunt mobiles animi, et quorum pœnitentia metuitur: ita Jugurtha apud Sall. 81. 6. 'id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere, ne moras agitando aliud quam bellum mallet.' Ita Rex Veientium, jussis occidi Romanis legatis, 'obstringi Fidenatium Pop. ne respicere spem ullam ab Romanis posset, conscientia tanti sceleris, voluit,' ap. Liv. 4. 17, 5. Zonar. Tom. 2. pag. 115. f. et apud eundem Liv. 44. 27, 8. Perseus Gentium 'assidue ad lacessendos hostili facto Romanos stimulat.' Sic apud Tac. H. 4. 70, 13. 'Valentinus ac Tutor in arma Treviros retrahunt, occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniæ cresceret vinculum sceleris.' Eadem de caussa ap. eund. Tac. 3. 42, 1. Florus 'pellexit alam equitum, ut cæsis negotiatoribus Romanis bellum inciperet.' Ita Asdrubal ultimus Carthaginiensium Imp. in captivos Rom. crudeliter sæviit, 'ne Carthaginiensibus spem ullam pacis a Romanis impetrandæ relinqueret,' ap. Appian. de bello Punic. propius a fine pag. 72. Adde Tac. H. 4. 64, 5. Plutarch. Aristid. cap. 46. Notat autem Livius Epit. 67. 3. ab hoc ad C. usque Cæpionem, nullius magistratus Romani bona publicata. *Fr.*

Agrum Marti suo consecrat] Unde campus Martius, de quo præter alios Strabo, lib. 5. Dicit autem 'Marti suo,' quia conditor urbis originem ad eum referebat. *Id.*

Mutato indice et nomine] Sic emendarunt Viri Docti, *Indice* pro *Judice*: sed minime addicentibus libris, qui *Judice* omnes retinent: et, si verum licet dicere, *Indice* hic nescio quomodo non convenit. In iis enim, quæ subjicit, nihil ad illud *indice* refertur: ut, eum dixit, *mutato nomine*, sequitur, 'appellavitque consules pro regibus.' Jord. lectio omnino vera est: *jure et nomine*: firmant eam sequentia: 'pro perpetuo annuum placuit:' nempe, jus. Jus idem quod, imperium vel potestas. Nihil est verius igitur, quam scribendum *mutato jure et nomine*. Sal. *Mutato tamen et jure*. Hanc ex Jordane scripturam, cum nemini non probetur, merito recipiendam putavi: nec enim quæquam aliarum congruit, sive enim *indice*, sive *judice* legas, neutrum neque sensui auctoris, neque verbis convenit, ut ex ipsa constructione apparet. *Fr.* Ryck. *mutato tamen nomine et judice*. Sed *jure* recte Salmasius reposuit ex Jornande. Ordo verborum est perversus in vulgatis, legendum enim ut codex vetus monet: *mutato tamen nomine et jure*. Sequentia id verba ostendunt, quæ pertinent ad proxime præcedens *jure*: 'Quippe ex perpetuo annuum placuit.' *Græv.* Libri Vineti Voss. 2. 3. et Junt. *indice*, tres Pall. Ryck. Toll. Duisb. Fran. Voss. 1. Ed. Vet. Ber. Sab. et Par. *judice*. Aldus solus Jordanem, ut solet, sequutus *jure*, quod etiam in Reg. F videtur fuisse: nam ex eo nihil ad Ed. Grævii, in qua est *jure*, adnotatum erat. Nec dubium est, quin ea scriptura præferenda sit. Ex *jure* per errorem scribentis fieri potuit *jude*; nam *d* et *r* non raro permutantur: vel, quum pro *jure* scriptum fuisset *jûe*, quæ in Mss. interdum est nota literæ *r*, ea deinde quasi compendia vocis *judice* accipi potuerunt; unde mox *indice* pro *judice*: quæ voces sæpe confunduntur. In Reg. Q singularis est lectio, *mutato tamen et nomine et numero*. Hinc suspicio oriri posset, olim scriptum fuisse *et jure, et numero, et nomine*. Nam tria sunt, quæ mutata esse dicit Florus, perpetuitatem im-

perii, numerum imperantium, et nomen. Sed nihil ex uno libro novandum arbitror: et una voce *jure* et tempus et numerus comprehendi possunt. In Pal. 3. Fran. Flor. et Magl. idem est ordo verborum, qui in Ryck., eumque adoptavit postrema Ed. Ea est figura χιασμὸς, ut apud Suet. Cæs. XXVII. XXXV. et XLI. ubi vid. Casaub. Cujac. Obs. XIV. 24. et Dan. Heins. ad Matth. VII. 6. Sic mox in verbis, 'ne potestas solitudine vel mora corrumperetur:' nam 'solitudo' refertur ad propius, 'duplex' imperium, 'mora' ad remotius, 'annuum;' Reiues. ad Rupert. Ep. XXIII. Sed reliqui ordinem, qui erat in aliis scriptis, et om. vet. ed. ac simul revocavi *et* ante *jure* ab eadem Edit. expulsum, quod a solo Ryck. et Frec. aberat.

§. 2 *Solitudine*] Sall. Cat. c. 6. in fin. 'Annua imperia binosque imperatores sibi fecere; eo modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum hominum.' Imitatus hoc C. Cæsar, Africam in duas partes divisit, apud Dion. lib. 59. *Fr.*

Mora corrumperetur] Verum enim est illud Mamerci, ap. Liv. 4. 24, 5. 'maximam libertatis custodiam' esse, 'si magna imperia diuturna non essent, et temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non posset:' et illud Latronis, apud Sen. 7. Contr. ult. 'Nihil tam utile, quam brevem potestatem esse, quæ magna sit.' Adde Cic. pro L. Man. cap. 9. et quæ noto ad epist. ejus provincialem, 29. Ita cum 'ordo Judicum Carthagine dominaretur, eo maxime, quod iidem perpetui judices erant; [Annibal] legem promulgavit, ut in singulos annos judices legerentur, ne quis biennium continuum judex esset.' Idem Livius, 33. 32. Adde Val. M. 4. 1. 3. et hoc est illud Taciti, 6. 48, 5. 'Vi dominationis convelli et mutari.' Vide tamen Liv. 9. 18, 11. et 32. 28, 2. et Nostrum infra, 2. 16, 4. item Polyb. in excerpt. Vales. p. 216. *Id.*

Consulesque] De his primis Coss. Liv. lib. 1. et 2. Dionys. lib. 4. et 5. Auctor de V. I. cap. 9. 10, et 15. Eutrop. in 1. Orosius in 2. Advertendum, annum illum primum habuisse quinque Coss. Auctor Augustin. Civ. 3. 16. Macrobius, Sat. 1. 12. dicit, primos Coss. factos Calend. Jun. quem diem, ut ante annotatum est, Romani celebrabant. Plutarchus vero asserit, eos creatos Calend. Jan. Hinc servatum, ut deinceps semper Cal. Jan. Coss. crearentur. Lege ipsum Problema 18. *Cam.* Ceterum quod ad appellationem hanc, eandem cum Nostro rationem allegant Varro, ap. Nonium, voce *Consules*, l. 2. §. 16. de O. I. Cic. de Leg. 3. 3. et de Orat. 2. 39. Hieron. ad Esaiam, cap. 3. ad vocem *Consiliarius.* Fr. De etymo hujus vocabuli Lips. de Magistratib. Pop. Rom. c. VII. et alii, qui de eodem argumento scripserunt. Vossius in Etymol. h. v. recte emendat apud Nonium, *quod consulerent Senatum*, pro vulgato *Senatui.* Nam inde Consules appellatos esse probabilius est. Nec verum est, quod hic scribit Camers, Consules deinceps semper Kal. Jan. creatos fuisse. Nam nullum certum fixumque diem incundo Consulatui fuisse fere usque ad A. U. 600. e Dionysio et Livio ostendit Dodwell. de Cyclis Dissert. VI. §. 15. Et postquam Kal. Jan. solennes ineundo Consulatui cœperunt esse, tamen non eo die sed aliquanto ante creabantur sive designabantur Consules.

§. 3 *Tantumque*] Nec immerito: 'libertas' enim 'inæstimabilis res est:' l. 106. de R. J. Curt. 6. 6, 11. Ideo cum Græci liberi pronuntiarentur, 'Majus gaudium fuit, quam quod universum homines caperent, ut facile apparceret, nihil omnino bonorum multitudini gratius, quam libertatem esse:' Liv. 33. 18, 5. et 6. Adde infra, 2. 7, 14. *Fr. Incessere* absolute dicit, ut Sall. Cat. XIII. 'Libido

stupri, ganeæ, cetcrique cultus non minor incesserat.' Et Jug. XIII. et XLI. Pro quo etiam dicere potuerat 'incesserat animos,' et 'animis.' Vid. N. Heins. ad Val. Flac. v. 551.

Alterumque ex Consulibus] Improbant hoc factum Augustin. Civ. 2. 17. Cic. Off. 3. 10. Contra quos disputat Alber. Gentilis de arm. Rom. 2. 4. *Fr.* Immo probat Cicero l. d. Vid. ibi Grævium.

Ob nomen] Vide Agell. 15. 29. ex Pisone, quem fortassis nec recte capit. *Fr.* Plutarch. in Public. et Dionys. Liv. v. princ. etiam alias causas, cur Patribus suspectus fuerit, memorant.

Fascibus abrogatis] In Naz. legitur *obrogatis.* Aliud tamen 'obrogare,' aliud 'abrogare.' Legibus obrogatur, quibus contraria lex vel rogatio fit. Leges abrogantur, quæ antiquantur. *Sal.* Parum accurate. 'Abrogare legem' est legem veterem ante rogatione populi jussam et usu receptam contraria rogatione tollere, leges rogatas abrogare, ut Cic. Phil. v. 6. 'antiquare legem,' novam legem a Magistratu latam rejicere, antiquum retinere, neque id mutatum velle. Liv. v. 30. XXVII. 21. et XXXI. 6.

§. 4 *Itaque substitutus Valerius Publicola*] Mira est constantia omnium veterum libr. in falsa ac nihili lectione tuenda, quæ habet: *Horatius Publicola*: sic non solum Flori scripti manu codd. sed etiam Jord. habent. *Sal.* De hoc præter citatos, vide Plutarch. in vita: et Auctor. de Vir. illust. cap. 15. *Cam.* *Poplicola* autem scribendum esse Capit. Tab. testantur, idemque convincit nominis ratio, eo quod a 'populo colendo' illud cognomen in consulatu, antea 'Volusus' dictus, invenerit; tum quod δημοκηδὴς, hoc est, populum colens, Poplicola, a Plutarch. et Dionys. interpretatur. *Sta.* Videtur tamen ipsum 'publicum' deductum a *populo*, quasi 'populicum:' eoque alludit §. 1. Inst. de publ. judic. Quoniam autem Collatinus magistratu, non ita multo postquam eum suscepisset, abiit, Valerium hunc in ejus locum substitutum, primum Cos. fuisse dicit Cicero in Orat. pro Flac. cap. 11. et Plin. 16. 15. *Fr.* In *Horatii* nomine consentiunt om. sc. et ed. nisi quod varie scribitur *Oratius, Horvatius, Hortacius.* Alterum nomen in Naz. Pall. Ryck. Duisb. Fran. Voss. 1. et om. ed. est *Publicola*, in Regg. *Puplicola*, in Toll. Voss. 2. et 3. *Poplicola.* Et ita in Fastis Consular. ac Triumphal. præterquam in A. U. 293. ubi est *Poblicola.* In Fastis Anonym. Noris. et Idat. 'Publicola.' In Siculis Πουβλικόλας, et Ποβλικόλας. In Inscriptionib. 'Poplicola,' 'Poblicola,' et 'Poplicula.' Apud Plutarch. et Dionys. Ποπλικόλας. *Poplicola* scribendum contendunt Sigon. ad Liv. II. 8. et Pigh. ad A. U. 244. cum ratione etymi, tum propter auctoritatem Plutarchi ac Dionysii. Vid. cl. Drakenb. ad Sil. Ital. II. 8. Turnebus Advers. XXX. 28. existimat non rejiciendum *Poplicola*, sed leuius et concinnius scribi *Publicola.* Nam et 'Publicus,' inquit, ex 'Populicus,' et 'Publius' ex 'Populius' facta sunt mansuetiore sono. Et sic libri scripti Aurelii Vict. c. XV. ubi vid. eruditiss. Arntzenium. Eadem scriptura est in Cic. de Leg. II. 23. Quintil. Inst. Orat. III. 7. et Eutrop. I. 9. quibus locis nullam varietatem adnotant Interpretes. In Floro primus, ni fallor, Stadius edidit *Poplicola*, et post eum cl. Grævius; quos secutus sum. Nam et 'poplicus,' et 'poplicitus' scribebant veteres. Vid. Column. ad Enn. Ann. L. III.

Ex summo studio] Jord. habet tantum *summo studio.* Non intellexit veterem elegantiam, et Græcam, ἐκ πολλῆς σπουδῆς. Sic apud Plautum: 'Ex summa ope,' et 'Ex summis

viribus,' apud hunc eundem, et antiquarium Agellium. *Sal.* Add. Freinsh. in Ind. Salm. ad Solin. pag. 505. Scheff. ad Justin. VI. 3. et Barth. ad Claud. Præf. l. II. in Eutrop. vs. 25.

Ad augendam populi majestatem] Ryck. *ad augendum populi majestatem.* Sic autem veteres locutos esse constat. Justin. XXII. 'Posthæc Pœni ad persequendum belli reliquias, duces in Siciliam miserunt.' Virg. Æ. XI. 'Pacem Trojano a Rege petendum.' *Græv.* Vid. Perizon. ad Sanct. Min. III. 8. 4. et Græv. ad Justin. XIII. 3.

Fasces ei pro concione submisit] Plutarch. in Publ. Τὰς ῥάβδους ὑφῆκε τῷ δήμῳ, καὶ κατέκλινε: submisit, et inclinavit, i. e. in terram versus inclinatos a lictoribus teneri; non, lictores tantisper abire jussit, quoad concionatus esset, ut Bud. ad l. 14. D. de Offic. Proc., et, qui Budæum in proverb. 'submittere fasces' exscripsit, Brassicanus. Nam 'submittere' est deorsum mittere et inclinare, ut quum gladiatores 'submittere arma' dicit Sen. Consol. ad Polyb. c. XXV. et aliis locis ap. Lips. Saturn. II. 21. Lictores fasces humeris gestabant, ut Idem putat Elect. I. 23. Unde Virgil. Æ. VII. 173. 'Hic sceptra accipere, et primos attollere fasces Regibus omen erat.' Hos quum populo submitti voluit Publicola, ea re fatebatur 'populi, quam Consulis, majestatem vimque majorem esse,' ut Liv. II. 7. Hinc deinde proverbio dici cœpit 'submittere alicui fasces,' pro cedere, et inferiorem se fateri. Et eadem metaphora 'submittere arma,' quod proprie dicebatur de gladiatoribus se victos fatentibus. Vid. Bud. et Lips. loc. dict. et rursus hunc in Sen. ad Polyb. l. d. et de Provid. c. III. Atque inde *submittere* sæpe cedendi, seque inferiorem agnoscendi significationem habet. Sen. de Vit. Beat. c. XVII. 'Quare superiori verba submittis?' Quint. Decl. CCLVIII. 'Nisi auctoritatem paternam submisero.' Petron. c. CXXIII. 'Quem fracto murmure Pontus, Et veneratus erat submissa Bosporus unda.'

Jus provocationis] Legem hanc Antonius ap. Cic. de Orat. 2. 48. 'Patronam civitatis, ac vindicem libertatis vocat;' ea enim effectum est, ne Consul pro arbitrio in quemvis, ex odio forte, aliave injusta causa animadvertere posset, sed ubi populus comprobasset. Vide Liv. 10. 9, 4. Non absimilem morem Macedonibus, quamvis sub rege degentibus, olim fuisse, indicat Curt. 6. 8, 25. *Fr.* Cic. et alii ap. Sen. Ep. CVIII. Liv. VIII. 33. et Val. M. VIII. 1. 1. jam ante a Regibus provocationem ad populum fuisse tradunt. Negat Pomponius l. 2. §. 16. D. de O. J. Sed magis credo illis.

Et ne specie arcis offenderet] Quis hanc lectionem jure damnet? Maluit tamen Jord. *et ne species arcis offenderet.* Sal.

Eminentes ædes] Ædificaverat enim in summa Velia, et propterea suspicionem populi incurrerat, quasi arcem eam regno pararet. Vide Liv. 2. 7. Auctor. de Vir. ill. cap. 15. L. Higin. lib. I. quem citat Pædianus in Pisonianam. *Fr.*

§. 5 *Velificatus est*] Favorem civium captavit, aucupatus est. Vid. Freinsh. in Ind. Manut. et Græv. ad Cic. Ep. F. VIII. 10. et Turneb. in Agrar. I. 9. Add. Salm. in Solin. p. 781.

Quum studere] De conjuratione filiorum Bruti contra rempublicam præter Liv. et Dionys. 5. 7. et 8. 91. lege Val. M. 5. 8, 1. item Augustin. Civ. 3. 16. Plutarch. Paral. cap. 20. 21. 22. Claud. in Eutr. 1. 441. 'Natos (ita malim, quam *natis*) hoc dedere pœnæ Profuit, et misero civem præponere patri.' Sic enim hunc locum, ut plerosque alios ejusdem poëtæ,

castigavimus, quum autea non *patri*, sed *fratri* passim legeretur. Virg. Æn. 6. 821. ' Natosque pater, nova bella moventes, Ad pœnam pulcra pro libertate vocabit.' *Cam.*

Protraxit in forum] Hæc omnia ex more suppliciorum sumendorum apud Romanos. Vid. P. Fab. II. Semestr. 5. 7. et 10. Briss. Form. v. p. 481. Liv. XXVIII. 29. ' Nudi in medium protrahebantur, et simul omnis apparatus supplicii expromebatur; deligati ad palum, virgisque cæsi, et securi percussi.' *Trahere, attrahere*, et *protrahere* usitata sunt in ea re verba. Petron. c. CV. ' Attrahite ocyus nocentes in medium.'

§. 6 *Liber jam hinc*] Alio ordine libri: *Hinc jam liber.* Sal. Hoc nusquam inveni, nec scio qua auctoritate in postrema Amst. ediderint: *Jam hinc liber.* Salm. in exemplari suo scripserat, *liber hinc jam* vett. lib.

Tum pro gloria] Leguntheic libri: *mox pro finibus, deinde pro sociis, tum gloria et imperio, &c.* Sequitur abhinc non longe: ' Quippe quum patrii soli gleba nulla, sed statim hostile pomœrium:' ita ex veteri editione reposueras, optime et doctissime Grutere, cum antea excusi legerent: *gleba nulla esset:* uterque Pal. cum Jord. *quippe cum patrii soli gleba nulla sit, sed statim hostile pomœrium:* quæ lectio, nec tibi, nec ulli, opinor, qui sapiet, placebit. Naz. habet: *quippe cum patrii soli nulla gleba sit, statim hostile pomœrium.* Ex cujus vestigiis eamdem lectionem, quam tu ex veteri editione, elicimus, *sit* pro *set*, utrumque pro *sed;* quod ita crebro nobis occurrit membranas illas versantibus, ut dubitare vix possimus. Sed et pro *cum*, legimus, *cui*, hoc modo: *quippe cui patrii soli gleba nulla, set statim hostile pomœrium. cui, populo Romano.* quod indubitanter reponimus. *Sal. Gleba nulla sit sed statim* Ryck. *gleba nulla sit statim* Voss. 3. *gleba nulla sed statim* ceteri om. sc. etiam uterque Pal. ap. Grut. (etsi hic aliter Salm.) et vet. ed. *Cui* primus, ni fallor, e conjectura Salmasii edidit Freinsh. et post eum Grævius.

§. 7 *Quippe cui*] *Roma a principio*, ut docet Servius, Æn. XI. 598. ' Tantum unam Tiberis ripam tenebat.' Juv. Sat. 8. 265. ' Et quæ Imperii finem Tiberinum virgo natavit,' Propert. 4. 1, 8. ' Et Tiberis nostris advena bubus erat.' *Cam.* Latium urbi ab ortu, ab occasu Hetruria erat, a meridie Veientes, Sabini a septentrione, hostes Romanorum omnes. *Stad.*

Gleba nulla] Extenuat auctor, non tam historico more, quam oratoria licentia, ut major inde admiratio oriatur. Jam enim sub tot regibus, et omnibus, præter Numam, bellatoribus, aliquantum agri adquisiverant Romani. *Fr.*

§. 8 *Proximis quibusque*] Ita Macedones, ap. Justin. 7. 1, 4. *Id.*

Sub se redigeret] Scribendum est, *redegerunt:* ita Flori scripti Codd. ita veteres formis cusi. *Sal.* Ita visitur in omnibus Mss. et vett. edd. male recentiores, *redigeret.* Grut. *Redigeret* nusquam inveni: *redigerent* habet solus Reg. F: *sub rege degeret* Voss. 1. Ceteri sc. et ed. *redegerunt.* Tollius in Fortuit. c. XXIX. contra omnes libros præcipit legendum *redegit.* Mirum vero hominem, qui in libro illo ex omni stercore aurum vult colligere, hic pro auro nobis stercora obtrudere. Sall. Jn. XXVIII. ' Senatus a Bestia consultus est, placeretne legatos Jugurthæ recipi mœnibus; iique decrevere.' Liv. XXVI. 21. ' Exercitus Rom. iratus, partim, quod cum imperatore non devectus ex provincia esset, partim, quod in oppidis hibernare vetiti erant, segni fungebantur militia.' Id. XXXII. 18. ' Elatia clausit portas: nec, nisi vi cogerentur, recepturi mœnibus videbantur aut ducem aut exercitum Rom.' Vid. plura ap. Gron. de Pecun. Vet. II. 4. et III. 17.

Cap. 10 Historiam hanc scribunt Liv. 2. 10. Dionys. 5. 21. Auctor de Vir. ill. c. 11, et 12. Eutrop. 1. 11. Plut. in Parall. Augustin. Civ. 2. 18. Silius, 10. 482. Virg. Æn. 8. 646. *Cam.*

§. 1 *Pulsis ex Urbe Regibus*] Optimæ divi Naz. membranæ: *pulsis ex urbe regni*: alter Pal. *regiis:* forte, *regnis. Pulsis ex urbe regnis*, quod esset pro *regibus:* ut 'servitia' pro servis, 'conjugia' pro conjugibus, ita hic 'regna' pro regibus. Hoc dignum est elegantia Flori. *Sal.* 'Regna' pro regibus, Salmasius hoc loco, et in notis ad Treb. Pollionis Claudium cap. 5. Loquitur certe non absimiliter Florus infr. 1. 24, 3. 'Totam eam dominationem.' *Fr.* Inculcat rursum Salmasius 'regna' pro regibus apud Florum ad Spartiani Pescenn. Nigr. c. vii. et Treb. Poll. Claud. c. xiv.

Prima pro libertate] Exsequitur jam per partes, quod proposuerat supra, 1. 9, 6. *Fr.*

Porsena] Libri Toll. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et Edd. *Porsenna*, ut Virg. Æn. viii. 646. Et sic plerique scripti Livii, et aliorum, qui soluta oratione scripserunt. Vid. Gron. ad Liv. ii. 9. Horat. Silius, et Martial. *Porsena*, media brevi. Salmasius adnotarat: *Porsenna*, vet. *Prosenna.* Græci tantum unum ν habent. Πορσῖνος Dion. Hal. v. 21. Πορσήνας Plutarch. Public. Πορσίνας Polyæ. viii. 8. et 31.

Reducebat] Reducere volebat. Vid. ad i. 18. 12. *Tarquinium* Regg. et Magl.

2 *Et fame*] Qua tamen invictissima quæque facile expugnantur. 'Sæpius enim penuria, quam pugna consumit exercitum, et ferro sævior fames est,' ait Veg. 3. 3. et iterum, 3. 9. 'Fames (ut dicitur) intrinsecus pugnat, et vincit sæpius quam ferrum.' Plura dicam infra, ad 2. 18, 13. *Fr.*

Faucibus incubaret] E propinquo premeret et urgeret, quemadmodum qui faucibus ita adprehenduntur, ut propemodum strangulentur, sicut Philippus Cos. infr. iii. 17. 8. Plaut. Cas. v. 3. 3. 'Omnibus modis occidi miser; Ita manifeste faucibus teneor.' Cic. pro Cluen. xxxi. 'Quum faucibus premeretur.' Sal. Cat. lii. 'Catilina cum exercitu in faucibus urget.' Vid. ibi Wass. *Ipsius urbis* Fran.

Amicitiæ fœdera] Non tamen æquis conditionibus, quippe mulctavit eos parte agri, imperavit obsides, cognitionem causæ de bonis regiis suscepit. Dionysius, 5. 30. Plutarch. de mulier. virtut. cap. 20. Tacitus 'Urbis' etiam 'deditæ' meminit, H. 3. 72, 2. immo, quod non nisi sua quoque confessione victis imponi potest, 'in eo fœdere nominatim comprehensum invenimus, ne ferro, nisi in agricultura, uterentur.' Plin. 34. 14. *Fr.*

§. 3 *Quæ nisi in annalibus forent*] Melius liber Naz. *qui nisi in annalibus forent.* Mucius Scævola, Cœlia; non enim ad prodigia refertur. Alter Pal. *quæ nisi in annalibus foret:* ut ad solam Cœliam referatur: male. *Sal.* Ita infra, 1, 12, 11. de Veiis. In facto Coclitis, non absimili a Nostro figura, Livius, 1. 10, 11. 'Rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei.' *Fr. Qui nisi in annalibus forent*] Hanc libri Naz. scripturam asserit quoque Ryck. Est familiaris optimis scriptoribus locutio. Terent. 'Scelus qui me perdidit.' *Græv.* Cum Naz. consentit Voss. 3. et, ut puto, Regg. In Ryck. per compendium scriptum est q͡, qua nota scriba illius libri quamplurimis locis usus est pro *quæ*. Sic i. 7, 7. q͡ *superbia.* ii. 6, 7. q͡ *inquit mora.* ii. 8, 5. *toto orbe* q͡*rebat.* Item ii. 18. 2. iii. 3, 1. iii. 10, 11. *Qui* in eodem libro notatur lineola per imam literam *q* ita trajecta *q*, ut i. 1, 3. *siqdem.* i. 13, 21. *ne qs.* i. 18, 3. *quodqdem.* Ibid. n. 12. *q cum.* Et sic alibi. Non improbo *qui*, quod Grævius ac deinde alii ediderunt, atque etiam præfero: Cic. pro Sext. xvii.

'Duo importuna prodigia, quos egestas, quos æris alieni magnitudo, quos levitas, quos improbitas tribuno pl. constrictos addixerat.' Sed exprimendum putavi, quod inveni in plurimis sc. et om. ed.

§. 4 *Cocles*] Simile hujus virtuti facinus de Norvegiensi quodam milite, qui Anglos ad Derventam fl. pontem transituros solus cohibuit, est apud Polydor. lib. 8. Procopius etiam, fine primi Gothicorum de Principio et Tarmuto narrat, eos solos Gothorum impetum sustinuisse. 'Coclites' autem appellati sunt veteribus, 'qui altero lumine orbi nascerentur,' ap. Plin. 11. 37. Tzetz. Chil. 3. vs. 828. tales 'Coclios' appellatos esse scribit. *Fr.* Alii in universum ita dictos tradunt, qui tantum unum oculum haberent. sine discrimine utrum ita nati essent, an deinde alterum oculum casu amisissent. Vid. Varr. de Ling. Lat. VI. p. 77. Serv. in Virg. Æn. VIII. 650. Dion. Hal. V. 23. et Plutarch. in Public. ubi qui Dionysio est Κόκλης, Κόκλιος dicitur. Idque reponendum est ap. eumd. Plutarch. in præcept. gerend. Reip. in fin. pro eo, quod editur, ὁ δὲ Ῥωμαῖος Πόπλιος. Vidit Xylander, quum vertit *Romanus Cocles.* Sed corrupta vox deinde relicta est in Græcis.

Ponte reciso] Sublicium intelligit: atque Romanis hoc Coclitis periculo monitis, religiosum fuit posthac eundem pontem ex alia materia, quam ex ligno, construere. *Stad.* Plinius, 36. 15. unde Stadium hæc descripsisse puto, dicit de buleuterio Cyziceno, 'ædificium amplum, sine ferreo clavo, ita disposita contignatione, ut eximantur trabes sine fultura, ac reponantur. Quod item Romæ in ponte sublicio religiosum est, posteaquam Coclite Horatio defendente, ægre revulsus est.' *Fr. Ponte rescisso*] Lege *reciso*, ut Viri docti olim præceperunt. 'Recidere pontem' est minuere pontem parte dejecta, ut 'recidere sarcinas,' apud Suetonium: sed 'rescindere pontem' est pontem destruere. *Græv.* Flor. Berol. Dnisb. et V. E. *rescisso.* Idque etiam Vinetus, Grut. et Salm. in suis videntur invenisse: nam in eorum Edd. est *rescisso*, nec ulla varietas scripturæ ab iis adnotata est. Magl. Fran. Voss. et aliæ Ed. *reciso.* Regg. et Ryck. *recisso*, quod est, opinor, *reciso*, ut I. 1, 8. et I. 3, 4. in eodem libro *occissus.* Et tamen *rescindere* etiam de parte pontis dicitur. Cæs. B. G. VI. 29. 'Partem ultimam pontis quæ ripam Ubiorum contingebat, in longitudinem pedum CC. rescindit.' Et Liv. II. 10. de hac ipsa re: 'Exigua parte pontis relicta, revocantibus, qui rescindebant.' Eadem varietas est III. 10. 3.

Nec arma] Sen. Epist. 120. 'Non minus sollicitus, ut armatus, quam ut salvus exiret.' *Fr. Arma κατ' ἐξοχὴν* pro scuto, ut I. 18, 10. et sæpe apud alios. Vid. Serv. ad Virg. Æn. IV. 495. Scalig. ad Varr. p. 165. Salm. ad Treb. Poll. Claud. c. III. Cuper. Obs. I. 7. Nam scutum amittere inter præcipua delicta militiæ erat, de quo Lips. de Mil. Rom. V. 18. Horatium in Tiberi periisse auctor est Polyb. VI. 53. Cui, ut antiquiori et veraciori, potius fidem habendam esse, quam posterioribus, qui historiam exornare voluerint, censet Palmerius in Exerc. ad Polyb. p. 87. et ad Plutarch. p. 186.

§. 5 *Mucius*] Simile in Plutarch. Paral. cap. 2. Nec minore animo quidam Romanus Mithridatem aggressus est. Dio lib. 35. *Fr.*

Sed ubi frustrato circa purpuratum] Scripti omnes, quotquot vidimus aut evolvimus, *frustratum*, non *frustrato*, habent. non aliter veteres Jord. et sane non frustratus fuit ictus circa purpuratum, quem illo ictu occidit, sed circa regem. Hærebat animo persuasio legi posse: *Sed ubi frustratum, et circa purpuratum ejus ictu tene-*

tur. Sed, ut verum fatear, acute magis quam vere. nam vulgatam possumus defendere et exponere, immo et debemus. *Sal.* Lectio minime sollicitanda, utpote sustentata etiam auctoritate Pal. pr. et sec. solumque visitur illud *frustratum* in tertio. *Grut.* *Frustrato circa purpuratum ejus ictu*] Sic plane Ryck. cum vulgatis, et rectius quam omnes alii, quos Salmasius evolvit. Sensus est, eum non vulnerasse et occidisse regem, ut volebat, sed regium ministrum. *Græv.* Salm. sibi non constat: nam in exemplari suo ita scripserat, *frustratum* et *ictum* in pr. Pal. non item in aliis. Sed hoc quoque perperam, si Grutero credimus, qui *frustratum ictum* tantum in Pal. 3. *frustrato ictu* in Pal. 1. et 2. esse testatur. Et ita est in aliis om. sc. et V. E. ac Frec. *Frustruto circa purpuratum ictu* dicit, pro ipse se frustratus et errans, ictu non in Regem, sed in purpuratum ejus, quem Regem esse credebat, directo. *Frustratus* passive crebrum est apud Veteres. Colum. IV. 25. ' Qui cæsim vitem petit, si frustratus est.' Sisenna ap. Nonium in *Opinio:* ' Popedius opinione frustrata.' Sic Sall. Jug. LVIII. Vellei II. 43. et alii. Nam et ' frustro' dicebant, ut Diomed. Lib. I. p. 395. et Nonius in *frustro.* *Circa* pro in, vel, quod attinet ad, sæpe dicunt recentiores præcipue Scriptores. Suet. Cæs. c. LXIV. ' Alexandriæ circa oppugnationem pontis.' Et Claud. XIV. ' Novo circa Principem exemplo.' Plin. Ep. V. 14. ' Quem habuisset eventum postulatio Nepotis circa Tuscillum.' Sen. de Ira III. 32. ' Circa pecuniam plurimum vociferationis est.' Flor. I. 18, 22. et III. 19, 12.

Purpuratum] *Scribam* vocat Livius, 2. 12, 7. et Sidon. Carm. 5. vs. 74. Dionys. etiam, 5. 28. vocat, γραμματέα, quos multæ dignitatis fuisse elucet inde etiam, quod in pace Ætolis data excipiebatur: ' Obses ne esto prætor, præfectus equitum, scriba publicus.' Livius, 38. 11, 6. Adde Curt. 7. 3, 4. et 8. 11, 5. Corn. Nep. in Eumene: Arrian. 3. 1, 18. Nec ab his differe putem Hebræorum Regum scribas, quorum frequentissima in sacris libris mentio. *Fr.*

Injicit manum] Toll. Fran. et Duisb. *inicit.* Hoc Gruterus etiam e Naz. Pal. 2. et V. E. adnotat, et nihil certius esse dicit, quam ita semper unica litera *i* scribendum. Sane certum est, sæpissime in libris vet. et Inscriptt. scribi ' adicere,' ' inicere,' ' reicere,' ' conicere,' et alia cum *jacio* composita. Vid. Serv. ad Virg. Æn. IV. 549. Ant. Augustin. Emendat. II. 3. Carrion. Antiq. lect. I. 5. Gifan. Indic. Lucret. Barth. ad Claud. de Rap. Pros. III. vs. 134. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. IV. cap. 4. Broekh. ad Tibul. I. 9, 54. Burm. ad Vellei. I. 2. et Munck. ad Fulgent. Myth. II. 4. et III. 6. Sic Pandectes Florent. in l. 26. §. 6. de Condict. indeb. ' Idem Marcellus adicit.' l. 25. §. 9. de Ædil. Edict. ' In Edicto adicitur,' et l. 4. §. 1. de Eviction. ' Sed adicit in id demum,' quæ mutata sunt in *dicit*, *adjicit*, *dicitur*, *addit*. Vid. infr. c. XIII. §. 14.

§. 6 *Quem virum effugeris*] Quid hoc ad æstimationem viri, 300. an plus minusve habeat sociorum? putaveram leg. *quam parum.* Sed cum q. I. habeant, *quem vix*, melius emendat Berneccer. *quam vix;* explicatque, *quam vix effugeris*, hoc est, quam vix effugere poteris, ut istud, *effugeris*, futurum notet. *Fr.* Tollius Fortuit. c. XXVI. scribit, sibi quoque in mentem venisse conjecturam Freinshemii *quam parum*, et sic legi in Frec. Ita fortassis est in aliis Edd. Freculphi, quod Commeliniana habet, *quem effugeris virum.* Gronovius Obs. II. 25. putat locum prava distinctione laborare, et ita distinguendum: *Ut scias, inquit, quem virum effugeris. Idem trecenti juravimus.* Nempe Florus duo

dixerat: primum, 'ardentibus focis injicit manum;' deinde, 'terrorem geminat dolo.' His duo alia subjicit, quæ præcedentibus respondeant: priori, 'Ut scias, quem virum effugeris:' quasi dicat: Hoc ideo facio, ut scias, cujus viri manus evaseris: posteriori, 'Idem trecenti juravimus,' nempe ut caput tuum peteremus, quo terror Regis augebatur. Hanc distinctionem sequutus sum, quam etiam Ryckius et Periz. in exemplaribus suis probarant.

Quum interim] Sidon. Carm. 5. vs. 77. 'Cum forte satelles Palleret, constante reo, tormentaque capti Is fugeret, qui tortor erat.' Adde Sen. Epist. 24. *Fr.*

Tanquam manus Regis arderet] Ger. Vossius adnotaverat hæc inepte videri adjecta. Perizonius uncis incluserat, et adscripserat forte delenda esse. Certe valde frigent; præsertim vox *Regis*.

§. 7 *Sed ne quis sexus a laude cessaret*] Si plures essent sexus, haberet, quo se defenderet hæc scriptura, sed cum tantum duo sint, et de virili jam dixerit, parum apte, *ne quis sexus*. varietas facit non immerito, ut dubitem. Jordanis unus codex: *Sed ne sexus alter a laude cessaret*. alter Longobard. *sic quidem in viris, et ne sexus alter a laude cessaret*. Nazarianus, qui in omnibus, ἐσχάτη καὶ ἀναγκαία ἄγκυρα nobis est: *Sed ne quid sexus a laude cessaret*. Inde aliquis posset augurari excidisse vocem *alter*, ac legendum contendere: *Sed ne quid sexus alter a laude cessaret*. Sic enim hic auctor alibi loquutus est. Ut cap. seq. 'Inde in aciem profectus, ne quid a rustici operis imitatione cessaret.' Ita hoc loco: *ne quid cessaret a laude sexus alter*. Sed potius putem cum Naz. scribendum: *ne quid sexus a laude cessaret*. Optimi quidam auctores 'sexum' absolute pro muliebri sexu dixerunt. Inde in vetustiss. Glossis, sexus, γυναικεία φύσις exponitur. *Sal.* Non video, cur quemquam lectio isthæc offendere debeat, subnixa fide om. Mss. tam Vineti quam Pall. unico excepto Nazario, in quo *quid*; sed litera postrema excurrente extra terminos, ut videatur initio tantum fuisse, *qui*. Grut. Ceterum Romanis hoc loco quadraret, quod de Scythis prædicat Justin. 2. 1, 2. 'Non virorum imperio magis, quam feminarum virtutibus claruere.' 'Ceu sibi certantes, sexus quid possit uterque,' Claud. de Cons. Prob. et Olyb. vs. 201. qui tamen mendosus in sequenti versu. nam in omnibus, quæ vidi, exemplaribus legitur: *Hunc legere ad herum*. pro quo aptius substitueres: *Hunc legere thorum*. quæ sequuntur, luxata sunt, aut aliquæ ex naufragio tabulæ. Videtur enim Claudianus matres Romanas Græcasque comparasse isti matronæ. *Fr.* Naz. *Sed ne quid sexus a laude cessaret*. Quod tuetur Salm. docens *sexum* pro muliebri sexu sæpius dici. Sed hoc plurium, non unius glossarii auctoritate firmandum erat. Verius N. Heinsius vidit scribendum esse: *Sed, ne quid is sexus a laude cessaret, ecce et virginum virtus*. Ad sequentia enim referendum *is sexus*, perinde ac si Florus scripsisset: Sic quidem viri: sed ecce et virginum virtus, ne quid is sexus a laude cessaret.' *Græv.* Heinsius hanc conjecturam in libro suo deleverat, ut videri possit eam deinde improbasse. *Quis* de duobus recte dicitur. Phædr. III. Fabul. 13. 14. 'Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit.' Vid. Axen. ad I. F. 24.

Una ex obsidibus] Nota, feminas etiam obsides dari solitas antiquis temporibus, ut recte reprehensus videatur a Lipsio ad Tac. Ger. 8. 2. Suet. Aug. cap. 21. qui 'novum genus obsidum' appellat feminas. Meminit tamen obsidum feminarum etiam Polyænus, 4. 3, 30. et Dionys. I. 43, 1. *Fr.* Vid. tamen, quæ pro Suc-

tonio scribit Casaub. ad l. d. Tollius pro *data* conjecerat *datis*. non absurde.

Elapsa custodiam] Legendum: *elapsa*. Sal. Jure istud probat Vinetus, ante enim *custodia*. intruseratque Camers, *elusa custodia*. etiam contra Mss. Pall. in quibus extat lectio prima; nisi quod tert. *custodiæ*, nam Naz. habet *date lapsa custodiam*; sed statim inserta *a* litera, ab eadem manu. *Grut.*

§. 8 *Tot tantisque virtutum territus monstris*] Idem Naz. *monitis*. Cujus scripturam confirmat et Pal. alter. In priore quoque est, *monitus*. Sed *monstris* verum est. *Prodigia* supra vocavit. *Sal.* Ita edidi auctore Jordane, nam vulgati om. ut et Mss. *monitis:* interpretamentum scilicet alterius vocis. at 'monstrum' etiam in bonam sumitur partem, ut alibi ostendi; et habuimus I. 7. 11. 'Monstrum pulcherrimum.' *Grut.*

Liberosque esse jussit] Eadem phrasis in Martialis Ep. lib. 9. 89. *Fr.*

Plane quasi adulterum] Ista verborum circuitione Florus subindicare videtur, Arruntem Tarquinium Lucretiæ vim attulisse, quem tamen omnes, quos equidem legerim, (præter unum Servium, Æn. 8. 646.) Sextum vocant; etsi Dionysius, 4. 72. eum natu maximum filiorum Superbi regis nominet; Livius, Ov. in F. 2. 691. minimum. Brutum hoc anno in magistratu cæsum esse, ideo Dio lib. 46. et Obseq. cap. 139. annotavit, quod omnes, qui collegæ imperium abrogassent, eodem in magistratu periisse observatum sit; quod et ipse exemplis confirmare nititur. *Stad.* Verba, 'tamdiu dimicaverunt donec,' indicant hoc ad extremum post diuturna bella cum Tarquiniis gesta accidisse. Sed e Plutarcho in Public. Dionys. et Livio id non multo post exactos Reges, et antequam Porsenna Urbem obsideret, factum constat. Præterea et aliud in his verbis reprehendit Grævius, quem vid. in Præfat.

Ad inferos usque sequeretur] Melior est et auctior libri Ryck. scriptura: *Plane quasi adulterum ad inferos usque insequeretur*. Est enim insequi, ad ulciscendum persequi. Cic. pro Sexto c. XI. 'Hi non modo negando, sed etiam irridendo amplissimum quemque illius ordinis insequebantur.' Sic 'insequi stricto gladio' apud eundem legitur. *Græv.*

CAP. 11 Historiæ hujus auctores sunt Livius, 2. 19. Dionys. 6. 2. Plutarch. Coriol. cap. 3. Val. M. 1. 8, 1. Fenest. tit. 13. Auctor de Vir. ill. cap. 16. Lactant. 2. 8. Eutrop. 1. 11. Oros. 2. 13. *Cam.*

§. 1 *Æmulatione et invidia*] Ryck. *Æmulatione et invidia pulsos*. Male mox idem codex *apud Regilum Lacum*, pro *Regillum lacum*. Sic Cic. Liv. aliique scriptores idonei semper hunc lacum appellant, non *Regilli*, ut editi hic, et apud Victorem. Livius lib. II. 'A. Posthumius Dictator, T. Æbutius magister equitum, magnis copiis peditum equitumque profecti ad lacum Regillum, in agro Tusculano agmini hostium occurrerunt.' Cic. II. de Nat. Deorum: 'Apud Regillum lacum bello Latinorum.' Ap. Græcos 'Ρηγίλλη γίμνη. Potest vulgata defendi, si ita accipiatur ut mons Soractis, flumen Rheni. Sequentia *uti peteretur cursu*, merito sunt suspecta Freinshemio. Nullum enim currentium spacium erat. Forte legendum: *uti peteretur incursu*, hoc est, impressione facta in hostilem exercitum magna vi, in quem jaculatus erat signum Posthumius. Propter eandem causam nonnunquam signa in hostilia oppida fuerunt projecta, ut impetus militum muros subeuntium incenderetur et acrior redderetur. Piaculum enim erat Romano militi signa in hostium potestate relinquere, quia sancta habebantur, et erant quasi Dii quidam castrenses. *Incursu* legendum etiam sequentia docent. Nam propter eam-

dem caussam Magister equitum exuere frena imperavit equitibus, propter quam dictator signum injecerat in agmen hostile. Quæ illa fuerit, dicit ipse Florus, ' quo acrius incurrerent.' *Græv.*

Latium] Hodie *Campagna di Roma*, quasi territorium Romæ dicas: Incolæ 'Latini' dicuntur, etiam 'Prisci' nominati, teste Dionys. et Festo. Nam priusquam Roma conderetur fuerunt. Dicti etiam 'Casci,' ut putat Scalig. ad Varronem: postea 'Æneidæ' et 'Romani,' ut Suidas notat. Dividitur Latium in antiquum et novum. Antiquum a Tiberi ad Circeios, novum hinc ad Lirin flumen. *Pon.*

Mamilio Tusculano duce] Perperam in Palatino priore: *Manlio.* Ceteri omnes, et recte quidem, *Mamilio* legunt. Is Mamilius Octavianus Livio. *Sal.* Ita bene, sed tamen vet. ed. et aliæ *Manilio.* Pal. sec. *Manulio.* tert. *Manlio.* restat tamen prima lectio in Nazar. *Grut. Mamilio* Regg. et Voss. 1. 2. *Manilio* Toll. Duisb. Voss. 3. et edd. vett. *Mallio* Fran. *Manilius, Mamilius,* et *Manlius* sæpe confundunntur. vid. Rivium, et alios ad Sall. Jug. c. XL. Mamilius autem non Octavianus, ut hic Salmasius, sed Octavius dicitur Livio. Gron. ad Liv. I. 49.

Quasi in regis ultionem] Hanc nempe caussam prætexebant, cum invidia esset, et metus augescentis Rom. potentiæ. quod et Plutarchus tangit in Coriol. cap. 3. Notandum igitur duas plerumque caussas bellorum esse, aut plures, quarum favorabiliores in vulgus vulgentur; secretiores, quæ interdum solæ caussarum nomen merentur, reticeantur. Respicit huc Thucyd. 1. 23, 17. quem ex interpretatione illustris Enenckelii adscribere libet: *Equidem verissimam caussam, sed minime verbis agitatam, Athenienses, fuisse reor: qui Lacedæmonios, potentiæ viriumque suarum metu, in arma egerunt. Quæ autem in speciem palam ferebantur caussæ, &c.* Dionys. excerpto III. de Legat. *Aperta Samnitici belli caussa, et cujus prætextus apud omnes speciosius vulgari poterat, erat Lucanorum protectio, &c. sed occulta caussa, et quæ magis amicitiam dirimere cogebat, erat Samnitum potentia, &c.* Sal. Hist. 3. 4, 17. 'Dicta alia: sed certatum utrinque de dominatione.' Lege pulcherrimum prudentissimi Polybii locum Hist. libr. 3. cap. 6. et 7. Vis verbo dicam? nimium parum abest a vero illud Platonis Phæd. Διὰ γὰρ τὴν τῶν χρημάτων κτῆσιν, πάντες οἱ πόλεμοι γίγνονται. Exempla plura, quamvis non legere tantum, sed et propemodum cernere liceat, sunt apud eundem Thucyd. 3. 14, 3. et Justin. 4. 3, 5. (ubi nota Berneggeriana) et 30. 3, 6. Itemque nostrum infra 2. 2, 4. Dion. lib. 40. p. 136. A. 137. C. 152. A. Sex. Ampelius: 'Belli species magis quam caussa fuit, negatus a Senatu Cæsari consulatus.' Adde Leuncl. Annal. Turc. pag. 458. Zonaræ tom. 2. pag. 51. et 98. Liv. 36. 6, 1. *Fr.*

§. 2 *Regilli lacum*] Regillus est lacus in agro Tusculano, ad Algidi nemoris ingressum. Hodie *Lago di S. Prasso* appellatur. *Pon.* De lacu Regillo vid. Holsten. pag. 191. Adnotat. ad Cluverii Ital. Antiq. 'Regilli lacum' etiam dicit Aurel. Vict. c. XVI. quemadm. infr. II. 6, 18. 'Torrens Vergelli,' et alia hujusmodi apud alios.

Postumius] Qui, ob hanc victoriam 'Regillensis' est appellatus. *Pon.* 'Postumus' tam commune, quam proprium, et *Postumius* semper sine adspiratione scribenda esse, dudum docuerunt Sigon. ad Liv. II. 16. Cujac. Obs. III. 4. et in Notat. ad Roberti Animadv. II. 1. et 2. Guil. Canter. Nov. lect. II. 10. Torrent. ad Horat. Carm. II. 14. et Brisson. de V. S. Regg. et Toll. *Posthumius.* Ceteri s. et vett. ed. *Postumius.* Freinsh. in Ind. frustra conatur defendere alteram rationem scribendi.

Dictator] Dictatorem dicendum esse in rebus trepidis ex SC. ab altero Coss. cautum erat. Cos. itaque nocte ex Consularibus viris unum dicebat, qui cum summa potestate, et sine provocatione, reipublicæ præesset. *Stad.* Vide Liv. 4, 17, 10. et 9. 38, 14. et l. 2. §. 18. de O. I. *Fr.*

Signum in hostes jaculatus est] Mirum, unde vitiosa lectio in omnes, etiam optimos, codices irrepserit: *Dignum in hostes.* Non meminit Livius illius signi in hac pugna jacti in hostes ut repeteretur. Ait tantum, Postumium dictatorem cohorti suæ signum dedisse, ut, quem suorum fugientem viderent, pro hoste haberent. Hoc tamen de signo in mediam hostium aciem projecto, ut magna vi repeteretur, ab aliis imperatoribus usurpatum memini. Quod novum et insigne commentum, a Postumio dictatore primum institutum heic vult Florus: quum a Servio Tullio multis ante annis usurpatum fuerit. *Sal.* Signum deseruisse summum militiæ flagitium erat. Ov. F. 3. 113. 'Non illi cœlo labentia signa tenebant, Sed sua, quæ, magnum, perdere, crimen erat.' et propterea maximum ad pugnandum incitamentum, signa jecisse in hostes. Quod sæpius tentatum Romanis, prospero eventu. Vide Liv. 3. 70, 12. 4. 29, 3. 25. 14, 5. 34. 45, 11. 41. 4, 1. Cæs. de B. G. 4. 25. Ammian. 16. 30. Val. M. 3. 2, 20. Frontin. Strat. 2. 8. *Fr.*

Novum] Immo a Servio Tullio multis ante annis usurpatum. Frontinus loco modo citato. *Fr.*

Cursu] Nescio quid hoc ad rem faciat? non enim cursu repetendum erat signum (nec enim vacabat currere) sed manu et armis: forte legi posset *rursus;* quamvis nec mihi satisfaciat. Vel potius ita; *peteretur. Rursus Cossus, &c.* sensu quo sæpius *iterum* legitur. *Id.* Periz. et Tollius conjecturam adscripserant, *ut repeteretur.* N. Heins. *uti repeteretur.*

§. 3 *Cossus*] Ἀνιστορησία est in nomine *Cossus* pro T. Æbutio Elua. Cossus enim Magister equitum fuit, Æm. Mamercino Dictatore, A. U. C. 327. *Stad.* Sigonius putat, inhæsisse memoriæ Flori facinus illud Cossi, cum hæc scriberet, idcoque huc retulisse. Errasse denique Florum inter omnes convenit, excepto F. Robortello, qui vocem illam *Cossus* expungit. *Fr.* Vid. Robortel. Emend. II. 24. Sigon. Emend. II. 24. et in Defens. Scholior. Liv. ad Liv. II. 19. Sigonio Florum erroris arguenti adsentiuntur Schott. ad Aur. Vict. c. XVI. et Perizon. Animad. Hist. c. VII. p. 318.

Exuere frenos] Simile apud Val. M. 3. 2, 9. Liv. 40. 40. 5. ubi dicit: 'Id Romanos equites sæpe cum magna laude fecisse sua, memoriæ proditum est.' *Fr.*

§. 4 *Ea demum atrocitas fuit prælii*] Parum convenit hoc loco hæc dictio *demum.* Legitur in Pal. 1. *Eademque.* pronum est corrigere: *Ea denique atrocitas fuit prælii.* Sic capite sequenti: 'Ea denique visa est prædæ magnitudo.' et alibi passim. Sic etiam meliores libri hoc loco legunt. *Sal.* Ita aperte Naz. ac Pal. 2. accedebatque tertius et edd. primæ, in quibus *Eademque.* post cusi, *Ea demum.* Grut.

Castorem atque Pollucem] Affirmant hoc uno ore Plutarch. Coriol. cap. 5. Dionys. 6. 11. Val. M. 1. 8, 1. Cic. Tusc. Q. 1. 12. f. et de N. Deor. 2. 2. f. Frontin. Strat. 1. 11, 8. Similia Noster infra, 2. 12, 16. Justin. 20. 3, 8. Cedren. p. 617. 30. Plura congessit Zwinger. vol. 3. lib. 11. *Fr.* In Ryck. Duisb. V. Ed. et recentioribus quibusdam distinctio maxima est ante *Castorem,* non ante *duos.* Et sic Heins. et Perizon. fecerant in suis exemplaribus. Ceterum recte Rupertus ad h. l. et Broekh. ad Propert. III. 21. 26. reprehendunt Florum, qui contra præceptum prudentissimi Polybii II. 56. et III. 47. 48. in historiam et se-

riam narrationem Deos et heroas, tanquam in tragœdia ex machina, inducat. Præterea, dum nimius est in exornanda fabula, et ostentando acumine declamatorio, fortassis inepte memorat stipendium, quod ea ætate nondum constitutum erat militibus.

Dubitavit] Ita olim cusi; ita triga Palatinorum. *Grut.*

Pactusque] Sic Pall. omnes sic et V. E., ne cui adhuc placeat Camertis *nactusque.* Grut.

Et reddidit plane quasi commilitonibus diis stipendium] Melior etiam hac parte, ut in omnibus, Naz. qui legit: *et reddidit quasi stipendium commilitonibus diis.* Et sic quoque Pal. 1. Alter, ut posterioris ævi, ita etiam deterioris notæ, sincerum incrustat, vocibus additis: *et reddidit plane quasi stipendium militibus, commilitonibus diis.* ea licentia fuit, aperta vi grassandi in bonos auctores. *Sal. Et reddidit plane quasi stipendium commilitonibus Diis*] Positio verborum pendet a fide trium Pal. nisi quod sec. interjiciat vocem; *stipendium militibus commilitonibus.* Vulgabatur prius: *plane quasi commilitonibus Diis stipendium.* Res quidem eodem redit, sed videbatur repræsentandus librorum consensus. *Grut.* Rotundiora hæc essent et planiora si deleretur *Diis.* Forte hæc vox irrepsit ex interpretatione magistri, qui adscripserat voci *commilitonibus τὸ Diis,* ut tyronibus ostenderet, quinam fuissent illi commilitones, quibus hoc stipendium dedit. Sed quoniam veteres libri omnes retinent *Diis,* distinctione et levi transpositione possemus huic loco mederi, scribentes, *et reddidit, plane quasi commilitonibus, stipendium Diis.* Græv. Sequutus sum ordinem verborum, qui est in Ryck. Regg. Magl. Berol. Duisb. et v. e. Freinsh. quoque et Grævio probatum. *Reddidit* Ryck. et al. Edd. sine distinctione conjungunt cum seqq. Duisb. et V. Ed. post eam vocem distinctionem habent, nec male. *Pactus victoriam templa promisit et reddidit* Diis, est, vovit Diis templum, si victoriam sibi darent, ac deinde victoria potitus votum reddidit, templumque iis fecit. *Promittere* et *reddere* sunt verba votorum. Catul. Carm. LXV. vs. 103. 'Munuscula divis Promittens, tacito suspendit vota labello,' et XXXVII. 'Acceptum face redditumque votum.' Vid. Stat. ad Catul. Briss. Form. p. 103. et Broekh. ad Tibul. III. 5, 33. Et *pacisci* de eadem re ap. Horat. Carm. III. 29. 59. 'Votis pacisci, Ne Cypriæ Tyriæve merces Addant avaro divitias mari.' Livius II. 20. et 42. uni Castori a Postumio ædem votam scribit. Sed ibi nomine Castoris etiam Pollux continetur, ut apparet e Dionys. VI. 13. et Aur. Vic. c. XVI. Vid. Interpp. Suetonii ad Cæs. c. X.

§. 5 *Mox de finibus*] Alterum membrum divisionis propositæ, 1. 9. 6. *Fr.*

Sine intermissione] Grut. legit, *sine missione;* quod est infra, 3. 20. 14. *Id.*

§. 6 *Sora*] *Soram,* Volscorum oppidum, in Campania fuisse invenio, defecisse ad Samnites bello Samnitico, interfectis Romanis colonis, A. U. C. 438. eamque, ob situm expugnatu difficilem, Sorani transfugæ indicio captam: Colonorum cædis ac deditionis auctores 235. Romæ virgis cæsos ac securi percussos. *Stad.* ex Livio, 9. 23. et deinceps. *Fr.* *Ora* in plerisque vett. esse in exemplari suo scripserat Salmasius.

Algidum] In Jordaneis *Alsium.* Ptolemæo, *νέον κάστρον, πύργον ἄλσιον.* Stephano Ἄλγιδος, quod *Algidum.* Sed aliud *Alsium.* Sal. Oppidum est Æquorum, non procul a Tusculo, in alto monte situm. et 'mons Algidus,' qui distat ab urbe c. stadiis, et 'silva Algida,' in cujus ingressu est Regillus lacus. Circa hunc locum Gracchus Æquorum dux, L. Minucium Cos. cum exercitu obsederat, quo nuntio cum Romæ tre-

pidatum esset, Dictatorem dici placuit, dictus est ille Quinctius Cincinnatus, cujus historiam mox prosequetur. *Stad.* ex Livio, 3. 25. et deinceps. *Fr.* De Algido vid. Jac. Gronovii Dissert. Epist. tertiam de Livii locis Geograph. ejusdemque, et Fabretti scripta adversaria.

Terrori fuerunt] Quidni fuissent? vicinæ civitates, magnitudine et viribus nihilo tunc inferiores. *Vin.* Sed Florus hoc dicit, ex præsenti habitu rem æstimantibus vix credibile fieri, tantam urbem ita debilem olim fuisse, ut hæc oppida terrori esse potuerint. *Fr.*

Satricum] Urbs Antiatum in Latio, incensa est a Latinis, indignitate irritatis, quod Antiates urbem agrosque dediderant. A. U. C. 377. Stadius: ex Livio, 6. 33, 5. *Id.*

Corniculum] Latini nomiuis oppidum, a Tarq. Prisco expugnatum, direptum, et incensum invenio. Latinos, istam cladem agri Romani populatione ulturos, a Prisco rege coërcitos, et excursione in ipsorum agrum facta æquali clade ultum esse: Stadius. ex Dionys. 3. 73. *Id.*

Verulis] Oppidum est Hernicorum, in Latio item, haud procul Roma. Male in libris nonnullis est *Veis.* Livio est 'Verulanum,' 9. 42, 12. et 6. 43, 14. [illud tamen Livii, ad incolas, non urbem, referendum, ut, cum 'Verulanum' dicit, pop. intelligere videatur, sicut iisdem locis, 'Alatrinatem Ferentinatemque'] Coloniæ 'Verulæ' (sive 'Verularum') meminit Frontinus. Nunc *Verulo,* teste Leandro. *Pon.*

Bovillis] Bovillæ hodieque notæ. Et extant tenuis istius municipii reliquiæ, circiter medium ab urbe lapidem, in via Appia. *Pon.* Aliter Cluv. Ital. Antiq. 3. 4. Vet. interpres Persii ad Sat. 6. 55. 'ad undecimum lapidem Appiæ viæ' collocat, et 'quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus jam consecratus ibi comprehensus' sit, inde 'Bovillas' dictas asserit. Propertius propter vicinitatem 'suburbanas' appellat, 4. 1, 13. sicut et Ov. 'Orta suburbanis quædam fuit Anna Bovillis.' quemadmodum et Noster, n. seq. 'Tibur nunc suburbanum.' *Fr.* De Bovillis quædam huc pertinentia habet Sigon. ad Liv. IV. 49.

Pudet, sed triumphavimus] Eadem figura Martial. Ep. 2. 18. 'Capto tuam, pudet heu! sed capto, Maxime, cœnam.' *Fr.*

7 *Tibur*] Ad vigesimum ab urbe lapidem, Martial. Ep. 4. 57. ubi divites Romani prædia habuere, in quibus æstivo præcipue tempore commorabantur, propter aëris ibi temperantiam, ut ex eodem epigrammate patet: itemque Sen. de Benef. 4. 12. Agel. 19. 6. *Id.*

Præneste] Distat ab urbe in ortum stadiis ducentis, ejus situs a Strab. lib. 5. describitur. Prænestini, A.U.C. 374. ad portam Collinam signa intulerant, cum ingenti urbis, quæ tunc seditione laborabat, trepidatione. Dictator itaque dictus T. Q. Cincinnatus, fugat ad Alliam flumen Prænestinos, et Præneste capto triumphavit. Huic urbi frequenter exitiosa fuisse sua munimenta, idem Strabo testatur, propter Romanorum seditiones: ob loci enim firmitudinem eo seditiosi ab urbe pulsi confugere solebant, et munitione urbis sese tueri: quos dum alii repetunt et expugnant, Prænestini nulla sua culpa misere affligebantur. *Stad.* Vide etiam Nostrum infra, 3. 21, 49. *Fr.* 'Æstivas delicias' vocat Præneste, quod Romani per æstatem æstus vitandi causa eo secedere solebant. Erat enim aër ibi frigidior: unde 'Frigidum Præneste' Horat. Carm. III. 4. 22. et 'Gelida Præneste' Juv. Sat. III. 190. vid. Juret. ad Symm. Ep. I. 2.

Nuncupatis] Nota res; unum tamen Livii locum adscribere liceat, 41. 10,

7. ‘ Quum is *(de Cos. loquitur)* more majorum, secundum vota in Capitolio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab urbe esset.’ Cui adde alium apud eund. 45, 39. et præcipue 31, 14. *Fr.* Vid. Rutg. Var. L. v. 5.

§. 8 *Fæsulæ*] Cluverius Italiæ antiquæ lib. 2. pag. 510. ineptiarum arcessit Auctorem nostrum, quod commemorationi rerum Latinarum, Fæsulas, Hetruscam urbem, misceat. Sed quod supra, 1. 7, 4. pro defensione Nostri attulimus, hunc quoque locum tutum præstet, multoque magis, quod hoc ipso cap. num. 11. ‘ Æquos et Volscos pervicacissimos Latinorum fuisse,’ dicat; cum neminem mediocriter in rebus Italicis versatum, nedum Florum, fallere potuisset, diversas a vetere Latio gentes esse Volscos et Æquos. *Latium enim complectitur multa etiam non Latina: nam Æqui, Volsci, Hernici, et circa ipsam Romam Aborigines, et qui vetustam habuerunt Ardeam Rutuli, aliæque majores minoresque civitates, quondam circa Romam habitaverunt, cum ea primum conderetur:* Strabo lib. 5. *Fr.* Pro Cluverio idem dici potest, quod supra ad 7. 4. Volscos, Æquos, et Hernicos saltem in novo, sive adjecto Latio fuisse; Fæsulas autem neque antiquo, neque novo Latio connumerari.

Quod Carræ nuper] Vetusta huic loco inoleverat menda, *Capreæ* pro *Carræ:* quæ adeo vetusta est, ut non solum uterque Pal. sed et omnium optimus et antiquiss. Naz. bona fide, eam agnoscant: recte viderunt eruditi legendum esse *Carræ;* Jordanei: *Charræ*, cum tamen non Græcis χάρραι sed κάρραι. Inepte vero Jordanes, qui iisdem verbis hæc refert in suis historiæ centonibus: saltem debuisset, *nuper*, omittere. Immane quantum intervallum inter Flori tempora, et Jordanis: Trajani, et Justiniani. at quis legens illa apud Jordanem, *quod Carræ nuper*, suspicari possit eum sub Justiniano vixisse? aut si sciat illis temporibus floruisse, non quærat, quid magnum aut memorabile gesserint apud *Carras* tunc temporis Romani? *Sal.* *Nuper* dicit de annis plus 150. Livius x. 37. de annis 60. Et ‘ modo ’ de 30. annis Id. vi. 40. ‘ Post aliquot annos ’ de spatio plus c. annorum Pompon. l. 2. §. 28. de Orig. Jur. ‘ Proxime ’ de annis 41. Suet. Domit. c. iv. Plura hujusmodi vid. in Ind. v. *nuper*, ap. Gronov. Obs. iv. 18. et ad Cic. de Off. ii. 21. Rupert. ad Pompon. l. d. et Schult. ad Sen. Controv. xii.

Aricinum] Aricia urbs fuit Latii, Appia via, a Roma 160. distans stadia, auctore Strab. lib. 5. quæ sunt viginti milliaria, vix quinque leucæ Aquitanicæ. Plura Strabo ibidem de Aricina silva. *Vin.* Cf. hunc locum cum 1. 17, 3. *Fr.*

Hercynius saltus] Vide multa ap. Cluv. Germ. Antiq. lib. 3. cap. 47. qui hoc loco sit instar omnium. *Id.* *Hercinius* Ryck. et Fran.

Fregellæ] Oppidum Latinorum non procul a Liri amne, a Samnitibus captum bello Samnitico, et a Romanis receptum A. U. C. 342. *Sta.*

Gesoriacum] Fuit portus Morinorum in Gallia Belgica, quod nunc Caletum, ut est opinio, dicitur: alii malunt Soiacum esse, juxta Audomari fanum. *Id.* Diverse scriptum hoc nomen reperitur: quidam *Gersoriacum.* Jordanei: *Cæsoriacum.* Editum vulgo in Ptolemæi libris: γισορρακόν. Scriptus codex: τησοργιακόν: depravatum pro γησορριακόν. Et ita legendum ap. Ptol. *Sal.* *Gesoriacum* et *Gessoriacum* libri Vin.

Tiberis, quod Euphrates] Perperam in omnibus scriptis nostris habetur, *quod Tigris, quod Euphrates.* Nisi cui rescribendum videtur: *Tiberis, quod Tigris, quod Euphrates.* Cui tamen mutationi non assensum præbeo. Cujus rei certas habeo rationes: præterea nemo non videt, Tigris nomen

ob viciniam Euphratis irrepsisse pro Tiberi. Nam libri, qui *Tigrim* illum præferunt, non exhibent *Tiberim*. Sal. *Tiberis*] Et istud est a Jord. Mss. et I. *quod Tigris, quod Euphrates:* inepte, opponit enim nemora, urbes, flumina. *Gru.*

§. 9 *Coriolus quoque, pro pudor, victus*] Ita edi voluit Vinetus, librorum suorum fidem sequutus, quibus nimium hac in parte credulus. Vera quippe est veterum excusorum lectio: *Coriolos quoque, pro pudor, victos, adeo gloriæ fuisse:* et quæ extat in Naz. et vetustiss. Jordaneis: quid si *pro pudor* præponas, hoc modo: *pro pudor! Coriolos quoque victos adeo gloriæ fuisse?* sed sensus idem, ex ordine vulgato. Nunquam sane effecerit Vinetus, ut 'Coriolus' sit idem, quod 'Coriolensis' aut 'Coriolanus.' *Corioli* nomen oppidi πρωτότυπον, qua forma aliquot Italiæ oppida vocata. Sic 'Gabii,' 'Carseoli,' dicti. Unde ἐθνικὸν 'Coriolanus.' Nomen urbis hujus Stephano est τὰ κορίολα, non οἱ κορίολοι. Nam Græcis nulla urbium nomina sic terminantur. *Sal.* Reduxi lectionem vulgatam ante editionem Vincti, tanquam planiorem. Libri ejusdem, *Coriolus q. p. p. victus, a. g. fuit.* sicque tamen Pal. sec. ac tert. sed non prim. bonitate et ætate longe prior; nisi quod is, *induceret*, haud etiam omnino malum: porro videtur vox *Coriolanus*, librarii potius quam auctoris. *Gru.* Vineti opinionem, qua 'Coriolum' pro populo accipi posse putat, arguit Salmasius, cum ab urbe 'Coriolis' incolæ non 'Corioli' appellari possint, sed 'Coriolenses' aut 'Coriolani.' *Fr.* Flor. Berol. Duisb. Reg. Q. Voss. 3. et Fran. consentiunt cum libris Vineti. Reg. F. *Coriolus q. p. p. victus a. g. fuisse.* Voss. 1. et Magl. *Coriolos... victus...fuit.* Voss. 2. *Coriolos...victos ...fuit.* Solus Ryck. hic consentit cum Naz. et Jordaneis. Et sic Edd. vett. præter primam, quæ cum reliquis scriptis exhibet lectionem librorum Vineti. Eam probat Vossius 1. de Anal. 12. et a Beroaldo mutatam putat, quem primum post inventam typographiam Floro medicam manum, sed sæpe nihil minus, quam medicam, admovisse dicit. A Beroaldo hoc profectum credibilius esset, si ante eum nulli fuissent scripti Codices, in quibus legeretur *Coriolos, victos*, et *fuisse.* At vero quum certum sit hos fuisse, æquius est putare, eum quoque in suis invenisse, quod edidit. Et hoc vel ideo præferendum est, quod apud Lat. Scriptores, Liv. Val. M. Plin. Aur. Vict. et Eutrop. nomen hujus urbis semper est *Corioli*, non *Coriolus.* Sed et verosimilius est, imperitos librarios, non intelligentes elegantiam et nexum orationis infinitæ, eam mutasse in finitam, quæ usitatior et planior ad intelligendum erat, quam e communi et aperto genere loquendi fecisse id, quod elegantius, et ab usu paullo remotius est. Nec tamen illius exempla desunt in bonis scriptoribus. Ter. And. I. 5, 18. 'Tantamne rem tam negligenter agere?' et Heau. IV. I. 17. 'O Jupiter! tantam esse in animo inscitiam?' Vid. Gronov. Obs. II. 14. et III. 9. Græv. ad Justin. II. 14. Quod Salmasius scribit Græcis nulla Urbium nomina in οι terminari, non intelligo. Et Periz. adscripserat: *Quid* Λοκροί?

Caius Marcius Coriolanus] Non *Caius*, sed *Gneus* appellatur in veteribus libris, et apud Jordanem. Titi etiam Livii Epitome *Cn. Marcium* vocat. Græcis semper Τάϊος: sed de hoc pluribus alias. *Sal.* Ryck. Regg. et Voss. 1. prænomen *C.* retinent, alii *Gnæus, Gneus, Gn. Cn.* Vet. ed. *Gneus*, aliæ omnes *Cn.* a Fran. prænomen abest. Ger. Vossius adnotaverat ab Aur. Vict. c. XIX. et Val. M. IV. 3. vocari 'Cn. Marcium,' a Zonara VII. 16. et Tzetze (Chil. Hist. III. 102. et Chil. Hist. VI. 60. Ed.

Bas.) Γναῖον. ap. Liv. etiam quondam fuisse lectum *Cn. Marcius Coriolanus*, sed id sola conjectura Sigonii nunc exsulare. Verum Sigonius ad Liv. Epit. lib. II. ostendit, libros scriptos Livii variare, et ex Dionys. et Plutarch. præfert *Caius Marcius*. Et sic Xylander ad Plutarch. Coriol. princ. Eadem varietas est in exemplaribus Aurelii Victoris. Gruteri suspicionem vocem *Coriolanus* Librarii potius, quam Auctoris esse, nonnihil confirmat Cod. Duisb. in quo ea minio scripta erat, ubi antea vacuum spatium fuisse videbatur.

Nomen induerit] Lectio hæc veterum editorum, quam si retinemus, legendum fuerit: *ut capti oppidi Cn. Marcius Coriolanus quasi Numantiæ aut Africæ nomen induerit:* sed nihil necesse. Palatinus uterque legunt: *nomini induerit:* nec secus Jordanis libri: eleganter dictum, 'captum oppidum nomini induere.' non item, 'captum oppidum nomen induere.' quod vix subsistit. Naz. habet: *induceret.* sic quoque placuit Vineto ex suis edere. Forte legendum: *ut captum oppidum nomini indueret.* Omnino tamen malim quod in Naz. est, et Vineti libris: *nomini induceret.* Captum oppidum nomini inducere, nihil aliud est, quam ex oppido capto cognomen adsciscere. *Sal. Nomini induerit*] Indicat Auctor, tam angustas tunc temporis res fuisse, ut exiguum oppidulum captum in nomen cesserit, cum posterioribus temporibus talia cognomina, nisi magnorum bellorum victoribus non adsumerentur. Coriolani certe gloria magnitudine posterorum ita obruta est, ut ipsum Livium fugere, aut siquidem succurrit, non dimovere potuerit, quin Africanum superiorem 'nomine victæ ab se gentis primum esse nobilitatum,' scriberet, 30. 45, 8. Idemque Silius, fine operis. Vives, ad Augustin. de Civ. Dei, 10. 21. f. Plura exempla sunt in Nostro infra, 2. 8, 14. 2. 15, 12. 3. 6, 5. 3. 8, 1. vide, si libet, quæ dicam, 4. 12, 28. *Fr. Nomini indueret*] Ryckii quoque Cod. æque ut Naz. et Vineti Mss. *nomini induceret*, quod probat Salm. Utraque locutio 'induere' et 'inducere nomini captum oppidum,' satis insolens. 'Induere adulationem,' 'simulationem,' 'dubitationem' ap. Tac. et Liv. leguntur non infrequenter. Sed hoc de ipsis dicitur qui simulant, aut adulantur. Nemo vero sic loquitur, induit alteri simulationem, adulationem. Est ergo hæc Flori cacozelia. Meliores scriptores dixissent, *capti oppidi nomen induit*, quod in tyronum gratiam moneo. *Græ.* Berol. Duisb. Voss. 2. v. e. et J. *nomen induerit.* Sic Liv. VI. 18. 'Hoc,' patroni plebis, 'mihi cura mea et fides nomen induit.' De phrasibus 'induere simulationem,' 'adulationem,' 'dubitationem' vid. Gron. Obs. I. 2. et ad Tac. A. I. 7. 'Nomen induere' est infr. IV. 4. 4. 'Induere,' vel 'inducere soleas pedibus,' et alia hujusmodi Latine dici nemo nescit. Sed vix quisquam sibi cum Begero persuadebit iis exemplis defendi posse phrasin, *oppidum nomini induere*, vel *inducere.* Probabilius dixisset, non Florum, sed scribas accusandos esse: nam ab his aliquid turbatum indicio est, quod in aliis libris est *nomen*, in aliis *nomini.*

§. 10 *Antio*] Volscorum erat in Latio metropolis, maritima urbs. *Pont.*

Quæ Mænius] Scriptum in Naz. cod. membranis ac Pal. 1. *Mænibus.* In 2. *Mænius.* Sed ille *C. Mænius* consul. Spolia illa de Antio, quæ in suggestu fori suffixit, rostra navium fuere. Inde loco nomen. Vide Liv. lib. VIII. *Sal.* Ita Cassiodor. 'His Coss. rostra navium de Antiatibus in foro fixa sunt.' Seneca tamen, de brevitate vitæ, cap. 13. 'Duillium primum classe vicisse' dicit: Epit. Liv. XVII. 'Primum navalem triumphum duxisse.' sicut et Plin. 34. 5.

ubi etiam nostram historiam firmat. Polyb. 1. 50. *Ante primum bellum Punicum Romanos mare ne cogitasse quidem* scribit. Alii jam tum A. U. C. 328. 'Classibus ad Fidenas pugnatum cum Veientibus in annales retulere.' quos explodit Liv. 4. 34, 6. *Fr.* Sed Livium non animadvertisse in vetustis illis annalibus 'classes' pro equitibus dictas, disputat Tan. Fab. Ep. I. 47. Sed non persuadet Phil. a Turre in Monum. Vet. Antii Cap. IV. Freinsh. et ante eum Lips. ad Sen. l. d. videntur dissensionem inter Florum et alios Scriptores statuere. Potius arguenda fuerat vanitas Flori rem contra fidem historiæ Livianæ in majus augentis, classesque captas, et bellum navale, quæ nulla fuerunt, comminiscentis. Nam naves Antiatum non pugnando captæ, sed Romanis, quum Antiates terrestri prælio victi fuissent, ex legibus pacis traditæ sunt. Liv. VIII. 14. Plinius non confirmat narrationem Flori, nec ullam pugnam navalem cum Antiatibus memorat: tantum dicit, Mænium in consulatu devictis Antiatibus rostra in suggestu fixisse. Hos autem terrestri, non navali prælio vicerat. Liv. VIII. 13. Reg. Q. C. *Menius*, Ryck. *Memius*. In Fastis et apud Livium '*Mænius*.' Apud Diod. Sic. lib. XVII. pr. male Μάνλιος, ut hic observat Vinetus, pro Μαίνιος. Sed Interpres ibi recte *Mænius*. In Fastis Sicul. itidem corrupte Μύνιος.

In suggestu fori] Vide Plin. 16. 4. Excerpta Dionis, apud Vales. pag. 645. Inde illud celebre nomen 'Rostra:' Varro de Ling. Lat. lib. 4. Liv. 8. 14, 12. Isid. 15. 2. Mamertinus, fine Genethliaci. Sic Augustus fecit post victoriam Actiacam. Suet. 18. 3. Vide Pausan. in Phocicis, p. 629. *Fr.*

Sed hic numerus] I. e. illis initiis Urbis bellum tam exiguo numero navium gerebatur. Perizon. Anim. Hist. c. V. p. 194. Potest etiam ita accipi: Quum tenuia sint omnium rerum initia, numerus sex navium illo tempore pro classe habitus, et ea classe, quamvis exigua, tum bellum navale gestum fuit.

§. 11 *Pervicacissimi*] De his lege Liv. lib. 3. et 4. Dionys. lib. 6. Auctor. de Vir. ill. cap. 17. Plin. 18. 3. Augustin. Civ. 5. 18. Eutrop. 1. 11. Oros. 2. 13. *Cam.* Adde Sigonium, de antiquo jure Italiæ lib. 2. cap. 5. *Fr.* *Vulsci* libri Vineti Regg. Fran. Duisb. (hic a secunda manu) et V. E. Vid. I. 18, 27.

Cotidiani] Ryck. Flor. Duisb. et om. ed. *quotidiani*. hæc ubique variant. Illud probant Laur. Abstemius in Face Crit. Grut. Tom. I. p. 887. et Dausq. aliique apud illum in Orthogr. Add. Græv. ad Suet. Tib. XXXIV. Hoc Manut. et Cellar. in Orthogr. et Gudius ad Phædr. Fab. III. 12. quos malo sequi.

§. 12 *Lucius Quinctius*] In omnibus libris, etiam antiquiss. mira constantia legitur: *Titus Quintius*. Error ergo Flori ipsius fuerit. Sub idem tempus vixere ex eadem gente, Titus Quintius Capitolinus, et Lucius Quintius Cincinnatus. *Sal.* *Titus* est in om. sc. et ed. præter Sab. et Ald. Vinetus nullam varietatem adnotavit, et Edd., quæ nomen illius præferunt, habent *Lucius*. Et sic semper Livius, aliique.

Dictator] In rebus creperis dictatores dicebantur, qui absoluti imperii essent, quod saluberrimum in administratione magnarum rerum, si summa imperii penes unum, ut loquitur Liv. 3. 70, 1. *Fr.*

Ab aratro] Præter ceteros Veget. 1. 3. ubi optimos a ture milites hoc exemplo et rationibus probat. Item Max. Tyr. in pr. dissert. 14. Plin. etiam 18. 5. 'Fortissimi viri et milites strenuissimi ex agricolis nascuntur.' Ad similem historiam alludit Claud. in Eutrop. 1. 454. 'Tuque, o, si forte piorum Jugera, et Elysios

scindis, Serrane, novales.' et Plin. 18. 3. de Quinctio vide Liv. 3. 26. et seqq. Rutil. Itin. lib. 1. vs. 556. 'Et Cincinnatos jugera panea dabant. Hæc etiam nobis non inferiora feruntur Vomere Serrani.' *Id.*

Marci Minucii] Livio dicitur 'Lucius Minucius.' Naz. h. l. *Marcum Mamilium* appellat. Pal. libri, *Manilium.* Jordanes, *Manlium*. Sal. Hoc eidem prænomen est apud Zonar. lib. 2. Auctor de Vir. ill. cap. 17. 'Quintum' vocat: reliqui passim, 'Lucium.' *Fr.*

§. 13 *Innixum aratro*] Incurvo corpore incumbentem. Ov. Met. VIII. 218. 'Aut pastor baculo, stivave innixus arator.' Nam hic est habitus corporis arantium. Plin. H. N. XLIII. 19. quem locum adscripserat Ryckius: 'Arator, nisi incurvus, prævaricatur.' Colum. I. 9. Prolixior arator 'in arando stivæ pæne rectus innititur.'

Lictor] Viator, Plin. H. N. XVIII. 3. Nam horum munus erat Senatores ex agris arcessere. Cic. de Senect. cap. XVI. Colum. præf. lib. I. et Festus in *Viatores.* Livius et alii legatos ad eum a Senatu missos scribunt.

Jugum] 'Tribus hastis jugum fit, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata:' Liv. 3. 28, 13. Dionys. 3. 28. *Fr.* Berol. Duisb. et vet. ed. *sub jugo misit*, ut Liv. III. 28. 'Sub hoc jugo Dictator Æquos' misit. Fortassis scriptum fuerat *jugom*, antiqua ratione scribendi. vid. ad Liv. l. d. Mox *redit ad b.* Ryck. Berol. Magl. Duisb. Fran. Voss. 2. et vet. ed.

§. 15 *Fides numinum*] In Naz. scriptum: *fide numinum.* Suspectum id habent Viri docti, nec temere: legendum omnino puto: *fidem numinum!* sic apud Comicos: 'hominum fidem!' 'Deum fidem!' ita legebam vel priusquam incidissem in scriptos Codd. perantiquos Jordanis, in quibus eamdem lectionem reperi, cum vulgo ejus editiones habeant, *numinum fide.* ineptissime. noli igitur dubitare quin verum sit, *numinum fidem!* aut, *fidem numinum!* Sal. Libri Vineti et alii partim *fides*, partim *fide. Fide* Ryck. Flor. Magl. Voss. 2. 3. *Fides* Berol. Duisb. Fran. Voss. 1. et om. ed. add. infr. III. 3. 7.

Bellum: prorsus] Reduxi distinctionem Camertis: nam postea Vinetus, *bellum prorsus: ut festinasse:* sic supra, I. 3, 9. et I. 10, 8. 'plane.' *Gru.* Ryck. Flor. Berol. Duisb. Fran. Voss. 1. et vet. ed. *peractumque prorsus est bellum, ut.* Sed rectius alii ex more Flori. Et sic sæpe Justinus 'prorsus ut,' 'prorsus quasi.'

CAP. 12 Historiam 306. Fabiorum scribunt Liv. 2. 4, 8. &c. Dionys. 9. 17. Eutrop. 1. 11. Oros. 2. 6. Auctor de Vir. ill. cap. 14. Agell. 17. 21. Euseb. Ov. F. 2. 195. Silius, 2, 3. et 7, 40. Serv. ad Æn. 6. 845. *Cam.* Adde Plutarch. Camil. cap. 30. Simile est quod scribit Suet. Vitel. 1. 5. 'Vitellios coloniam Vitelliam gentili copia adversus Æquicolos tutandam olim depoposcisse.' *Fr.*

§. 1 *Ab Etruria Veientes*] Ita reposuit Grut. noster ex veteri editione, cujus fidem sæpe nimis magni fecit. Non erat explodendum quod anteriores retinent editiones, quas confirmant hac parte omnes scripti qui legunt: *Assidui vero et anniversarii hostes ab Etruria fuere Veientes.* Pro titulo hujus capitis habet Naz. Cod. *Faliscum et Fidenate:* nempe, bellum. Hic et hæc 'Fidenatis' declinarunt, et hoc 'Fidenate.' *Sal.* Recepi hanc lectionem, quam veteres libri, et inter eos Ryck. nec non editiones pristinæ propugnant. *Fuere* perperam expunxisse Gruterum recte Salm. monuit. *Græ.* Grut. scribit in solo Naz. legi *fuere*, sed a duobus aliis Pall. abesse. Horum scripturam confirmant Regg. Magl. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et vet. ed. *Fuere* facile intrudi potuit ab aliquo existimante eam vocem desiderari ad perficiendam sententiam. Nec abhorret a consuetudine Flori concisa illa bre-

vitas Vid. I. 17, 1. II. 15, 1. III. 1, 1. et III. 2, 1. Itaque hoc probo. Sed reliqui quod auctoribus aliis libris volebant Salm. et Grævius. 'Hoc Fidenate' dici negat Voss. de Anal. II. 21. ac docet hujusmodi neutra semper exire in *as*. Salmasium nihil juvat titulus hujus capitis in Naz. quem a Floro esse ostendi non potest. *Hostes Etruria f.* Voss. 3. *Venientes* hic Pal. 1. et n. 4. *Veihientes*. Fran. utroque loco *Venientes*.

Privatumque] Privato sumtu, et milite, ut Fabius Cos. ap. Liv. II. 48. 'Nostrum id nobis velut familiare bellum privato sumtu gerere in animo est. Respublica et milite illic, et sumtu vacet.'

§. 2 *Satis superque idonea clades. Cæsi apud Cremeram trecenti, patricius exercitus, et scelerato signata nomine, quæ proficiscentes in prælium porta dimisit*] Nic. Heinsius sic legi jubet et distingui: *Satis superque idonea clades, cæsi apud Cremeram trecenti, patricius exercitus: et scelerato signata nomine, quæ proficiscentes in prælium porta dimisit.* Sic lib. II. cap. 11. distinguit idem: 'Præ tanta victoria leve hujus prælii damnum, (*tolle* fuit) alter consulum interceptus, &c. atque ita oppressus est.' Falsa vero esse, quæ de trecentorum et sex Fabiorum patricio exercitu tanto consensu veteres tradiderunt, ostendit cl. Perizonius, quia vix tot numero patricii omnium gentium patriciarum tum temporis, trigesimo nimirum post exactos reges anno, Romæ fuerint. Censet itaque hoc bellum gessisse Consulares Fabios Marcum et Cæsonem, et trecentos sex viros ad illud eduxisse, sed non omnes unius gentis Fabiæ, sed maximam partem suæ gentis clientes, qui dicti fuerint Fabii, quia non modo illis ducces fuerint, et auctores istius expeditionis, sed quia in se et suam gentem receperint illud bellum, ac per se et suæ gentis clientelas id gesserint. Vide pluribus hæc asserentem in elegantiss. Animadv. Hist. cap. 5. *Græ.* Vulgata narratio de 300. Fabiis ad Cremeram cæsis etiam Casaubono improbabilis visa fuit, qui ad Suet. Aug. XXXIV. futile παράκουσμα vocat. *Idonea clades* Freinshemio in Ind. satis magna. Est talis, quæ clades dici mereretur, quæ nomine cladis digna esset. Ov. Ep. Didon. v. 105. et Suet. Aug. XXXI. 'Idoneus auctor,' pro eo qui dignus est nomine auctoris, qui fidem meretur. Gell. v. 6. 'Hostium nomen humile, et non idoneum:' pro hostibus ne quidem dignis nomine hostium, quales sunt servi, piratæ, et gladiatores. Et *idoneus* pro eo, qui meretur aliquid pati apud Sal. Cat. LI. 'Novum illud exemplum ab dignis, et idoneis, ad indignos, et non idoneos transfertur.' Distinctio N. Heinsii concinnior videtur vulgata. *Idonea clade* Fran.

Trecenti] Ita feci, cum antea legeretur, *trecenti et sex:* quia rotundus iste numerus in tribus Pall. in vet. ed. et antiquis Vineti libris; decetque Annæum nostrum. *Gru.* 'Sex et trecentos' numerat Liv. 2. 49, 4. 2. 50, 12. eundem numerum habent Dionys. 17. 9. et Eutrop. Seneca de Benef. 4. 30, 3. 'trecentos.' Vide etiam notam ad præfat. 1. *Fr.* Additamentum *sex* respuunt om. sc. et Ed. Vet.

Scelerato signata nomine] Ita egregie Pal. 1. nam 2. ac 3. *signatur.* vet. ed. *signatum.* Gru. Videtur autem concinnior futura lectio, si prior etiam vox mutetur in *sceleratæ.* Ea autem porta ante 'Carmentalis' vocabatur. Ov. F. 2. 202. sed nomen mutavit ob emissos Fabios, quasi ipsa in cædem eorum consensisset. Ex simili argumento 'Sceleratus vicus' dictus est ap. Liv. 1. 48, 7. 'Sceleratus collis,' ubi Phalaridis taurus fuerat, ap. Diod. 'Sceleratus campus' ap. Liv. 8. 15, 6. *Fr.* Dio in Excerpt. Peiresc. p. 578. Romani 'portam

ipsam, qua ad bellum erant egressi [Fabii], perpetua infamia damnarunt, adeo ut per eam intrare, egredive Magistratibus nefas esset.' Add. Fest. in *Religioni*, et *Scelerata porta*. Dicta autem est 'scelerata' ab infelicitate exitus Fabiorum. Nam 'sceleratus' interdum significationem calamitatis habet. Sic 'Scelerata castra,' ap. Suet. Claud. I. in quibus Drusus obiit; 'Sceleratum frigus,' in Virg. G. II. 256. auctore Servio, nocens, omnia exurens. Vid. cl. Burm. ad Petr. c. LVI. Et 'sceclus' pro calamitate, infortunio, Guyet. ad Terent. Eun. II. 3, 34. 'Sceleratus vicus,' et 'Sceleratus campus' ob aliam causam ita dicti sunt. Vid. Fest. et Vales. ad Exc. Peiresc. l. d. Freinshemii conjectura *sceleratæ* non placet Perizonio l. d.

§. 4 *Rapti*] Freinsh. in Ind. 'Rapere' semper celeritatem notat et violentiam. *Raptos* tamen dicit Veientes, qui decenni obsidio vix subacti sunt. Sed *rapti* referendum est ad tempus, quo urbs expugnata, ac direpta est, ut in illis, quæ e Virg. Æ. II. 374. et Stat. Th. VII. 599. adnotantur in Lexicis. Stat. Th. VI. 114. 'Ut quum possessas avidis victoribus arces Dux raptare dedit; vix signa audita, nec urbem Invenias: ducunt, sternuntque, abiguntque, feruntque.' In Regg. male *capti*.

§. 5 *Falisci*] Forte rectius, *Faliscis*. Sunt autem ita appellati ab Haleso. Ov. F. 4. 73. 'Venerat Atridæ fatis agitatus Halesus, A quo se dictam terra Falisca putat.' 'Hi autem, immutato H in F, Falisci dicti sunt: sicut Febris dicitur, quæ ante hebris dicebatur: Formiæ quæ Hormiæ fuerunt, ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. Nam posteritas in multis nominibus F pro H posuit.' Serv. ad Æn. 7. 695. Ita 'hariolus,' quasi 'fariolus,' a fando. Turneb. Advers. 24. 17. Sic 'Hanula, parva delubra, quasi fanula:' Festus. Apud Hispanos usitata harum literarum invicem mutatio: ut, *Harto*, quasi *farto*: *Hyo* Portugall. *Fyo*: &c. *Fr.* Probat conjecturam Freinshemii Perizon. ad Sanct. Min. II. 12. Quam quum confirmet cod. Fran. non dubito, quin ea scriptura vera, et in contextum recipienda sit. In Servio ad l. d. Virgilii male editur, *Faliscos Haliscus condidit*, pro *Halesus*, ut recte laudat Salm. ad Solin. p. 44. Et sic est in Ms. Servio Bibliothecæ Daventriensis, et emendavit Spanh. Dissert. II. de Usu et Præst. Num. Antiq. pag. 107. Tamen in Indice Servii postrem. Edit. recte scriptum est *Halesus*.

Fides Imperatoris] Extat historia ap. Liv. 5. 27. Val. M. 6. 5, 1. Front. Strateg. 4. 4, 1. Auctor. de Vir. ill. cap. 23. Plutarch. Camil. c. 17. *Fr.* Principum Faliscorum liberos fuisse tradunt plerique, et Liv. V. 27. At idem XLII. 47. Regis liberos. Vid. ibi Sigon. et Gron.

Cum iis, quos eduxerat pueris] Istud etiam, *eduxerat*, eduxit et extudit idem ille amicus noster ex veteri editione, cum anteriores omnes habuerint, *cum iis, quos adduxerat*. Quod non debuit temere rejici. Certe pueros illos ex urbe obsessa eduxit magister iste, sed eosdem etiam in castra Romana ad imperatorem adduxit, sive, ut loquitur Livius, perduxit. Adde quod meliores libri heic etiam *adduxerat* tuentur. Cum eos ad imperatorem adduxisset, vinctus ultro ad urbem remissus, cum pueris, quos prodiderat. Varus, lib. II. Excellent. eam historiam sic narrabat his versiculis: 'Tum literator creditos Ludo Faliscum liberos, Causatus in campi patens Extraque muros ducere, Spatiando paulatim trahit Hostilis ad valli latus.' Primum versum emendavimus. Nam ap. Priscian. vulgo habetur, *Tum literator creditus*. Eduxit igitur eos primum ex urbe, hoc est, ut Varus loquitur, 'extra muros duxit,' aut, velut est ap. Liv. lib. V.

'ante urbem produxit,' deinde paulatim trahendo, ad vallum usque Romanum perduxit, vel adduxit. *Sal.* Keuchen. ad Front. IV. 4. 1. descripsit bonam partem eorum, quæ hic habet Salmasius, non nominato auctore; quod illi non insolens est. Leguntur hi versus in Priscian. lib. VIII. p. 823. Ed. Putsch. quos ad hanc historiam pertinere jam ante Salmasium viderat, et, pro *creditus*, *credites* emendaverat Schottus ad Aur. Vict. c. XXIII. Valesius in Adnotat. ad Excerpt. Peiresc. p. 82. et alios duos versus, a Prisciano lib. XII. p. 947. ex ejusd. Poëtæ lib. II. Excellent. relatos, huc referendos animadvertit, 'Seu tute mavis obsides, Seu tute captivos habe:' ita enim emendat, quæ apud Priscian. leguntur *malis*, *hospites*, et *habes*. Ceterum non scio, quo auctore Salmasius Varum vocet, qui Prisciano locis dict. et lib. XVIII. p. 1136. est Alpheus Avitus, Terent. Mauro pag. 2437. Alphius Avitus, et Senecæ Controv. I. et X. Alfius Flavus, ut putat Valesius. Gruterus e Pal. 2. et vet. ed. adnotavit *eduxerat*, sed e Naz. et Pal. 1. probat *adduxerat*.

Vinctum sibi] Id est, Faliscis. Vide similiter locutos Plautum et Cic. ap. Scalig. de Caus. Ling. Lat. lib. 6. cap. 129. quod ideo moneo, ne quis Camertem sequatur emendantem, *urbi remisisset*, vel, *subito remisisset*. Pon. Sic in l. S. §. 3. D. Mand. 'Qui ipse sibi mandaverat.' Quamquam in hoc Flori loco non possum non probare sententiam Soceri mei p. m. Matth. Bernecceri, qui putat, non hæc dici contra naturam reciprocorum. Nam orationem referri adhuc ad periodi principium hac serie: Faliscis *mira visa est fides Imperatoris, quod ludimagistrum* SIBI (Faliscis) *remisisset*. Fr.

§. 6 *Eam namque*] Tales olim Romani. Vide quæ notabo ad 2. 17, 17. *Fr. Sciebat esse vict.* Ryck. Voss. 1. 2. Fran. et edd. quædam.

Et integra dignitate pararetur] Melius: *pareretur*. Ita est in Naz. Ita sæpe Noster, et sæpius quidem etiam alii Auctores 'victoriam parere' dicunt, quam 'parare.' Supra Florus: 'Unius manu parta victoria est.' Sic etiam 'pacem parere' frequens apud Auctores. Aggenus. *Sal.* Gruterus quidem utrumque *pareretur* et *pararetur* bonum esse affirmat, sed tam propter Naz. cui omnes plurimum deferunt, quam Salm. auctoritatem, illud recepimus. *Fr.* Ryck. cum multis aliis et edd. *integra dignitate pareretur*. Mox idem Ryck. *direptionem urbis convocaretur*, pro vulgato, *ad direptionem urbis vocaretur*. Græ. In Ryck. clare scriptum est *pararetur*, ut et in Berol. Duisb. Fran. et V. E. Quod etiam in altero Pal. erat; in altero et Magl. *paretur*.

§. 7 *Ad terrorem movendum*] Vide omnino Gruteri ad Tacitum discursum tertium decimum. *Fr.*

Facibus armatæ, et discoloribus, serpentum in modum, vittis, furiali more processerant] Facium tantum meminit, non etiam serpentum, prælatarum a Fidenatibus eo prælio, Livius, lib. IV. 'Ignibus armata ingens multitudo, facibusque ardentibus tota collucens, velut fanatico instincta cursu in hostem ruit.' At in alio Faliscorum ac Tarquiniensium bello, quod a M. F. Ambusto iterum consule profligatum est, sacerdotes eorum populorum faces ardentes anguesque prætulerunt, ut idem memorat Liv. lib. VII. cujus hæc verba sunt: 'Inde terror maximus fuit, quod sacerdotes eorum, facibus ardentibus anguibusque prælatis, incessu furiali militem Romanum insueta turbaverunt specie.' Veros angues fuisse innuere videtur Livius. Florus fictos factosque e discoloribus vittis, qui et res diversas ac tempora miscet confunditque toto hoc capite. *Sal.* Etiam Sigon. ad Liv. VII. 17. adnotavit hæc aliter referri a Floro, quam a Livio. Nec videtur admittenda conjectura Gru-

teri et Ruperti in Liv. IV. 33. 'anguibus armata,' pro *ignibus*.

§. 8 *Veientium quanta res fuerit*] Recte in Naz. *Veientium vel quanta res fuerit, indicat decennis obsidio*. Etsi nihil aliud, vel decennalis obsidio potest indicare, quanta res Veientium fuerit. *Sal.* Historiam hanc lege ap. Liv. 5. 19. &c. Eutrop. fin. lib. 1. Plutarch. Camil. cap. 8. Diodor. 14. 94. Val. M. 5. 6, 8. Auctor de Vir. ill. cap. 23. Plin. 2. 98, 3. 5. 12, 17. Augustin. Civ. 2. 17. et 3. 17. Sic etiam Troja decennem obsidionem pertulit, ut notum est: idem de Lilybæo legimus in Ecloga 3. ex lib. 24. Diodori. *Fr.* Si hic ea esset vis particulæ *vel*, quam putat Salmasius, illa potius ad posteriorem partem orationis transferenda fuisset, hoc modo: *indicat vel decennis obsidio*. Postremi Editores quidem in contexu expresserunt scripturam Nazariani; quod mihi repugnantibus omnibus aliis libris faciendum non putavi. Gerard. et Is. Vossii e Naz. legebant *Vei quanta res*. Sane *vel* videtur ortum fuisse ex *Vei*; et fortassis scriba hic quoque duas variantes lectiones conjunxit, v. supr. 3. 3. et 8. Sed quod addit Isaacus, *Veientium* abesse a libris vett. non de omnibus verum est. In Naz. id non fuisse puto, etsi Salm. hic ex eo adnotavit *Veientium vel:* nam in exemplari suo vocem *Veientium* subtili linea transversa trajecerat, et scripserat *vel quanta res fuerit inmodicat*. Ita Naz. Cod. Gruterus quoque e Naz. solum profert *Vel quanta*, et ex eo conjicit *Veii quanta*. *Vel quanta* etiam Voss. 2. habet, *Veii quanta* Voss. 3. Sed *Veientium quanta* Pall. Flor. Reg. Q et Voss. 1. *Veientum* $\frac{q}{r}$. ceteri sc. et vet. ed.

Tunc primum] Legatur Lipsii de Mil. Rom. lib. 5. dial. 1. 5. et 16. *Fr.* Milites etiam æstate sub pellibus habebantur; sed in hac obsidione illud novum fuit, quod quum ante id tempus hieme semper arma deponi, et milites domum reduci solerent, tum primum obsidionis urgendæ causa sub pellibus hiemarunt. v. Lips. l. d. et Schel. ad Hyg. p. 1111.

Taxata stipendio hiberna] Non solum hiberna militum stipendio tum taxata, sed æra in stipendium militi Romano constituta, qui antea suo ære militabat, nec quidquam de publico accipiebat. Hiemare certe tum etiam in bello cœpit, et hibernacula ad hoc ædificata tandem habere, cum initio illius obsidionis sub pellibus hibernassent. *Sal.* Sententia horum verborum est: Novus et gravis labor hiemandi sub pellibus æstimatus, et quasi compensatus est stipendio tum primum militibus de publico dato, quum antea suo sumtu militarent. Sed, si Livium sequimur IV. 59. stipendium de publico dari cœpit anno ante, quam obsiderentur Veii: hiberna autem ut Idem scribit lib. V. c. 1. et 2. demum tertio anno obsidionis facta sunt. Vid. Schel. Dissert. III. in Polyb.

Nisi capta urbe non remeare] Nazarianus scriptum exhibet: *nisi capta urbe remearet*. Conjicio legendum: *Adactus miles sua sponte jurejurando, ne nisi capta urbe remearet*. Cum scriptum esset, *ni nisi*, pro *ne nisi*, ex similitudine ac concursu vicinarum sono syllabarum, duæ in unam iverunt. Sic infra: 'Extat trepidum,' pro, extat ad trepidum. Similia et aliis locis notavimus. *Sal.* *Nisi capta urbe remearet*] Ita Naz. ubi Gruterus conjicit excidisse particulam *ne*, ut fuerit, *ne nisi c. u. remear.* Salmas. forte leg. putat, *n. c. u. non rem.* Pro *ut nisi capta u. n. remearet.* sicut alibi locutum Auctorem observavit. Quæ quamvis omnia ratione non careant, dicere tamen ausim, eam ipsam esse scripturam Flori, quam Naz. exhibet; *Adactus miles jurejurando, nisi c. u. remearet.* hoc est: Si remearet nisi capta urbe, aut si remearet urbe non capta,

omnes illæ execrationes in caput ejus verterent. Vide similiter locutum in re non absimili, Liv. 10. 38, 10. 'Jurare cogebatur diro quodam carmine, in execrationem capitis familiæque et stirpis composito, nisi isset in prælium, quo Imperatores duxissent: et si aut ipse ex acie fugisset, aut si, quem fugientem vidisset, non extemplo occidisset.' Hic 'jurare cogebatur nisi isset in prælium,' quantum distat a phrasi Floriana? idem enim valet, ac si dixisset, ut iret in prælium; aut si noster, ut capta urbe remearet. Posset etiam legi, *nisi capta urbe remeare*, ut *nisi* intelligas pro, non nisi, sicut scio bonis auctoribus usurpatum. ita Liv. 34. 16, 1. 'Ubi nisi in virtute spem haberent.' Colum. lib. 7. c. 3. 'Quo magis etiam propter hos casus, nisi validissima, quæ non comprehendatur hieme, novaque progenie repleatur numerus.' quemadmodum in Plinio quoque 34, 14. legi vult Salmas. in Solin. pag. 1084. in fin. Simili juramento se aliquando obstrinxere Lacedæmonii cum Messenios obsiderent. Justin. 3. 4, 1. et Strabo lib. 6. ubi de Tarent. Cæsaris etiam milites bello civili jurarunt 'non redituros ex acie, nisi victores.' Appian. Civ. 2. p. 473. *Fr.* Freinshemius rursum adfert conjecturam Salmasii ex illius Adnot. ad Edit. 1. quam hic deseruit. Constans omnium scriptorum, excepto uno Naz. et edd. veterum scriptura est, *nisi capta urbe non remeare.* nam *remanere*, quod Ryck. habet, error scribæ est. Hanc recte a Grævio expressam, sed ab Amstel. qui Gruteri et Salm. conjecturam receperant, expulsam reduxi, nixus etiam auctoritate J. Fr. Gronovii, qui ad Liv. XXXIV. 16. eam probat, et ex aliis a se inspectis membranis confirmat. Et in hac forma loquendi *nisi* sæpissime adjunctum habet *non*, vel aliam aliquam voculam negantem, ut, *nec*, *neque*, *nemo*. Cæs. III. B. C. 87. 'Juravit, se nisi victorem, in castra non reversurum.' Liv. XXVI. 25. 'Conjurant, nisi victores, se non redituros.' Claud. de B. G. v. 81. 'Patrii numen juraverat Istri, Non nisi calcatis loricam ponere Rostris.' Liv. XXII. 38. 'Conjurabant....neque ex ordine recessuros, nisi telli sumendi....causa.' Id. XXXI. 17. 'Militaris ætas jurare, neminem vivum, nisi victorem, acie excessurum.' Serv. in Virg. VIII. Æn. 1. 'Jurabant pro Republ. se esse facturos, nec discedere, nisi completis stipendiis.' 'Remeare' autem dicit Florus pro, remeaturum; præsens pro futuro, ut Claud. et Serv. Cujus generis quamplurima collegerunt Sanct. Min. I. 14. et ibi Perizon., item J. Fr. Gron. ad Liv. II. 5. et Observ. in Script. Ecclesiast. c. XIV. Phrasis Livii in X. 38. multum distat a locutione Flori, ut contra Freinsh. ostendit Gron. ad Liv. XXXIV. 16. Quod autem Idem putat omnibus locis, in quibus *nisi* pro *non nisi* scribitur, excidisse particulam negandi, de eo amplius cogitandum existimo.

§. 9 *Spolia*] Quo in honore opima spolia de Tolumnio, Veientium rege, Cornel. Cossus fixerit, et quo anno, ut æque ambiguum Livius, 4. 20. in controversiam trahit. Trib. mil. fuisse, auctorum suffragiis colligit: sed eam opinionem argumento a legibus sumpto infirmat, eo quod spolia opima referantur solum illa, quæ dux duci detraxerit: duxque ille sit, cujus auspicio res geritur. Infirmat idem et a titulo, quem ipsius spoliis inscriptum Augustus legerit; Cos. Cossum opima spolia retulisse, qui hinc conficit, hoc annos novem serius esse gestum, quam ab aliis probatur. Livii argumentis auctoritatem Varronis, nostri secuti scriptores opponunt, quem opima spolia descripsisse etiam dicunt illa, quæ manipularis miles detraxerit, dummodo hostium duci detraxerit: et tanto probabilius

ficri potuisse, quod opima spolia magister equitum Cossus sub dictatore Æmilio retulerit, præsertim quum triumphum egisse legatur. Alii iterum in consulatu opima spolia ipsum fixisse contendunt; sed hoc ideo infirmant, quia nulla sit ejusdem, qui cum imperio fuerit, et suis auspiciis rem gesserit, triumphi in tab. Capitol. mentio; qui honos imperium gerenti debebatur. Plutarchum quoque ἀνιστορησίας arguunt, qui in Romuli vita Cossum quadrigis in urbem vectum retulerit. Sed non est nostrum tantas componere lites. Titulum tamen quem de Cos. Cosso Augustum legisse testatur Livius, ceterorum opinionibus præferendum putarem. Hic 'ad Feretrium' concise dictum est, pro, ad Feretrium Jovem: Jovi enim Feretrio a feretro nomen fecerat Romulus. *Stad.* Perizonius in Animad. Hist. c. VII. multis disputat, Cossum retulisse spolia opima A. U. 317. quum Tribunus militum in legione esset. Sed sive tum, sive Magister Equitum, sive Consul ea retulit Cossus, Florus non caret reprehensione, qui turbata ratione temporis narrationi de obsidione Veiorum interponat, quod minimum XX. annis ante eam inchoatam gestum fuerat. 'Larte' utrum sit a recto 'Lar,' an 'Lars,' non convenit inter doctos. Illud probant Sigon. in libr. de Nomin. Rom. et ad Liv. IV. 58. et Ferrar. ad Cic. IX. Philip. 2. hoc Vinetus ad Auson. Monosyll. et Voss. II. de Analog. 8. Erat autem 'Lar' apud Etruscos nomen dignitatis, et commune omnibus Principibus. Vid. Scalig. ad Propert. IV. 11.

Denique] Cum iterum mox repetatur dictio 'denique,' ea hic suboffendor, agnoscunt tamen et nostri Mss. *Grut.*

Nec irruptione] Ryck. Toll. Duisb. Voss. 1. Fran. et V. E. *non irruptione*, ut infr. 13. 18.

Cuniculo] Vide quæ notat Stewechius ad Veget. 4. 24. *Fr.*

§. 10 *Ut ejus decimæ*] Lege, auctoribus libris: *Ea denique visa est prædæ magnitudo, cujus decimæ Apollini Pythio mitterentur.* Sal. Gruterus quoque lectionem hanc Naz. esse asserit. *Fr.* *Cujus decimæ* bene scripti, inquit vir summus Nic. Heinsius, additque: Τὸ *visa* suspectum, cum modo præcesserit 'mira visa est fides imperatoris.' Puto, *ea denique divisæ prædæ magnitudo, cujus decimæ Apollini Pythio mitterentur.* Græv. *Ut ejus decimæ* Pall. Ryck. Toll. Duisb. Fran. Voss. et V. E. Sequutus sum Freinsh. et Grævium.

Apollini] Quod nempe ejus ope et consilio vicerunt. ita Carthaginienses Herculi Tyrio omnium, quæ in proventuum rationes cadebant, mittere decimas solebant. Diodor. 20. 14. Vid. Plaut. Bacch. 4. 4, 15. Dionys. 1. 18, 4. *Fr.*

§. 11 *Hoc tunc Veientes fuere*] Sic solum Pal. 3. nam 2. *Hoc tunc, nunc fuisse.* Naz. *Hoc tunc vel fuere: nunc fuisse*, ut dubium vix relinquatur, scripsisse Auctorem: *Hoc tunc Veii* (vel forte *VeI*) *fuere.* nam illa, 'quæ reliquiæ?' &c. oppidanis accommodari minus amant, quam oppido ipsi. *Grut.* Sic recte Viri docti ex Naz. codice correxerunt. Vulgati: *hoc tunc Veientes fuere.* Græv. *Hoc tunc Veji fuere nunc* Flor. et Voss. 3. *Hoc tunc Vejentes fuere nunc* Berol. Magl. Duisb. Voss. 1. et om. ed. *Hoc tunc nunc* Vin. Regg. et Voss. 2. *Hoc tunc fuisse quis* Fran. *Hæc tunc fuere nunc* Ryck. quod speciem habet formulæ Græcis et Latinis usitatæ de his quæ esse desierunt, vel vires gloriamque amiserunt, ut ap. Aristoph. Vesp. vs. 1058. et Catul. c. IV. Præfero *hoc tunc Veji fuere.* Quum pro *VeI* legeretur *vel*, idque huic loco non conveniret, una cum sequente voce *fuere*, quæ et ipsa sublato *Vei* nullum sensum habebat, omissum fuisse suspicor. *Vejentes* retinet Gron. ad Sen.

Troad. vs. 729. sed *Veji* citat etiam Broekh. ad Propert. IV. 10. 27. qui locus huic non dissimilis est.

Quæ reliquiæ] Propert. 4. 11, 27. 'Et Veji veteres, et vos tum regna *(ita Pal. prior Comel.)* fuistis: Et vestro posita est aurea sella foro. Nunc intra muros pastoris buccina lenti Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.' Adde Fabri Semestria. 1. 8. *Fr.* Mox Ryck. Flor. Magl. Fran. Voss. 1. 2. et quædam Edd. *quodve vestigium*, adsumto, ut opinor, *ve* a capite vocis sequentis.

Laborat] Ita Amm. Marcell. 23. 14 'Ut suadere nobis laboret monumentorum veterum fides; ut has civitates aliquando valuisse credamus.' Sic etiam ferme Aventinus, in princ. Hist. Boiar. pag. 7. Nempe plurimis exemplis constat, quod Rut. Itin. 1. 413. ait: 'Oppida posse mori;' et quod Plin. 14. 6. 'Sua quibusque terris tempora esse, sicut rerum proventus occasusque.' Sic apud Sall. 'Omnia orta occidunt.' Sen. Ep. 91. 19. 'Nihil privatim, nihil publice, stabile est, tam hominum quam urbium fata volvuntur.' Vide etiam eundem Ep. 71. Hac ratione in Inst. §. 38. de R. D. 'demortuæ vineæ' pulcre dicuntur. *Fr.* Eodem modo Latinus Pacat. in Paneg. Theodos. c. XXXIII. ap. Rupertum; 'Tantumque res credita est habere novitatis, ut, nisi frequenter isset in literas, apud posteros videatur facti fides laboratura.' 'Laborat annalium fides' est, ut Freinsh. in Ind. periclitatur, i. e. parum abest, quin fidem perdant annales. *Laborare* enim dicuntur, quæ in periculum veniunt, ne lædantur aut pereant; ut qui onus sibi impositum vix sustinent Ov. II. M. 296. 'Atlas en ipse laborat, Vixque suis humeris candentem sustinet orbem.' Vid. cl. Burm. ad Petron. c. CXV. Pro *Veios* Ryck. *veros*, *i* in *r* mutato: hinc deinde ortum *vera* in libris Vin. Regg. Fran. et Voss. 1. 2.

CAP. 13 Historici fere omnes hujus belli meminerunt. Liv. 5. 36. Val. M. 1. 5, 1. Plutarch. Camil. cap. 27. et Probl. 24. Auctor de Vir. ill. cap. 23. Agell. 5. 17. Augustin. Civ. 2. 22. et 3. 17. Veget. 4. 28. Virg. Æn. 8. 652. Martial. 13. 74. Ov. F. 6. 351. Serv. in Virg. dict. loc. *Cam.* quibus adde Eutrop. l. 1. et Oros. 2. 19. *Fr.*

§. 1 *Hinc sive invidia Deum*] Melius quod iidem libri suggerunt: *Hic sive invidia Deum, sive fato, rapidissimus procurrentis imperii cursus, parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur. Hic*, hoc loco. Quod rectius, quam *hinc*. Sal. *Hic* est in Naz. Pal. 1. Voss. 1. Toll. et Fran. a quo abest *Deum:* et sic emendarat in libro suo N. Heinsius. *Hinc* et *hic* sæpe confundi in Mss. docet celeberr. Bentl. ad Horat. I. Carm. 17. 14.

Invidia Deum] Lege quæ notat Grut. ad illud Livii, 10. 13, 6. 'Fortunam ipsam vereri, ne cui Deorum nimia jam in se et constantior, quam velint humanæ res, videatur.' *Fr.* Add. Rupert. ad h. l. ad IV. 2. 79. et ad Vellei. 1. 10. Liv. XXV. 6. 'Si non ira Deum, nec fato ...; sed culpa periimus ad Cannas.'

Procurrentis imperii cursus] Sen. Ep. CI. 'In ipso procurrentis pecuniæ impetu raptus est.' *Rupert.*

§. 2 *Virtutum*] Sic quidem editio princeps, et Pal. 3. at enim 2. *virtus*, 1. *virtutis*, ut exinde cusi. *Grut.*

§. 3 *Ut in experimentum illatam*] Divi Naz. optimæ membranæ *inlatumam*, ea fuit ἀκρίβεια et diligentia illius antiquarii, ut studiosissime varietatem lectionum semper adnotarit: quod sexcentis in locis observavimus, ut hoc loco, *illatum* et *illatam* lectum fuisse ostendit: quod prætcrire non debuimus. *Sal.* Grut. abjiciendas putat undecim voces ab inde: *Ea certe*, &c. illud omnino contendit adulterinum esse, *in experimentum*, cum vox eadem proxime præcesserit.

Mihi non viderentur aliena, nec a sensu Auctoris, nec a phrasi. Adde orat. Aristid. pag. 208. *Fr.* Hæc minime sunt expungenda cum Grutero, cujus manus parcior fuit in hoc scriptore sanando, quam in secando et urendo. Est acuta sententia quam hausit Florus ex Sil. Ital. lib. 3. ubi Jupiter ad Venerem de bellis Carthaginiensium cum Romanis gerendis: ‘ Hac ego Martis Mole viros spectare paro, atque expendere bello.’ Hoc est, Hoc bello experiar, num Romani sint digni orbis imperio. Ejusdem sententiæ est quod idem Poëta eodem in libro canit: ‘ Tum pater omnipotens gentem exercere periclis Dardaniam et fama sævorum tollere ad astra Bellorum meditans, priscosque referre labores Præcipitat.’ Imitatus autem videtur Ciceronem Florus, qui Act. IV. in Verr. 31. ibi loquitur de Capitolio incenso tempore belli civilis Mariani, et refecto a Catulo. Sed vide quam longe differat oratoris naturali pulchritudine nitens oratio a declamatoris calamistris; ‘ Tibi,’ inquit, ‘ opera sumenda est, ut Capitolium, quomodo magnificentius est restitutum, sic copiosius ornatum sit, quam fuit, ut illa flamma divinitus exstitisse videatur, non quæ deleret Jovis Opt. Max. templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret.’ Hoc dictum advertit quoque Lactant. qui III. Instit. c. 17. ‘ Capitolium, quod est Romanæ urbis et religionis caput summum, non semel, sed sæpius fulmine ictum conflagravit. Homines autem ingeniosi quid de eo existimarint ex dicto Ciceronis apparet, qui ait, divinitus exstitisse illam flammam, non quæ terrestre illud domicilium Jovis deleret, sed quæ sublimius magnificentiusque deposceret.’ Vere itaque Sen. Ep. 91. ‘ Sæpe majori fortunæ locum fecit injuria. Multa ceciderunt ut altius surgerent, et in majus.’ Ceterum N. Heinsius, quia Naz. pro *illatam* præ se fert *inlatumam*, arbitratur forte Florum scripsisse, *cumulatam*. quia multa adversa simul concurrebant. Mox malebat: *ad hoc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeoque omni genere terribilis fuit.* Sallustii, adjicit, illa respexit historiis ap. Quintil. ‘ Mithridates corpore ingenti, perinde armatus,’ ubi perperam Coler. *animatus*. Græv. Omnes libri habent ea, quæ Grutero suspecta erant, nisi quod a Pal. 1. et Ryck. abest *illatam*. Grævii animadversioni addo, quæ adscripserat Ryckius: Philosophi viros fortes et ærumnosos proponunt quasi spectaculum Dei exercentis illos ad virtutem. Arrian. in Epictet. 1. 24. Plin. IX. Ep. 26. Sen. de Provident. c. 11. et alii. Vide Mureti orationem in libr. Sen. de Providentia. De more librariorum, quem hic adnotat Salm. vid. ad n. 8. cap. præced. et Gron. IV. Obs. 4. p. 55.

4 *Perinde armis*] Ita legit Grut. ex libris: similis res et dictio apud Sall. Incert. 4. 39. ‘ Mithridates ingenti corpore, perinde armatus.’ quamvis eam lectionem sollicitent, et *animatus* substituant, sed vulgata videtur nihil habere vitii. *Fr.* Sollicitavit primus Lips. ad Vell. II. 18. deinde Coler. ad Sall. Sed vid. Dousam ad fragm. Sall. et quæ alii adnotarunt ad Vellei. De vasta mole corporum Gallorum lege, quæ congesserunt Stewech. ad Veget. I. 1. et Spanh. ad Callim. Hymn. in Delum, vs. 174.

Omni genere terribilis] De Gallogræcis Liv. 38. 17, 4. ‘ Procera corpora, promissæ et rutilatæ comæ, vasta scuta, prælongi gladii: ad hoc cantus ineuntium prælium, et ululatus, et tripudia, et quatientium scuta in patrium quendam morem horrendus armorum strepitus: omnia de industria composita ad terrorem.’ Similiter de Vercingentorige Noster infra, 3. 10. 20. *Fr.* *Omni generi* Pal. 2. male. *Omni genere* est, omni modo, omnibus rebus. Cic. XVI. ad Att. 5.

'Incredibile est, quam me in omni genere delectarit.' Catul. Carm. LXIX. vs. 52. 'In quo me torruerit genere.' vid. ibi Scalig. et Interpp. Petron. c. XIV. et XXVI. 'Nata,' pro, a natura facta, ut II. 2. 20. Cic. pro Ligar. c. VII. 'Africam natam ad bellum contra hanc urbem gerendum.' Liv. XXXV. 12. 'De Duce Annibale nato adversus Romanos hoste.' Plura apud Gron. IV. Obs. 17. et Heins. ad Ov. Rem. Am. vs. 220.

§. 5 *Et cingente omnia Oceano*] Sic Vin. sic quoque v. e.; sic duo meliores Pal.; sic Lipsii scriptus, quem consule libr. 2. cap. 19. Electorum: et Sitzmann. in Rut. Itin. 1. 56. Inepte alii: *cum cingerentur omnia Oceano.* Grut. Ita Liv. 5. 37, 2. de hac ipsa re: 'Insuitato atque inaudito hoste, ab Oceano, terrarumque ultimis oris, bellum ciente.' *Fr.* Scriptura librorum Vineti est in omnibus Mss. Galliam dicit *ultimas oras terrarum:* ut alii antiqui, qui Gallorum patriam 'ultimum Occidentem,' et 'ultimas Europæ partes' vocant. vid. Spanh. ad Callim. l. d.

Positis inter Alpes et Padum sedibus] Parum vere, si Livio credimus. Nam Senones, ut ille scribit l. v. c. 35. postremi Gallorum in Italiam venerunt, et quum jam omnia inter Alpes et Padum ab aliis Gallis, qui ante eo venerant, occupata invenissent, cis Padum sibi sedes ceperunt inter Utentem et Æsim fluvios. Florus autem hoc ita scribit, quasi Senones primi et soli Gallorum in Italiam venissent. Fran. *cum omia media*, pro *omnia m.*

Per Italiam vagabantur] Jord. scripsit: *bacchabantur.* Ita saue scripsisse putavit Annæum, cum in veteribus ejus exemplaribus reperisset scriptum: *vacabantur.* Quomodo hodieque nonnulli antiqui exaratum habent. *Sal.* Non vagabantur tantum, sed infestabant cum maxime Italiam, inquit N. Heins. Recte Jornandes legebat *bacchabantur.* Poëtice. Sic Claud. de B. Get. vs. 155. 'Vilis cum Spartacus omne Per latus Italiæ ferro bacchatus et igne.' Hanc vocem alibi quoque Floro restituendam esse et ipsi ostendemus inferius. *Græv.* Potuit Jordanes in suis exemplaribus invenisse *bacchabantur;* sed et e *vacabantur* potuit fecisse *bacchabantur,* ut putat Salm. Pulcrum est *bacchabantur;* sed alterum habent omnes libri Flori, idque non minus sæpe dicitur de infestatione et populatione hostili, quam *bacchari.* Justin. II. 11. 'Per omnia castra victores vagantur, cædunt, sternuntque omnia.' Et XXIV. 7. 'Gallorum vulgus .... per agros se sparserat, desertisque signis ad occupandum omnia pro victoribus vagabantur.' Liv. XXXVIII. 48. 'Si Gallorum exercitus effusi vagarentur.' Idem XLII. 55. 'Quum audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastarique sociorum agros.' Cæs. I. B. G. 2. IV. 6. et V. 19. 'Late vagari.' Sic *pervagari* Liv. XXXVIII. 17. Galli 'ferox natio pervagata bello prope orbem terrarum.' Et Flor. III. 20. 5. Sed et de Spartaco Horat. III. Carm. 14. 'Spartacum si qua potuit vagantem Fallere testa.'

§. 6 *Tum Clusium obsidebant*] Addit Naz. *Tum Clusium urbem.* Jord. *Tusciæ urbem.* Lego in continenti: *Pro sociis ac fœderatis Populus Romanus intervenit. Missi ex more legati. Sed quod jus apud barbaros? Ferocius agunt. et inde certamen.* Scio, in editis Jordanis vulgo legi: *exinde certamen.* Sed duo perantiquos hujus auctoris calamo exaratos codices vidimus cum Flori Nazariano conspirantes. Sic in iisdem libris, cap. XVIII. 'Legationem per obscœnam contumeliam violant. et hinc bellum.' Ubi vulgo edunt: *ex hinc bellum.* Sal. *Clusium*] Sic noster primitus cusus, nam Camers, *Clusium oppidum:* Vinet. *Clusium Tusciæ urbem:* non tam verbose debuit Florus: etsi et Pal. nostris adsit, *Clusium urbem.* Grut. Ryck.

æque ut Naz. *Tum Clusium urbem obsidebat*, nisi quod *tunc* in illo scribatur. et mox idem: *Missi ex more legati*, quod ex Naz. quoque notavit Salm. dein legendum ex eodem codice, et vetustioribus edd. *ferocius agunt, movent, et inde certamen.* Salm. vidit etiam scribendum: *et inde certamen.* Non fuit expungendum *movent*, quamvis in suis libris hanc vocem se non invenisse testetur Vinetus. In aliis tamen extitisse et editi et Ryck. ostendit. Audita legatione longe, inquit Florus, superbius se gesserunt, et statim movent infesta signa in Romanos, inde manus conseruerunt cum illis. Non intellexerunt hanc vocem, qui eam delevere. Inferius II. 8. 'Cum ingenti strepitu ac tumultu movisset ex Asia.' et II. 6. 'Igitur ubi semel in Hispania movit illa gravis et luctuosa Punici belli vis atque tempestas.' Sic Mss. editi: *ubi semel se in Hispania movit.* Suet. Cæs. 60. 'Prælia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat: ac sæpe ab itinere satim, interdum spurcissimis tempestatibus, cum minime quis moturum putaret.' vide quæ notavi ad Epist. 12. lib. v. Cic. ad Att. *Græv. Urbem* abest a Regg. Berol. et Duisb. Aldus Jordanem expressit. Aliæ Edd. habent *oppidum;* quæ diversitas glossæ indicium est. *Missi ex more legati* etiam Flor. et Voss. 3. et ex editis B. S. P. et I. *Movent* non recte expunctum esse adnotarat quidem cl. Grævius, sed in contextum non receperat; quod deinde fecerunt Amst. Ea vox etiam in Flor. et plerisque edd. vett. legitur, sed aberat ab omnibus aliis scriptis, excepto Pal. 1. in exemplari Salmasii, quod de Pal. 2. scribit Grut. a V. E., a libris Vineti, et Jord. *Movere* absolute positum recte dici, pro movere castra, movere signa, certum est, et monuit dudum Sigonius ad Liv. XXIII. 1. Sed id huic loco non convenit. Nam Galli non moverunt infesta signa in Romanos, ut hoc exponit Grævius, ante, sed post certamen, de quo hic Florus; qui agit de prælio inter Clusinos et Gallos, quum hi legatis Romanis ferociter respondissent, 'se jus in armis ferre, et omnia fortium virorum esse,' ut est apud Liv. v. 36. Et si *movent* ita est accipiendum, ut vult Grævius, Florus bis idem dicet. Nam sic movisse Gallos, nihil aliud erit, quam quod mox dicit, eos a Clusio conversos Romam venisse. Plane mihi persuadeo vocem *movent* a sciolis, qui offendebantur conciso sermone Flori, intrusam, quasi ad explendam et intelligendam sententiam verborum, *exinde certamen*, necessariam. Sed Floro familiaris est hæc brevitas in ea re. Vid. I. 1. 13. I. 18. 5. et II. 17. 5.

Pro sociis] Dissentit tamen Livius, 5, 35, 7. *Fr.* In Jordane non est *populus*, quod elegantius esse, quam pro illius sæculo, censet doctiss. Wass. ad Sall. Jug. LXXXIII. Deest etiam in Naz. et Voss. 3.

Sed quod jus apud barbaros] Marcellin. 17, 27. 'Barbaris omne jus esse in viribus adsuevit.' Vide eleganter de hac re disserentem Piccartum, observationum politicarum dec. 17. cap. 8. Nec tamen ad solos Barbaros hoc pertinet. Audi ex principe Græcorum urbe principem Lysandrum; qui, *Argivis in controversia de agris adversus Spartanos justiora sese afferre argumenta dicentibus, gladium stringens, Qui hunc, inquit, tenet, optime de finibus agrorum disputat.* Plutarch. in Apophth. Lacon. cap. 94. Nec ignotum est illud Romanum: *Si vos non dabitis, at hic dabit.* Et illud Parthicum: *Illud in summa fortuna æquius, quod validius.* Fr. Pomp. Mela III. 3. de Germanis: 'Jus in viribus habent.'

Ferocius agunt] Nolim aliquid mutari præter consensum librorum; egregie tamen videbatur dictum, si *ferocius* reformare liceret in *ferro caus-*

sas. Sic ap. Tac. 6, 22, 5. Germanorum 'rixæ raro conviciis, sæpius cæde et vulneribus, transiguntur.' *Fr.* Sed vid. Liv. v. 36.

Exinde certamen] Salm. *et inde.* Grut. etiam hanc lectionem probat et ita in Pal. 1. extare testatur. Nescio tamen quomodo mihi arrideat ista lectio, quam posuimus, quæ quidem firmatur etiam Pal. 2. et 3. Mss. Vineti, itemque v. e. et Jornande. *Fr.* *Et inde* Flor. ceteri et om. ed. *exinde.* Ryck. *deinde:* sed ibi *de* fortassis pro *et* scriptum fuit, ut sæpe in illo libro: v. ad præf. n. 3. In Jord. est, *et inde ad certamen cum exercitu conversi Galli Clusio Romam.* Infr. II. 16. 3. 'Et hinc Achaicum bellum.'

§. 7 *Alliam*] Umbriæ fluvius in Sabinis, ex Crustumenis montibus in Tiberim defluens. 'Caminate' vocat Leander: Blondus *Curtesio* hodie vocari ait. Distabat ab urbe 11. lapide. *Pon.* Ryck. *Ad Aliam flumen* ut in vetustiss. quibusque libris hoc nomen scribi pridem docti præceperunt, ut et veteres Grammatici. *Græv.* Sic etiam Regg. Fran. et ex Edd. Junt. *Alia* e Plutarchi Camil. et Serv. in Virg. VII. Æn. 717. scribunt Sigon. ad Liv. Epit. v. Scal. v. de Emend. Temp. p. 415. Xyland. ad Plut. Camil. Manut. et Dausq. in Orthogr. et Schot. ad Aur. Vict. c. XXIII. *Allia* auctoritate Inscriptionis Pisanæ, et librorum Varronis, Liv. Cic. aliorumque, Noris. ad Cenotaph. Pisan. Dissert. IV. c. 6. In Cic. IX. ad Att. 5. Grævius edidit *Aliensis*, Jac. Gron. *Alliensis.* Idemque ad Gell. v. 17. in Ms. Reg. Gellii *Alliam* legi testatur.

Consul] Hoc anno urbis 365. Roma non Coss. sed Trib. mil. pro Coss. habebat: vide Liv. 5. 37, 3. *Vin.* Idem error est Orosii II. 19. quem ibi notavit Fabricius.

Non Cremeræ fœdior clades] Cremera hic nullum habet locum, cur enim institueretur comparatio illius Cremerensis cladis et hujus Alliensis? qualis enim illa esset? clade ad Cremeram accepta, trecentos tantum homines amisere Romani, Patricii fuerint omnes licet, quid attinet? Hic quædam hominum millia cæsa. Pluribus non arguam τὸ ἄχρηστον lectionis: legendum: *non temere fœdior clades:* ut scripti omnes exhibent tum Flori tum Jord. quos studiose et diligenter contulimus. Fœditatem et atrocitatem cladis testatur satis, dies fastis damnatus, quo accepta est. *Sal.* *Temere*] Hactenus editi, *Cremeræ*, quod nec ipsum eleganti sensu caret, cum illa clades ante Alliensem atrocissima fuerit, qua non solum florem patriciorum, sed clientium insuper quinque millia perdidere. Quam non leviter æstimatam, testimonio est Licin. Macer, ap. Liv. 9. 38, 16. qui 'clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam Fauciam curiam' facit. Præterea tacite innui videtur una die clades has acceptas, eamque propter duplicatam maxime cladem fastis damnatam, quod Livius etiam, 6. 1, 15. Suet. Vitel. cap. 11. et Tac. H. 2. 91, 1. firmant. Adeoque concinna mihi videtur hæc lectio, ut, nisi illa altera tot libris firmaretur, non admissurus fuerim. Vide inf. not. 3. 18, 11. *Fr.* *Temere* Pal. 1. libri Vin. Ryck. Regg. Flor. Magl. et Voss. 3. *Cremeræ* Berol. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et om. ed. idque sibi recipiendum putavit Begerus. Et confirmari potest ex Oros. II. 19. 'Testatur hanc Fabii cladem fluvius Alia, sicut Cremera Fabiorum.' Is autem alibi aliquot locis ipsa Flori verba ex hoc et superiori capite habet.

Hunc diem] Sic Turcæ 'dierum sortibus dediti' sunt. Pantaleon in Gestis Joannitarum, p. 301. pr. *Fr.*

Damnavit] Lucan. 7. 403. 'Et damnata diu Romanis Allia fastis.' *Id.*

§. 8 *Erant nulla præsidia*] De suo Jord. addit: *Jam mœnibus urbis adpropinquabant, ubi pene nulla erant præsidia:* fortasse credidit imperfectam

esse orationem. Hoc si putavit, frustra fuit; quod indicamus, ne quis ambitiosus, quales hodie multi, hinc occasionem arripiat pingue aliquod, ex hac animadversione, miscellaneorum caput conficiendi, et simul rectam Flori scripturam temere vexandi. *Sal.*

Tum igitur, aut nunquam alias] Nihil mutamus. Videntur tamen Codd. quibus Jord. usus est in sua compilatione, habuisse: *ut nunquam alias.* Nam ipse scribit: *sicut nunquam alias.* Sic inf. ubi veteres, 'In causam belli delecta Saguntbus, ut Hispaniæ urbs, et opulenta,' Jord. maluit scribere, *velut Hispaniæ urbs:* quidam etiam hoc loco præferunt: *Tunc igitur haud unquam alias.* Sic Pal. alter. perperam. *Id. Tunc igitur*] Infra, 2, 2, 22. 'Romanæ urbis magnitudo calamitatibus fere approbatur.' Nempe verum est illud Sen. de Provid. cap. 3. 'Magnum exemplum nisi mala fortuna non invenit.' Adde inf. 3. 18, 13. *Fr.*

§. 9 *Quam primum majores natu*] Istud *Quam primum* non magis hic probum est, quam quod priscæ edd. habuere, *Jam pridem:* et mirum, optimum et eruditiss. virum Vinetum, qui tam multa in sua editione mutarat, hoc non mutasse; et justius potuisset, quam alia infinita, quæ loco non erant movenda. Prorsus emendandum est: *Jamprimum majores natu.* Nec quemquam esse puto, qui expositionem hujus vocis, aut emendationis rationem, merito a nobis exigere possit, quam sciant ex ingenio manasse primum, et libris postea omnibus stabilitam. *Sal.* Repræsentavi lectionem Palat. prim. quæ rectior quam Vineti *Quamprimum;* impressi reliqui, *Jampridem*, absurde. *Grut.*

Amplissimis usi honoribus] Hoc est, qui curules gesserant magistratus. Hi enim honores amplissimi Romæ. 'Honore usi' simpliciter dicebantur, qui magistratum gesserant, quos et 'Honoratos' dixerunt. Inde sæpe apud veteres et in antiquis saxis, 'plebs et honore usi:' de utroque ordine reipublicæ, plebeio, et qui in magistratu fuere. *Sal.* Ryck. *majores natu amplissimi, usi honoribus.* Nihil muta. *Græv.* Formulæ 'plebs et honoribus usi' multa exempla suppeditat Index Inscription. Grut. c. v. Sall. Cat. XLIX. 'Quod extrema ætate maximis honoribus usus ab adolescentulo Cæsare victus discesserat.' Et Jug. XXV. 'Majores natu, nobiles, amplis honoribus usi: in quis fuit M. Scaurus.' Gruterus, ut sæpe alibi in Sallustio sine causa, ita hic quoque urit, et secat, ejicitque *usus*, et *usi.* Probat illius curationem in loco posteriore Perizon. Diss. de Dict. Cret. ad III. 1. §. 39. et contra Mss. additum dicit *usi.* Atqui Grut. hic unius tantum Ms. auctoritate nititur, priore loco nullius: nec quisquam Interpretum Sallustii, qui ingentem numerum librorum calamo exaratorum illius Scriptoris inspexerunt, has voces a suis exemplaribus abesse adnotavit, quas et ipse in scripto membranaceo inveni. 'Uti honoribus' in Livio, Cic. aliisque optimis Scriptoribus infinitis locis legitur; et magis credo *usi* in scripto, quem ad Jug. c. XXV. laudat Grut. propter similitudinem literarum in fine præcedentis, et capite sequentis vocis excidisse, quam a Sall. omissum esse.

Ibi, devovente pontifice, Diis se Manibus consecrant] Pro certo ponit, quam fuisse quorumdam opinionem perhibet Liv. lib. v. 'Sunt qui, M. Fabio,' inquit, 'Pontifice maximo præfante carmen, devovisse eos se pro patria, Quiritibusque Romanis, tradant.' *Sal.* Carmen et ritum devotionis vide ap. Liv. 8, 9, 5. 8, 10, 11. &c. 10, 28, 15. *Fr.* Add. Scal. ad Varr. IV. de Ling. Lat. p. 62. et Briss. I. Form. p. 109. 'Devovente' est formulam, et verba, quibus se devoverent, præeunte, ut ap. Liv. ll. dd. 'Pontifex' κατ' ἐξοχὴν

pro Pont. Max. quemadmodum hunc vocat Liv. v. 41. Sic Flor. III. 21. 21. 'Q. Mucius Scævola Pontifex.' Nam et hic Pontif. M. erat Appian. I. Civ. p. 404. Vellei. II. 26. et Liv. Epit. 86. Similiter Suet. Cæs. c. XIII. et Fest. in *Ignis*. Vid. Bos. de Pont. Max. Romæ Vet. Cap. II. §. 8. Ceterum qua ratione ducti, veteres se pro aliis devoverent, exponunt Casaub. ad Suet. Calig. XIV. Idemque et Salm. ad Spartian. Hadr. XIV. Add. Rupert. ad b. l. Mox *quisque sedes* Fran, Vid. Cap. 7. §. 9.

§. 10 *Sicut in trabeis erant et amplissimo cultu*] Liv. 'Quæ augustissima vestis est, thensas ducentibus, triumphantibusque, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sederc.' Hæ trabeæ sunt et togæ palmatæ. *Sal.* Toga picta, et tunica palmata propriæ erant vestes triumphantium, et thensas ducentium, non trabea. Vid. supr. c. 5. Ruben. de Re Vest. c. 21. et Ferrar. in Analect. de R. V. c. XXVII. Sed Florus 'trabeas' dicit pro amplissimo cultu, quemadmodum mox ipse exponit, et quos hic in trabeis, eos paullo post in prætextis sedisse dicit. Sic II. 17. 16. 'trabeas' pro paludamentis Imperatorum ponit. Ap. alios quoque hæc nomina interdum confunduntur, nec semper pro certa specie vestis sumuntur: vid. Græv. ad Suet. Tiber. c. XVII. De formula, 'sicut erant,' Freinsh. ad III. 10. 22.

In sua dignitate morerentur] Vult dicere, in suæ dignitatis insignibus. *Sal.* Velleius, 2. 71, 5. 'Varus, liberti, quem id facere coëgerat, manu, cum se insignibus honorum velasset, jugulatus est.' *Fr.* Solebant morituri splendidissimo vestitu indui: vide inferius IV. 11. et quæ ibi notat Freinsb. *Græv.* Add. hic Rupert. Liv. v. 41. 'Ut in fortunæ pristinæ, honorumque, aut virtutis insignibus morerentur.'

§. 11 *Quidquid religiosissimum erat*] Grut. noster ita reposuit ex sua veteri ed. At om. sc. cum aliis edd. *quidquid religiosissimi erat.* Sal. Ita Pal. pr. et teste Salm. plures et meliores libri. alii *religiosissimum.* Fr.

Defossa terræ recondunt] Hanc lectionem tuetur optimus et antiquiss. cod. Naz. Jord. scripsit, *refossa terra reconderunt.* In Pal. 1. legitur: *defossa tecta recondunt.* In Q. *defossa terra.* Livius: 'Condita in doliolis defodere.' Mutavit hic Noster: *defossa in doliis terræ recondunt.* Lectionem Jordanis pro vera accipio, quam videntur etiam adstruere scripti, qui habent, *defossa tecta recondunt*, aut *defossa terra.* Sal. *Defossa terræ recondunt*] Sic omnino quoque Naz. neque abit Pal. 2. aut 3. quam quod ille babeat *terra;* hic *tecta*, adhuc depravatius: falluntur enim et fallunt, quibus Pal. ille 3. notæ melioris: ultimæ est, me quidem censore. *Grut. Terræ* habent Ryck. Voss. et Reg. Q, *terra* alii scripti, et om. ed. Nihil interest utro modo legatur: nam et 'terræ' et 'terra recondere' dicitur. Locus a doliis deinde 'Doliola' dictus est, ubi exspui nefas habebatur. Festus in *Doliola*, Liv. v. 40. et Varr. IV. de Ling. Lat. p. 37. *Quidquid* sequente neutro plur. eodem modo Liv. XXX. 17. 'Et quidquid aliud fecerit, quod cordi foret Masinissæ, ea Patres comprobare atque laudare.' Naz. *in doleis.* Vid. ad III. 20. 13.

Partim imposita plaustris secum auferunt] Jord. *secum plaustris Veios auferunt.* Multi certe ex Romanis urbe sua excedentes Veios concessere, sed sacerdotes cum sacris, quæ abstulerunt, Cære petierunt. *Sal.* Nescio unde in Edd. Freinsh. venerit *avehunt*, quod deinde om. Edd., quas vidi, sequutæ sunt: nam in om. sc. et ed. est *auferunt.*

§. 12 *Nudo pede*] Reverentiæ et ταπεινοφροσύνης ergo: ut notat Casaub. ad Suet. Aug. 100, 10. ubi plura huc

pertinentia vide. *Fr.*

Lucius Albinus] Vetus Naz. *unus e plebe fertur Albinius.* Livio, 5. 40, 9. quoque dicitur ' Albinius,' non ' Albinus.' Libri Jord. vocant eum *Atinium.* Sal. *Albinius*] Ita Liv. 5. 40, 9. Val. M. 1. 1, 10. Naz. et quidam codd. alii enim *Alvanius.* Jordanei veteres *Atinius*, alii *Albinus.* Fr. *Albinus*, Plutarcho in Camill. 'Αλβῖνος. *Albinius* probat Sigon. ad Liv. v. 40. Hoc retinui ex Edd. Freinsh. et Grævii. Flor. *unus de plebe.*

Adeo tum quoque] Vere igitur Cicero Romanos ceteris gentibus religione multo superiores fuisse pertendit. de Nat. D. 2. 3. et in Orat. de Harusp. Resp. cap. 9. in fin. *Fr.*

Privatis affectibus] Val. M. de Albinio l. d. ' Propior publicæ religioni, quam privatæ caritati.' *Adfectus* sæpe κατ' ἐξοχὴν pro amore erga proximos. Suet. Tit. VIII. ' Non modo Principis sollicitudinem, sed et parentis adfectum unicum præstitit.' Tac. XIII. A. 21. ' Silanam numquam edito partu matrem adfectus ignotos habere.' Capitol. Anton. Pio X. ' Neque enim vel philosophia, vel imperium tollit adfectus.' Unde apud inferioris ætatis scriptores ' adfectus ' pro conjugibus, liberis, propinquis: quemadmodum hic quoque Freinshem. accipit in Ind. Vid. Casaub. ad Suet. Aug. XXI. et ad Capitol. M. Anton. Philos. XXIV. Savar. ad Sidon. VI. Ep. 4. et VIII. 8. et Barth. ap. Claud. Ep. XXXIII.

§. 13 *Duce*] Non *consule*, ut putabat Ælian. Hist. Anim. 12. 33, 3. *Fr.* Florus hic, et n. 15. ita loquitur de Manlio, quasi eum cum imperio in arce fuisse putaverit: quod falsum est. Nam Sulpicius tribunus militum cons. pot. ibi imperium habebat. Liv. v. 47. 48. et Plutarch. Camil.

Arcem Capitolini montis] Hinc Sidon. Carm. 5. 81. ' Quodcunque tuum est, quodcunque vocaris, Jam solus Tarpeius erat.' *Fr.*

Quasi præsentem] Cic. 1. in Verr. 7, 3. ' Homines cum (simulacrum Cereris) viderent, ipsam videre se Cererem arbitrabantur.' Plin. Paneg. cap. 1. ' Eodemque loci, quem Deus ille tam manifestus,' &c. Liv. 45. 28, 3. Sic Veget. lib. 2. ubi de sacramento milit. ' Præsenti et corporali Deo.' *Idem.*

§. 14 *Trepidi*] Nec injuria: ita ap. Liv. 44, 7. Cos. Marcius Dium urbem a Maced. relictam ingressus, ' vix satis' poterat ' credere in tantis rebus sine causa relictis, non aliquem subesse dolum.' Ita ap. Tac. H. 3. 20. Anton. Primus milites suos, Cremonam temere oppugnaturos, dehortatur: ' Neque enim ambigua esse, quæ occurrant, noctem, et ignotæ situm urbis, intus hostes et cuncta insidiis opportuna, non, si pateant portæ, nisi explorato, nisi die intrandum.' Adde Curt. 9. 1, 27. *Id.* Et Justin. XXV. 2. *Ne qui subesset* Naz. et quædam vett. edd. Vid. infr. Cap. 18. §. 20.

Pari clamore et impetu] ' Pari ' refertur ad præcedens ' primo,' ut paritas illa sit trepidationis cum clamore et impetu, non autem horum inter se, ita seq. vs. ' pari vecordia,' scilicet, ut ante veneratione. Similis locutio in Tac. H. 4. 57, 2. ' Sabinus festinatum temere prælium pari formidine deseruit.' *Id.*

Ubi sedentes in curulibus sellis] Supra dixit, ' In curulibus sellis se posuerunt.' At heic omnes libri legunt, etiam Jord. *In curulibus suis.* Notum est, ' curules ' etiam absolute dictas, eburneas illas curulium magistratuum sellas. Glossæ: ' *Curules*, δίφρος ὑπατικός.' *Sal.* Perplacet lectio veterum codd. a Salm. probata, et Ryck. auctoritate firmata: *Sedentes in curulibus suis prætextatos senes.* Probat etiam N. Heins. qui tamen totam hanc periodum refingebat hoc modo: *ibi* (sic alibi passim) *sedentes in curulibus suis prætextatos senes, velut Deos,*

geniosque venerari: mox eosdem ubi homines esse liquebat, alloqui, nihil respondere dignantes pari vecordia mactant, facesque tectis injiciunt, totam urbem ferro, igne, manibus exæquant. Nam *solo* abest a scriptis. *Græv.* Voss. 1. et 3. *sellis*, ceteri om. sc. Edd. V. B. S. et J. *suis.* Heinsii conjectura mihi non videtur contemnenda. Nam ex eo, quod Florus dicit, 'nihil respondere dignantes,' intelligi potest compellationem præcessisse. Præterea satis obscurum est, quæ in vulgata scriptura sit significatio vocis 'alioqui.' Sed et *ibi*, quod Heins. substituit pro *ubi*, apud Jordanem est.

Velut Deos Geniosque] An simul ut Deos majores et minores? Nam Genius est Deus inferioris notæ, ac de plebe. Sen. Ep. cx. Liber Ryck. sine copula *velut Deos Genios.* Non displicet. Horat. Ep. II. 2. 187. 'Genius....Naturæ Deus humanæ.' Inscript. ap. Reines. I. 165. 'Deo Genio sacrum. Nec Livius in hac re Deos memorat v. 41. sed, 'venerabundi,' inquit, 'intuebantur...viros... majestate simillimos Diis.' Plutarch. in Camill. κρείττονας vocat, i. e. genios. Vid. Procl. ad Hesiod. p. 78. Brod. Miscell. v. 30. Mox Voss. *esse homines*, ceteri sc. et v. e. transpositis vocibus *homines esse*, quod recepi.

Totam Urbem] Vet. ed. verbo auctior, *totam deinde urbem;* oppido bene, si adsentirentur Mss. *Grut. Tectis iniciunt* Magl. Ber. Duisb. Fran. et v. e. vid. supr. C. x. §. 5.

Igne, ferro] Rut. Itin. I. 40. 'Perpessus Geticas ense vel igne manus.' *Fr.*

Manibus solo exæquant] Mirabilis librorum consensus, ac veluti συνωμοσία in repudianda illa dictione *solo.* Flori, Jordanis libri, omnes sine ulla varietate rejiciunt. Et nos quoque, quoniam hæc eorum factio est, eam hinc ejiciamus. Rectum est ac Latinum, urbem ferro, igne, manibus exæquari, quæ ad solum diruitur. Livius in hac ipsa historia: 'Quin etsi hæc omnia flammis ac ruinis æquata vidissent.' *Sal.* Hactenus editi, *manibus, solo exæquant;* sed non apparet in v. e. dictio *solo*, nec in ullo Pal. ideoque delendum; neque opus tamen mutare illud *exæquant:* utique cum et Latine dicatur, et compareat δίφθογγος clare in Naz. secus quam alii prodidere. *Grut.* Diem vastationis hujus annotat Tac. 15. 41, 4. *Fr. Solo* nec scriptus nec editus ullus liber habet, præter Voss. 1. et Ald. Sic rursus 'adæquare' infr. III. 10. 23. Add. Schult. ad Sen. Controv. xxx.

§. 15 *Sex mensibus*] *Septem* legi vult Stadius ex Auctoribus. *Sex* tamen etiam habet Varro, lib. 2. de Vita P. R. 'Ut Galli Romæ Capitolii sint potiti, neque inde ante sex menses cesserint:' ita enim legendum, cum in aliquibus exemplaribus legatur, *gesserint.* Præterea expungenda videtur vox *Capitolii.* Ceterum Stadium juvat computatio temporum ex Auctoribus desumpta, quoniam Agell. 5. 17. et Macrob. 1. 16, 16. pugna ad Alliam commissa est postridie Id. Quint. Galli vero depulsi sunt Id. Febr. Plutarch. Camil. cap. 48. *Fr.* Serv. in Virg. VIII. Æn. 652. habet *octo* menses. Locus Varronis est ap. Non. c. IX. §. 6. ubi et ante sic emendaverat Gothofred. et ediderat Mercer. quem vid.

Pependerunt] Freinsh. in Ind. hæserunt, morati sunt. Sed ita videtur dicere, quod adclinata monti habentes castra quasi pendere de eo videbantur; quemadmodum capellas pascentes 'de rupe pendere' dicunt Virg. et alii. v. Cerd. ad Virg. I. Ecl. 77. Claud. de B. Get. 568. 'Credite nunc omnes, quas dira Britannia gentes, Quas Ister, quas Rhenus alit, pendere paratas In speculis.'

Quum tandem Manlius] Scripti omnes nostri: *cum tamen Manlius.* Sal. Ryck. *tantum*, Regg. Flor. Berol.

Duisb. Voss. 3. et edd. vett. *tamen.* Hæc varietas est e compendio scripturæ.

Anseris] Ideo nutriendos in turribus anseres præcipit Veget. 4. 26. et Columella, lib. 8. cap. 13. Canes enim fefellerant Galli; 'et eadem de causa supplicia annua canes pendunt inter ædem Juventutis et Summani, vivi in furca sambucea arbore fixi.' Plin. 29. 4. *Fr.*

Excitatus] Est qui *excitus* corrigit, sed vulgata lectio bene se habet. *Id.* Stewechium designari puto, qui ad Veget. IV. 26. et ibi et h. l. legendum censet *excitus*, eo quod Liv. v. 47. et Aur. Vict. c. XXIV. in hac re voce illa utantur, et quod non credibile sit, Romanos tam socordes ac somnolentos fuisse, ut excitandi fuerint. Unde apparet, eum existimasse 'excitus' nihil aliud esse, quam, admonitus, vel motus, nec id dici de eo, qui dormiens e somno excitatur. Fallitur. Nam et Plutarchus aliique tradunt vigiles Romanos somno oppressos fuisse, et 'excitus somno' non minus sæpe apud optimos scriptores legitur, quam 'excitatus.' Vid. Gron. ad Liv. VII. 36. et Wass. ad Sall. Jug. LXXV.

Panes] Inde Jupiter Pistor. lege Ov. F. 6. 350. Quemadmodum autem efficiatur, 'ut quæ desunt, abundare videantur,' tractat Frontin. toto cap. 13. lib. 3. Strat. cui adde Polyæn. lib. 7. de Mygdonio: Cæsar. de B. Civ. 3. 48. *Fr.* Liber Ryck. *in spe fiduciæ.* Duisb. Voss. 3. et omn. edd. præter Ald. *ad spem f. Spes* sæpe vitiose scribitur pro *species.* Vid. Freinsh. in Ind. Lang. et Fabric. ad Cic. II. Off. 3. Burm. ad Vellei. II. 118.

§. 16 *Fabium Pontificem ab arce demisit*] Idem: *dimisit*, cum Jordanens. Sed quo jure dimisit Manlius Fabium Pontificem ab arce? Quia scilicet in arce imperabat. Nempe ut solenne sacrum in Quirinali monte hic Pontifex conficeret. Atqui sciendum est non solenne illud sacrum populi Romani fuisse, sed peculiare genti Fabiæ. Nec Fabius idem ille Pontifex, quo devovente Diis manibus se tum consecrarant Romani, cui Marco prænomen fuit teste Liv. sed C. Fabius Dorsuo hic vocabatur, qui hoc sacrificium suæ gentis in colle Quirinali tum suscepit conficiendum. *Sal.* Idem tamen, quod Florus, etiam Dio scribit in Excerpt. Peiresc. p. 581. et Fabium non solum Pontificem, verum etiam hoc sacrum publicum, et certo loco Urbis extra arcem faciendum fuisse, dicit. Appianus quoque in iisdem Excerpt. p. 557. Fabium ἱερέα vocat, et ab eo sacrum anniversarium in templo Vestæ factum fuisse tradit: sed publicum, an gentilicium fuerit, non addit. Mihi potior est in hac re auctoritas Livii v. 46. et Val. M. 1. 1, 10. Dionem, Appian. et Florum eo lapsos credo, quod in hac historia memoratur 'M. Fabius Pontifex M.' qui senibus se devoventibus verba præivit, Liv. v. 41. et Plutarch. Camil. Sed Fabius, de quo hic Florus, erat 'C. Fabius Dorso,' quem Camillus ap. Liv. v. 52. nullo alio quam egregii adolescentis titulo ornat. Et Appiani narrationem hoc quoque suspectam facit, quod plane verosimile est, templum Vestæ una cum aliis publicis privatisque ædificiis a Gallis incensum fuisse. Begerus hic nova quædam docet, quæ mihi nondum comperta fuerant. Dicit Fabium hoc sacrum fecisse non ut Pontificem, sed ut Flaminem Quirinalem. Nam hoc sacerdotium Fabiis gentile fuisse. Idque intelligi posse ex nummo Numerii Fabii, Flaminis Quirinalis, item ex eo, quod in gente Fabia aliquot illustres Flamines Quirinales memorentur. Nummus ille est ap. Ursinum in gente Fabia. Sed ex eo non magis confici potest, Flaminium Quirinale gentile fuisse Fabiis, quam Pontificatum, Auguratum,

aliaque sacerdotia iis gentibus, quarum nummi nomina, et insignia sacerdotiorum illorum habent. Deinde, quod dicit hoc sacerdotium gentile fuisse Fabiis, id plane falsum puto. Potitiæ genti olim familiare fuisse sacerdotium Herculis scribit Liv. I. 7. et IX. 29. et Nautios custodes sacrorum Minervæ fuisse, Serv. ad Virg. II. Æn. 166. et III. 407. Sed Flaminium Quirinale gentile fuisse Fabiis non magis verum est, quam Pontificatum, Auguratum, aliaque sacerdotia publica fuisse in certa aliqua gente. Et Begerum in hac re falli constat e Livio, qui XXIV. 8. M. Æmilium Regillum Flaminem Quirinalem memorat, et e Cic. de Arusp. Resp. VI. qui Sextum Cæsarem. Nam unum tantum Flaminem Quirinalem fuisse certum est. Ceterum huic Fabio apud Dionem prænomen est *Cæso*, non *Cajus*, ut ap. Liv. et Val. M. idque probat Valesius, utpote usitatum in gente Fabia. Eidem non *Dorsuo*, sed *Dorso* cognomen fuisse ostendit Sigon. ad Liv. V. 46. et sic Appian. l. d. Δόρσων. *Dimisit*, quod e libris suis laudat Salm. habent etiam Ryck. et Reg. F.

Solenne sacrum] ‘ Solenne gentis Fabiæ,’ Liv. 5. 52, 4. Alludit ad hunc morem Barclaius, lib. 3. ubi Selenissa ad Radirobanem: ‘ Instabat sacrificium meæ familiæ anniversarium.’ Add. Liv. 42. 32, 3. Cic. pro Domo, cap. 13. Excerpta Valesii, p. 556. 2 Sam. 20. *Fr.* De sacris gentiliciis vid. Sigon. I. de Ant. Jur. Civ. Rom. 8.

Per media hostium tela] Liv. V. 46. ‘ Per medias hostium stationes.’ Appian. et Dio διὰ τῶν πολεμίων. Nec quisquam tela in eum conjecta memorat. Et sic fortassis etiam verba Flori benigniore interpretatione exponi possunt. Nescio tamen, an more suo miraculi augendi causa ita loquatur.

Incolumis religionis auxilio] Livius, 5. 46, 3. Æstyi, ap. Tac. Germ. 45. 4. ‘ Matrem Deum venerantur, insigne superstitionis formas aprorum gestant, id pro armis omniumque tutela, securum Deæ cultorem etiam inter hostes præstat:’ sed forte ‘ securum magis, quam tutum,’ ut loquitur Morus lib. 1. Utopiæ suæ: aliter evenit ap. Virg. Æn. 2. 429. ‘ Nec te tua plurima, Pantheu, Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.’ *Fr.*

§. 17 *Obsidio*] Quidam olim editi *obsidione*.

Mille pondo auri] Plin. 33. 1. ‘ Cum a Gallis capta urbe pax emeretur, non plus quam mille pondo effici potuere. Nec ignoro, duo millia pondo auri perisse, Pompeii tertio Consulatu, e Capitolini Jovis solio, a Camillo ibi condita, et ideo a plerisque existimari, duo millia pondo collata: sed quod accessit, Gallorum præda fuit, detractumque ab his in parte capta urbis delubris.’ Sic igitur capiendus etiam Varro citatus a Nonio in voce *Torquem*. ‘ Auri pondo duo millia acceperunt ex ædibus sacris et matronarum ornamentis.’ *Fr.*

Recessum venditantes] Quidam habent: *reditum*. Sed illi degeneres ac vilioris notæ. Sequitur: *Quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio superbe victis increparent*. Ita testantur extare in suis libris Viri docti, et nos in nostris invenimus. Adhuc tamen cum vitio. Nec enim unquam ‘ increpare ’ cum dandi casu constructum legi. Consumptam igitur syllabam propter similitudinem et affinitatem puto. Omnino certe legendum: *cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbe væ victis increparent*. Scriptum erat *superve ve victis*. Sic infra, *circa Merinensium saltum* exaratum offendimus in membranis pro *circa Camerinensium*. Item paulo ante notavimus scriptum, *nisi capta urbe remearet*, pro *ne nisi*. Necessarium sane, ut illud *væ victis* inte-

grum heic legatur. Liv. 'Additus ab insolente Gallo ponderi gladius, auditaque intolerauda Romanis vox, Væ victis.' *Sal.* *Superbe victis increparent*] Eleganter, nec aliter aut trias Pall. aut Mss. Vin. qui tamen conjicit, *superbe væ victis increp.* frustra: nam ista intelliguntur tamen, quamvis non expressa: cusi fere *superbe victos*: at et v. e. alterum nostrum retinet. *Grut.* Pro vulgata tamen lectione forte sit locus Livii 9. 2, 15. 'Laborem irritum, præterquam quod hostes superbe increpabant:' et Plaut. Amphit. 1. 1, 224. 'Freti virtute, et viribus Superbi, nimis ferociter legatos nostros increpant.' Ita quidem, ut, si *victis* retineamus, Vineti emendatio placeat, mutata leviter, pro *superbe*, *insuper* *væ* legendo. *Fr.* *Reditum* Pal. 2. Regg. Magl. Ber. Duisb. Fran. et v. e. *Superbe væ victis* Flor. et Magl. Itaque retinendum putavi *væ*, quod jam ante edit. Grævii erat in Plantiniana A. 1584. probantibus etiam N. Heinsio, Ryck. et Periz. ad Sanct. Min. IV. 5. 1. Erat enim ipsa vox Brenni, ut Liv. V. 48. et Festus in *Ve victis*. Freinsh. conjecturam suam, quam sibi quondam in mentem venisse scribit Salm. in Notis prioribus, rursus inculcat in Indice, v. *Increpare*. Non adsentior illi. 'Superbe' recte refertur ad præcedens 'insolentiam,' et *ve* facilius excidere potuit post 'superbe,' quam *in* ante 'super.' Abiit autem vox hæc 'Væ victis' deinde in proverbium, de quo Erasm. in prov. 'Quid nisi victis dolor?' Sed Casaub. ad Polyb. 1. 6. recte notat Erasmum, qui proverbium Latinum ex coacta interpretatione verborum Græcorum Plutarchi, quam scriptoribus Latinis, et ipso usu concipere maluerit.

Aggressus a tergo Camillus] Variant in hac re narranda scriptores vetusti. Liv. V. 49. et Plutarch. in Camillo scribunt, Camillum in ipso articulo, quum Galli et Romani de ponderibus altercarentur, intervenisse, aurumque de medio tolli jussisse, et Gallos urbe expulisse. Alii Camillum Gallos, auro accepto jam ab Urbe digressos, insecutum prælio fudisse, et aurum recuperasse tradiderunt. Vid. Serv. in Virg. VI. Æn. 826. et Fest. in *Ve victis*. Mihi vera videtur eorum sententia, qui totam hanc Camilli victoriam commenticiam, et, quod Polybius prodidit, Gallos auro accepto obsidionem reliquisse putant. Vid. Rupert. ad h. l. et Palmer. in Exerc. p. 188. Add. Polyb. I. 6. Polyænus VIII. 25. 1. singularem historiam de perfidia Romanorum in Gallos refert.

Ut omnia incendiorum] De hoc Sidonius, Carm. 7. vs. 565. 'Texit fumantes hostili strage favillas.' *Fr.* Tumor poëticus, ad quem jure bonus Historicus erubesceret. *Rup.* Add. Græv. in Præfat. Livius, et Plutarch. qui Gallos a Camillo Urbe expulsos dicunt, tamen non multum sanguinis in ea fusum indicant. Quamquam omnes Galli ibi occisi fuissent, vel sic inepta esset oratio. Sed Floro locus aptus visus est, quem pingeret ex ampulla declamatoria. Begerus hæc eodem judicio defendit, quo a Floro scripta sunt.

§. 18 *Casas*] Varro ταφῇ Μενίππου. 'Antiqui nostri in domibus lateritiis, paululum modo lapidibus suffundatis, ut humorem effugerent, habitabant.' *Fr.* Add. Senec. Ep. XC. *Et flama* Ryck. Flor. Ber. Duisb. Vid. I. 6.

Incendium] Cic. in Verr. 4. 31. de incendio Capitolii: 'Ut illa flamma divinitus extitisse videatur, non quæ deleret Jovis Opt. Max. templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret.' Ita 'Timagenes, felicitati urbis inimicus, aiebat, Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quam arsissent:' Sen. Epist. 91. *Fr.*

Sed expiata potius, sed lustrata] Acutiss. Gruterus reposuit hanc veterum cusorum lectionem, nec scripti dissentiunt, nisi quod habent: *expiata et lustrata:* pessime aliæ editiones: *illustrata.* Sequitur in libris: *igitur post assertam:* item in Jord. non ut vulgo, *ideo.* Sic supra: 'Ancus deinde Marcius, nepos Pompilii ex filia, pari ingenio. Igitur et mœnia muro amplexus est.' *Sal. Et lustrata*] Ita Pal. tres et Mss. Vin. quomodo fere etiam vetuste cusus, nisi quod ille, *sed lustrata:* nam Camertis editio, *sed illustrata;* acutius forte quam verius. *Grut. Potius sed* etiam Duisb. Voss. 2. 3. et v. e. *Illustrata* non solum est in plerisque editis, sed etiam in Ryck. Voss. 3. et Flor. Male: nam respicit ad sacra lustralia, quæ igne fiebant. Vid. Rupert. Paullo ante Naz. Pal. 2. Voss. Ryck. Regg. et Magl. *nec obruta.* Eadem diversitas est in fine superioris Capitis.

§. 19 *Igitur*] Antea legebatur, *Ideo,* sed alterum erat in tribus Pall. *Grut.* De urbe a Camillo restituta Liv. v. 49. seqq. et Plutarch. in Camillo.

Ac primum omnium] Hic novum caput ordiuntur divi Nazarii membranæ, cum hoc lemmate rubricato: GALLICA BELLA: sed, mea sententia, satius est assentiri ceteris libris, qui una serie connectunt et continuant hoc caput. *Sal.*

Naufragia sua latius traheret] Quum clade accepta tamen adhuc tantæ essent illorum reliquiæ, ut passim per Italiam sparsi ac vagantes eam vexarent. *Naufragium* de clade belli frequens est. Liv. XXVIII. 39. 'Consules cum exercitu in Hispaniam velut ad colligendas reliquias naufragii nostri misistis.' Cor. Nep. Them. VII. 'Apud quam jam bis classis regia fecisset naufragium.' Mela II. 2. 'Flumen Ægos naufragio classis Atticæ insigne.' Flor. IV. 2. 64. et IV. 11. 7. Et de aliis jacturis ac detrimentis, ut, 'Naufragia rei familiaris,' 'fortunarum.' Vid. Manut. ad Cic. IV. Ep. F. 13.

Nulla Senonum vestigia] Distinguendi igitur hi a 'Semnonibus,' qui, ut Tac. in Germania sua, cap. 39. ait, 'vetustissimos se nobilissimosque Suevorum memorant.' Eorum fines, ut recte notavit Velleius, 2. 106. Albis præterfluit, nisi quod perperam apud eum pro *Semnonum* expressum est *Senonum.* Ita enim legend. *A Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundorumque fines præterfluit.* Perperam, inquam, expressum ibi *Senonum.* Pon. Velleii locum ita correxit etiam Aldus Manutius. Senonum tamen mentio ap. Cæs. de B. Gall. 2. 2. *Fr.* Mendacium mendacio stipatum ingredi dicit Rupertus. Nam Virdungum observasse, multis post Romam captam sæculis Senonum mentionem esse ap. Polyb. Strab. Cæs. Plin. et alios. Vana est hæc criminatio. Nam hi agunt de Senonibus in Gallia Transalpina; Florus de iis, qui transcensis Alpibus sedes in Italia posuerant, et Romam ceperant. Hos autem jam ante Polybii ætatem a Romanis sedibus pulsos, ac deinde interiisse, constat e Polybio II. 19. et 21. Strab. lib. v. p. 212. 216. et Plin. III. H. N. 15.

§. 20 *Manlius*] Præter citatos initio capitis lege cl. Quadrigarium ap. Agell. 9. 13. Non. in voce *Torquem.* Cic. de Off. 3. 31. Appian. in Excerpt. Vales. p. 549. *Fr.* Val. M. III. 2. 6. eos, cum quibus congressi sunt Manlius et Valerius, 'Duces Gallorum' vocat. Hoc reprehendit Perizon. in Animad. Hist. c. VII. p. 264. tamquam profectum e studio res gestas insignium suæ gentis virorum amplificandi; quum alii omnes eos tantum 'Gallos provocantes' fuisse dicant, non 'Duces,' præter Gellium, qui IX. 11. ex vetustis Annalibus eum, cum quo pugnavit Valerius, 'Ducem Gallorum' vocet.

Sed hoc non de summo exercitus Duce, sive Imperatore, verum de ductore ac regulo partis exercitus populive accipiendum esse. Hoc si jam concedamus, tamen non video, quidquam esse in verbis Valerii M. unde appareat, eum hos Gallos pro summis Ducibus, sive Imperatoribus exercitus Gallici habuisse. Certe nihil prohibet, quo minus eadem interpretatio, qua Gellium exponendum putat Vir Celeberr. etiam ad verba Valerii M. conferri possit. Et tamen etiam Suidas in Τορκούατος eum, qui a Manlio occisus est, 'Regem,' et Liv. VII. 26. eum, qui a Valerio, 'Ducem Gallorum' vocant.

Inter spolia detraxit] Liv. VII. 10. ita: 'Jacentis corpus ab omni alia vexatione intactum uno torque spoliavit.' *Detrahere* est proprium in hac re verbum. Liv. IV. 19. 'Tum exsangui detracta spolia.' Idem IV. 20. Claudius ap. Gell. IX. 13. Cic. pro S. Roscio. c. L. Aur. Vict. c. XXVIII. et Festus in *Opima*. De aureis torquibus Gallorum Freinsh. infr. ad II. 4.

Lucius Valerius insequente Gallo] *Insequente Gallo* antiqua lectio, inquit Viuet. Antiqua sane, vel etiam antiquissima sit, haud prohibet, quominus sit falsa, atque etiam falsissima: et plane est: sed illi antiquam esse haud concedam. Naz. de cujus vetustate supra diximus, *insidente galeæ*. Sic unus Pal. sic vetustiss. Jordanei. Alter, fateor, Pal. qui est, ut ita dicam, inter senem et juvenem, hanc spuriam obtrudit: *insequente Gallo:* si Gallus insequebatur, manifesto fugiebat Valerius, qui tamen vicit, et spolia retulit. Livium vide, et ejus Epitomen, in qua hæc eadem verba leguntur: 'Insidente galeæ corvo, et unguibus rostroque hostem infestante, interemit.' *Sal.* 'M. Valerius' est in Fastis, Liv. et aliis Scriptoribus, non 'Lucius.' Vid. Pigh. ad A. U. 405.

Sacra alite] Non corvum nominat, sed alitis sacræ nomine intelligit. Sacram alitem vocat ob augurium, cujus gratia multum observabatur hæc avis. Præpetem appellat Livius in hac historia, ubi sic loqui facit Valerium in sua precatione: 'Si Divus, si Diva esset, qui sibi præpetem misisset.' Et paulo ante, cum in galea ejus consedisset corvus, 'Ut augurium cœlo missum lætus accepit tribunus.' Ex avibus auguria facientibus, aliæ oscines, quæ ore; aliæ præpetes, quæ penna auspicabantur. Fuere et quæ ad utrumque valerent. Ut corvus, quem in hoc Valeriani certaminis miraculo præpetem indigitat Livius, quod volatu fecisset augurium, non cantu. Ceterum inter oscines etiam celebratus corvus. Ausonio dicitur 'Phœbeius oscen.' Poëtæ, 'Sacer ales,' de aquila. Græci accipitrem ἱέρακα absolute vocant, quasi *sacram volucrem*: unde quidam volunt nomen *Sacri* ad nos manasse. Sic vulgo nuncupamus alitem de accipitrum genere. Quæ vox plane origine Arabica est. Ut et illa, qua aliam prædatricem avem, sed degenerem, *buzam* appellamus. Verum de his alibi. *Sal.*

Et inde Corvini] Naz. cod. *Corvinii*. Non tamen 'Corvinius;' sed 'Corvinus,' auctoribus Lat. Græcisque dictus, qui primus hoc nomen adoptavit. Et sic ceteri deinceps. Paulo post melius legas: *ne quis extaret in ea gente, quæ incensam a se Romanam urbem gloriaretur.* Perperam in vulgatis *qui*. Tempore Dolabellæ, tametsi ille nullus delesset reliquias omnes Senonum, non tamen in ea gente extare potuit aliquis, qui hanc gloriam sibi vindicaret incensæ a se Romanæ urbis. Sed eorum nomen extinxit omne, ne quis superesset ex ea gente, quæ gloriabatur Romam a se incensam. *Id.* Totum locum edidimus, quemadmodum in Pal. suis legi testatur Grut. Pighius Annal. Roman.

lib. 4. in Ms. Cod. antiquo Flori, quem ex bibliotheca S. Amandi habuerit, ita se testatur reperisse: *Iterum Pontino in agro, cum in simili pugna Valerius, insidente galeæ sacra alite adjutus, retulit spolia, dictusque est ipse Corvus, et inde Corvini.* Certe Valerium hunc, in saxis Capitol. et priscorum monumentis, non 'Corvinum,' sed 'Corvum,' scribi, Stadius notat. Ap. Liv. etiam, 8. 16, 4. 'Valerius Corvus' est. *Fr.* *Et* ante 'inde' abest a Reg. Q, Flor. Ber. Duisb. Fran. et v. e. Pighii liber, quem memorat ad A. U. 404. in his, quæ in eo post vocem 'spolia' sunt, solus incedit. Nec indiget locus additamento illo. Est enim eodem modo dictum, quo paullo ante, 'inde Torquati:' i. e. inde posteri Valerii acceperunt cognomen Corvinorum. Nam alioqui Valerio ipsi cognomen fuisse 'Corvus,' non 'Corvinus,' e Mss. Livii, et Fastis Capitol. ostendit Sigonius ad Liv. VII. 26. cujus sententiam probat Pighius l. d. et ad A. U. 405. Sed diversæ sunt de hac re sententiæ Virorum doctorum. Muretus ad Propert. III. 9. et Schottus ad Aurel. Vict. c. XXIX. putant Valerium ipsum etiam 'Corvinum' dictum fuisse. Sed malo sequi Sigonium, Pigh. et Græv. ad Cic. de Sen. c. XVII. quorum sententiam etiam Fasti anonymi Norisiani, et Cuspiniani confirmant.

§. 21 *Tandem*] Est a libris Vin. Mss. nam Pal. 2. ac 3. *Tamen*, quomodo et v. e.; quippe posteriores, verbis duobus præmissis; *Nec non tandem:* uti et expressit Jord. quod item visitur in Pal. pr. nisi quod ibi, *tamen.* Grut.

Post aliquot annos] Circiter septuaginta; An. namque U. 472. hæc gessisse P. Cornelius Dolabella putatur, Cos. cum Cn. Domitio Calvino. *Vin.*

Omnes reliquias eorum] Plin. 3. 15. ubi de octava Italiæ regione: 'In hoc tractu interierunt Boii, quorum tribus CXII. fuisse auctor est Cato: Item Senones, qui ceperant Romam.' Dissentire tamen videtur Appian. in bellis Annibalis, ubi de Apennino: *A sinistro ad Ionium mare nunc quidem Italia est (nam et Hetruria Italia est) sed tamen partem ejus circa litus Ionium incolunt Græci, partem Galli, qui quondam Romam bello adorti incenderunt.* Fr.

Lacum Vadimonis] Ap. Liv. 9. 39, 6. leges, ad eundem lacum a Romanis cæsos fuisse Etruscos, ad ann. U. 445. Plinius Vadimonis ejusdem meminit, 2. 95. et Sen. Nat. Q. 3. 25. et Cato in Orig. Describit alter Plin. in Epist. ad Gallum, lib. 8. Epist. 20. Polybius, 2, 20. Ὀάδμονα, penultima brevi appellat, aut Polybii librarius. Obliqui casus ubique, rectus nunquam, quod meminerim. Leander Albertus, Italiæ descriptor, vix agnoscit hodie lacum hunc: et de illo dissentit a Blondo. *Vin.* Fabricio est lacus, qui hodie *di Viterbo* appellatur. *Pon.*

Quæ incensum] Sic Pal. 1. melius quam publicati, in quibus *qui:* quamquam id rectius videbatur Berneccero. Sed istud melius respondet præcedentibus, *ex ea gente.* Fr. Sic quoque Ryck. Regg. et Toll. *Qui* omnes alii, Frec. Jord. et om. ed. Recte Freinsh. Nam Florus loquitur de internecione totius gentis. Eorum, qui Urbem incenderant, haud dubie nemo etiam ante pugnam Dolabellæ cum Gallis superfuit: inter eam enim et Urbem captam interfuerunt anni plus centum. Vid. Salm. Jord. et Frec. *ex ea gente;* quod non displicet. Qui *quæ* mutarunt in *qui*, pro *ex* substituere debuerunt *in.*

Romam Urbem] Abundare conjeci *Romam*, et probat opinionem Berneccerus. Qua enim ratione Urbs pro Roma ponatur, adeo non ignotum est, ut etiam Azo JCtus, in illis humaniorum (ut vocant) literarum tenebris,

adverterit, pr. summæ in Cod. Vide et Steph. in 'Αλεξάνδρεια. Potuit illa vox e margine, quo forte interpretandi causa adpicta fuit, transisse in textum. Ita ap. Liv. 2. 43, 8. legitur: 'Fabio aliquanto plus negotii cum civibus, quam cum hostibus, fuit; unus ille vir ipse Cos. Rempublicam sustinuit, quam exercitus,' &c. 'prodebat.' Et Ap. eund. 4. 28, 9. 'Uni viro Messio fortuna hostium innititur.' Quis, locis his paulo attentius consideratis, non suspicetur, voces illas, *ipse Cos.*, et *Messio*, ab aliena manu irrepsisse? *Fr.* Aliter de utroque loco Livii sentit Vir summus J. Fr. Gronov. Hic quoque nihil tollendum arbitror. Nam 'Urbs Roma' infinitis locis ap. Veteres legitur. Vid. quæ congessit eruditiss. Wass. ad Sall. Cat. XVIII. Ceterum quum in Ryck. Toll. Regg. Duisb. Fran. et vett. edd. præter S. et P. sit *Romanam Urbem*, idque etiam Jord. habeat, et Edd. Vin. Grut. et aliæ recentiores, revocandum illud existimavi post Amst. et Beger.

CAP. 14 De hoc bello lege Liv. 8. Val. M. 6. 9, 1. et 9. 3, 4. Agell. 9. 13. Plutarch. cap. 22. Parall. Eutrop. 3. 1. Oros. 3. 9. Auctor. de Vir. ill. c. 26. et 28. *Cam.* Adde Diodor. 16. 91. Plin. 22. 5. Zonar. tom. 2. Cic. de Off. 3. 31. *Fr.*

§. 1 *Decio Mure*] Ita in libris suis fuisse testatur Vin. cum quibus consentiunt Naz. Voss. et Magl. *Murena* alii om. sc. et ed. præter Junt. Idem error est in exemplaribus Aurelii Victoris, et Orosii. Vid. Schott. ad Aur. Vict. c. XXXVI. Fabric. ad Oros. III. 9. et Pigh. ad A. U. 413.

Cum jus civitatis, partem imperii] De jure civitatis postulando, nullum verbum Legati Latinorum in senatu tum, cum de participando imperio egerunt. Duas res tantum petebant, ut alter consul ex Latio crearetur, et senatus pars æqua ex utraque gente esset. Hoc est, quod heic ait Florus, *cum partem imperii ac magistratuum poscerent.* Certe jus civitatis non pro magno petiissent, quod etiam subactis a se populis in Italia passim dederunt Romani, interim cum suffragii latione, interim sine hoc jure. Ut 400. Hernicis, a consule Marcio paulo post triumphatis, leges suas redditas tradit Liv. lib. IX. quia hoc maluerunt, quam jus civitatis. Adde quod Latini, qui hæc poscebant, ex coloniis Romanis plerique erant. Quin ille ipse Annius, Prætor Latinorum, qui pro omnibus verba fecit in his postulatis exequendis, ex colonia fuit Romana. Atqui certum est, colonias Romanas jus civitatis habuisse. Legebam igitur aliquando: *cum in jus civitatis partem imperii ac magistratuum poscerent.* Id est: ad jus civitatis, vel præter jus civitatis. Præter colonias Romanas nonnulli etiam ex populis Latinorum civitatem jam habebant, ut Tusculani. Veliterni jam cives erant veteres Romani. Non tamen omnes eo jure gaudebant. Id ex eo liquet, quod post varia prælia Romanorum cum Latinis sæpius rebellantibus, utpote qui neque bellum neque pacem pati possent, Romanis tandem placuit, quo Latinos sibi populos conservarent, ne ad extremum delendi essent, in civitatem eos accipere, alios alio jure, prout meriti essent singuli. Hoc narrat Liv. lib. VIII. Quo respexisse Florum hoc loco dubium non est, cum dicit, Latinos jus civitatis petiisse. Quod tamen nec eo tempore, nec unquam ab illis factum. Ex æquo se cum Romanis gerebant tunc temporis, nec pluris faciebant Romanam civitatem, quam suam quisque. Participare tantum imperia et magistratus volebant, et unam ex utraque rempublicam fieri, ex nomine Latino ac Romano; hoc tamen Romæ, ut patriæ potiori, concedentes, ut Romani omnes ab ea vocarentur. Nihil igitur hoc loco mutandum censemus: sed Flori error,

quales alios multos hoc toto opere notavi. *Sal. Jus civitatis*] Hoc pertinaciter sociis negarunt Romani, donec post crudelissima bella 'victis afflictisque, ipsi exarmati, quam integri, universis civitatem dare maluerunt,' ut Velleius 2. 17, 1. loquitur. *Fr.* Bellum indixit his verbis *jus civitatis* Salmas. ὁ πάνυ, præfatus non jus civitatis petiisse Latinos, sed tantum consortium imperii et magistratuum. Sed hoc ipsum est 'jus civitatis.' Sine jure civitatis nemo poterat Consul aut ullus Magistratus creari. Nam nemo nisi erat jure optimo civis, hoc est, qui jus suffragii ferendi habebat in comitiis, poterat petere magistratus, aut aliis dare. Ubi enim Latinus crearetur Romanus Prætor aut Consul? Num in municipiis aut coloniis Latinis fiet, et Romam ibi creatus mittetur, ut illius Urbis magistratum gerat? Nugæ. Recte Livius dicit in omnibus æquari voluisse Latinos Romanis. Nolebant diutius esse socii Latini nominis, sed cives Romani, et hac quidem lege, ut alter Consulum esset Latinus; hoc est, quod Livius dicit, ut alter a Latinis Consul daretur, sicut plebs dabat Consulem, cum Patriciis extorsissent jus Consulare, et effecerunt, ut ex plebe alter Cousulum crearetur. Nec obstat huic sententiæ quod Antium fuit colonia. Non omnes enim coloniæ jus civitatis habebant, sed erant, quæ jus Latii Italiæve tantum habebant, ut nemo paullo humanior ignorare potest. Præterea Antium toties rebellaverat, ut merito jure civitatis, si id habuerat, exciderit, ut ex Livio constat. Non igitur hic peccavit Florus, aut ejus scriptura est immutanda. Sed quod paucis verbis dixit Livius, hoc Florus pluribus exposuit. Cum dixisset ille, jus civitatis petiisse Latinos, id quasi pluribus verbis hic explicat, vocatque partem imperii et magistratuum. Nam qui petit consortium magistratuum Romæ gerendorum, petit etiam jus civitatis. Cod. Naz. *cum jus civitatis partem imperii ac magistratuum poscerent, apud quam amplius, quam congredi auderent:* quod non temere spernendum esse N. Heinsius putat, et censet ex omnium optimi et vetustissimi libri vestigiis sic rescribendum esse hunc locum: *Cum jus civitatis, partem imperii, ac magistratuum caput poscere (quanto amplius quam congredi!) auderent.* Similis locutio ap. Liv. IV. 3. 'Civitatem, quod plus quam connubium est, hostibus etiam victis dedimus.' 'Caput magistratuum' est Consulatus, ut Senatus 'Caput publici consilii' ap. Liv. V. 39. ita sub ipsis loquebantur Imperatoribus: Naso in Ponticis de Sex. Pompeio Cos. 'Quanquam Martia nullum Altius imperium Consule Roma videt.' *Græv.*

Partem imperii] Nempe ut alter Consul Latinus esset. Idem postea petiere Campani ap. Liv. 23. 6, 5. et Sil. XI. 59. *Fr.*

Atque jam amplius quam congredi auderent] Non hæc mihi prorsus sana aut integra videntur. Suspecta etiam faciunt, quæ in libris est varietas, et maxime quam præfert Naz. liber, qui sic habet: *aput quam amplius quam congredi auderent.* Nihili facio ceterorum variationes. Nam magis etiam turbat Pal. 1. hac lectione: *pari imperio atque etiam amplius.* In 2. scribitur: *pari atque etiam amplius.* Si quid veri mens auguratur, totus hic locus ex vestigiis Nazariani sic concipiendus fuerit: *Cum jus civitatis, partem imperii ac magistratuum poscere, at id quam amplius quam congredi? auderent.* Plenus Noster hujusmodi interjectionum admirantium, vel interrogantium. Cum, inquit, auderent poscere partem imperii magistratuumque cum jure civitatis. At id quam amplius quam congredi? Nimirum longe majus fuisse significat, quod ausi sunt postulare partem imperii et

magistratuum, quam si Marte tantum congressi essent. Multi quippe populi ex reliqua Italia bello cum populo Romano contenderunt, at nullus ausus fuerat hactenus petere quod Latini tum poposcerunt. Nihil mutavimus ex antiqua scriptura Naz. Codicis, nisi quod ex *aput*, fecimus, *at id*. Notum est criticis, quibus veteres libri noti sunt, sæpe in his *p* pro *t* scriptum reperiri, et *t* pro *d*. Sal. *Atque jam amplius*] Hoc omnem audaciam videtur excedere Floro, rem ex Romanis animis æstimanti. Et re ipsa amplius hoc est, quam congredi. Nam hoc etiam infirmiores sæpius audent: 'Quin' enim 'resistendum sit impugnantibus, nec eos quidem dubitare, qui spe victoriæ carent,' ait Mithridates ap. Justin. 38. 4. 1. illud, imperare nimirum, ut in consortium imperii recipiatur, non est nisi ejus, qui se pro pari, vel superiore gerit. *Fr. Poscerent pari imperio* etiam Ryck. Flor. et Edd. præter primam. *Atque jam* in Pal. 1. et 2. esse scribit Grut. Salm. hic *atque etiam;* sed hoc non adnotarat in exemplari suo. In om. sc. et ed. inveni *atque jam*, præterquam in Voss. 2. qui habet *apud quam*. Post 'auderent' posui distinctionem maximam e Duisb. et V. E.

§. 2 *Quis cessisse hostem mirabitur*] Istam scripturam non impugno. Non possum tamen quin moneam in Ryck. haberi: *quis cecidisse hostem mirabitur*. Plaut. Amphit. 'Crebrique hostes cadunt.' Ovid. VII. Met. 'Civilique cadunt acie.' Quint. 'Cecidere pro patria.' Mox idem codex *occideret*, pro quo in vulgatis est, *occiderit*. Græv. *Cecidisse* etiam Voss. 3. omnes alii *cessisse*. *Cedere* pro, vinci, non amplius contendere, usitatissimum est omnibus scriptoribus. Flor. II. 2. 25. 'Quia Carthago non cesserat.' Et II. 6, 61. 'Sed tamen Annibal cessit.' Vid. Freinsh. in Ind. Broekh. ad Propert. I. 9, 27. et ad Tibull. III. 6, 4. *Occiderit* habent alii om. sc. et ed. Recte, ut ostendit nexus orationis, et sequens 'devoverit.'

Alter Consulum] Manlium intelligit. Nam aliorum de Posthumio opinionem, in qua etiam Diodorus, 12. 64. esse videtur, et est Agellius, 17. 21. refellit Livius, 4. 29, 8. Inde cognomen 'Imperioso' hæsit. Livius ibid. et Plin. 22. 5. Vide etiam Agell. 9. 13. et Plutarch. Parall. cap. 12. Sall. Cat. 52. 27. Porcium Latron. Declam. in Catil. Dionys. 8. 79. Ælian. Hist. Anim. 12. 33, 3. ubi tamen Capitolino hoc tribuit, falso. *Fr.* Nemo omnium Scriptorum, quos laudat Freinsh. T. Manlium, de quo hic agitur, ex hoc facto 'Imperiosi' cognomen accepisse tradidit, præter unum Livium IV. 29. Sed Livium ex ipso Livio, qui VII. 4. patrem hujus T. Manlii, L. Manlium, ob sævitiam in delectu id accepisse auctor est, refellit, et filios illius etiam cognomen patris usurpasse e Fastis ostendit Perizon. c. VIII. Animad. Hist. p. 350. Idem viderant Rupert. ad h. l. et Castilioneus ad Sall. Cat. LII. e quo aliisque ad Sallust. consuta est adnotatio Thysii et Oiselii ad Gell. IX. 13.

Quasi plus in imperio] Hoc est: Quasi aliquid præter victoriam ex imperio et disciplina expectandum sit: sed amplius esse in eo docet iste Manlius ap. Liv. 8. 7, 16. et ap. eund. 8. 34, 2. L. Papyrius. Etiam Alex. Imp. ap. Lamprid. cap. 53. 'Disciplina majorum imperium tenet, quæ si dilabatur, et nomen Romanum et imperium amittemus.' *Fr.* Quasi utilius Reipubl. esset, si non contemnantur imperia Ducum, quam si victoriam miles de hoste reportasset. *Virdungus* ap. Rupertum. 'Plus est in imperio' eodem modo dicitur, quo 'Omnia in hoc sunt,' 'Totum in hoc est,' ap. Cic. et alios, nempe situm, vel positum.

§. 3 *Alter quasi monitu Deorum*] Immo Deorum monitu id factum Livius tes-

tatur, cum utrique consuli visa in somnis species viri supra humanum habitum, denuntiantis, ex una acie exercitum, ex altera imperatorem, Diis manibus terræque matri deberi. Notabis in sequentibus cacozeliam et poëticam licentiam sive lasciviam: 'novum ad victoriam iter sanguinis sui semita aperiret.' Satis erat dixisse: *ut iter ad victoriam sanguine suo aperiret.* Quid enim est: 'Sanguinis sui semita?' Nec melius aut sanius, quod in eadem habetur periodo: 'in confertissima se hostium tela jaculatus.' Quod idem est, ac si Græcus diceret, ἑαυτὸν ἠκόντισεν εἰς τὸ μέσον. Manilius de petauristis et parabolanis saltatoribus dixit: 'Sese jaculantur in auras.' Quod in Poëta et de illo hominum genere tolerabile. At insanum ac nimis κακόζηλον de Imperatore, qui in confertissimos hostes se immittit. *Sal.* Vide supra, 1. 13, 9. Alludit huc, fabulæque suæ aptissime inscrit, nunquam sine laude nominandus Barclaius, ubi Sitalcen quendam Sardum, pro Radirobane et Sardorum exercitu se devoventem facit. Vide etiam Statium, Theb. 10. 757. Porro Auctores, qui nostræ historiæ mentionem faciant, annotat Camers, Plutarch. c. 33. Parall. Val. M. 5. 6, 6. Plin. 22. 5. et 28. 2. Auctor. de Vir. ill. cap. 26. Juv. 8. 254. (et 14. 239.) Virg. Æ. 6. 824. et Claud. de IV. Consul. Honorii, vs. 404. Idem multis post sæculis fecit Claudius Imp. ap. Victor. de Cæs. cap. 34. De Deciorum devotionibus vide Cic. Philip. 11. 6, 3. et ejusdem egregium, et, judicio Bernecceri, verissimum judicium, de Nat. D. 3. 6, 4. *Fr.* Tuetur hujus loci scripturam contra Salmasium non modo Claudianus, judice N. Heinsio, sic enim is in Paneg. de Cons. Mallii Theodori: 'Vel qui more avium sese jaculatus in auras,' pro quo *amentare* dixit paullo post in eod. Paneg. vs. 321. 'Quorum compositam puer amentatus in arcem,' ut ibi ille ipse Vir magnus restituit: sed et Florus l. I. c. 13. 'Signum in hostes jaculari,' et lib. I. c. 11. 'Jaculari se in hostem.' Sed nimis poëticum, inquit Salmas. quo loquendi modo solus usus sit Manilius, si illi credimus. At locus ille, quem tangit, non ap. Manil. extat, sed ap. Claudian. de Consulatu Mallii Theodori. Quid faciemus igitur A. Gellio, qui libro XVI. cap. 19. in Arionis historia, quam ex Herod. transfert, sed liberrimo orationis filo, in noctes suas Atticas, hoc inter alia ponit: 'Tum inter hæc eorum verba Arionem cum fidibus et indumentis, cum quibus se in mare jaculaverat, exstitisse?' *Græv.* Hic turbata sunt quædam in iis, quæ adnotat Grævius. Flor. I. 11. dicit, 'Signum in hostes jaculatus est,' et I. 13. 'Panes ab arce jaculatus est.' Gellius l. d. 'Quibus se in salum ejaculaverat.' Et sic Ov. VI. Met. 259. 'Seque ejaculatus in altum (sanguis) Emicat.' Sed tamen ποιητικώτερον videtur esse, quum homo se dicitur 'jaculari.' Liv. quidem VIII. 9. multo simplicius in hac re narranda 'Armatus,' inquit, 'in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit.' Ἀκοντίζειν de jactu e navi facto dicit Ach. Tatius lib. III. p. 159. Πάντα ὁμοίως ἠκοντίζομεν ἔξω τῆς νηός. Sed probo judicium Salmasii.

§. 4 *Ut in confertissima*] Sic Pal. 2. ac 3. nam 1. non agnoscit *ut:* male tamen: sane ut eidem Pal. 1. aliquis ita attendat, tanquam si solus errare non posset, nimium fuerit superstitiosi. Hoc enim ipso capite invenias ibi sphalmata scribæ; *quia*, pro *quasi*, item *devolverit*, &c. quæ exempli tantum causa produco, infinitis enim locis aliis turpissime errat; quod ei cum optimis quibusque membranis commune. *Grut. Ut* inveni in om. sc. et ed. In Reg. Q, singularis scriptura est, *ut in confertissima hostium tela equo raptus novum.* Probari posset, si accederet plurium Codd. auctoritas.

Sed tamen vulgatum magis convenit ingenio et stilo Declamatoris nostri, cui nusquam placuit simplicitas. 'Aperire iter ad victoriam semita sanguinis sui' post Salm. reprehendit etiam Græv. in Præf. ut inepte dictum. Quæ sit eorum verborum sententia exponit Burm. ad Phædr. Prol. lib. III. vs. 38.

CAP. 15 Hujus belli, tanquam parvi momenti, pauci meminerunt. Lege Auctor. de Vir. ill. cap. 33. et Oros. 3. 22. de Sabinis pop. Plin. 3. 12. et Sil. 8. 423. de Sabino enim nomine non idem omnes sentiunt. *Cam.* Vide etiam Frontin. Strateg. 1. 8, 4. et Euseb. item Liv. Epit. 11. 6. *Fr.*

§. 1 *A Latinis aggressus est gentem Sabinorum*] Nusquam legi, Sabinos in hoc bello se Latinis adjunxisse, aut, statim post Latinos, gentem eorum a Romanis arreptam ac debellatam. Nusquam hoc factum. Multo etiam magis a specie veri abborret, quod addit, a Curio Dentato Consule subactos, et omnem eorum agrum igne ferroque vastatum. Verum quidem est, Curium Dentatum de Sabinis triumphasse, sed nec illi Sabini se Latinis istis adjunxerant, et bellum Latinorum, de quo hic loquitur, a bello isto Sabinorum, quo devicti sunt a Curio Dentato, magno intervallo temporum dissidet. Latinis debellatis et victos se fatentibus, cum servari eos placuisset, et beneficio, ne amplius rebellarent, demereri, civitas data est ex sententia Furii Camilli, qui consul fuit anno urbis....At Sabinorum bellum profligatum est per Curium Dentatum consulem Anno urbis....Anni sunt....Inter illud spatium multa alia bella gessit populus Romanus, Bellum Ausonum, Bellum Privernas, Neapolitanum, Samniticum, Etruscum, et alia, de quibus nullam hic mentionem habet Florus, qui duo tempore et causa disjunctissima bella simul conjunxit. Sic, magno dispendio rerum ac historiæ, fiunt hæc historica compendia. *Sal.* Curius Sabinos vicit A. U. 463. Bellum cum Latinis gestum est A. U. 413. quo Decius se devovit. Pax iisdem data Camillo et Mænio Coss. A. U. 415. a quo ad bellum cum Sabinis sunt anni 48. Vid. Panvin. Sigon. et Pigh. ad hos annos. *Aggressus gentem* Voss. 1. 3. et edd. quædam recentiores.

Immemores factæ sub Tito Tatio affinitatis] N. Heins. legendum esse contendit: *pactæ sub Tito Tatio affinitatis:* firmatque hanc conjecturam Liv. XXXIV. 32. 'Cum Philippo hoste nostro non societatem solum, sed affinitatem etiam pepigisti:' sic etiam ap. Velleium II. 65. *pacta affinitas* scribendum esse conjecit. Naso in Fast. de Castore et Polluce: 'Leucippo fieri pactus uterque gener.' Vell. I. 1. 'Quod pactæ ejus Hermiones nuptias occuparat.' Dubitat etiam annon scribendum sit ap. Flor. lib. I. cap. 1. *pax pacta, et fœdus pactum* alibi pro *factum.* Subjicit idem, sic in notis ad Nason. in Papinio olim recte se correxisse *connubia cœlo pacta,* ubi scripti libri constanter, sed male, *facta.* Sed et ap. ipsum Nason. similes mendas complures se sustulisse testatur. Hinc et *pacta jugalia* Ov. in fab. Cephali: 'Alter agebatur post pacta jugalia mensis.' Sic hunc locum correxit, cum optimus codicum *acta* præferret, vulgati *sacra.* Græv. Vid. Heins. ad Vell. l. d.

§. 2 *Dentato*] Rationem et originem talium cognomentorum lege ap. Plutarch. Coriol. cap. 14. et 15. *Fr.* De Curio add. Plin. VII. H. N. 16.

Qua Nar ambit, fontesque Velini] Mihi semper de mendo suspecta visa hæc lectio. Legeram ex conjectura primo: *qua Nar amnis fontesque Velini.* Quam mihi postea veram adprobavit consultus codex bonus et antiquus Naz. In antiquis Jord. exemplaribus hanc scripturam inveni: *eorumque loca a Varanio fonte Adriatico tenus mari*

igne ferroque vastavit. Quærendum, num aliquis fons Varanius in illis locis. Puto illum hanc lectionem exsculpsisse ex antiqua Flori et intricata scriptura, dum eam non satis assequitur: *qua Naranio fonte Velini.* Inde ipse fecit: *a Varanio fonte.* Quasi aliquis ibi locorum fuerit fons Varanius. *Sal.* Naz. satis clare expressit, *qua Nar, Anio, fontesque Velini, Adriatico, &c.* ut aliquid subintelligatur; quæ lectio minime profecto contemnenda. *Grut. Qua Nar ambit fontesque Velini*] Non potest ferri hæc lectio. Scribendum enim fuisset, *quem Nar ambit, fontesque Velini.* Recepi Naz. libri a Ryck. quoque firmatam, et Salm. probatam scripturam: *qua Nar amnis fontesque Velini.* Nec eam tamen esse integram facile mihi persuadeo. Sed cum Grut. ex vestigiis Jornandis apud quem habetur: *loca a Varanio fonte*, et veterum librorum Flori, in quibus scribitur: *qua Naronio fonte Velini;* legendum: *qua Nar, Anio, fontesque Velini.* His enim finibus Sabini circumscribebantur. Plin. III. Hist. 12. 'Sabini, ut quidam existimavere, a religione et Deorum cultu Seveni appellati, Velinos accolunt lacus, roscidis collibus. Nar amnis exhaurit illos sulphureis aquis. Tiberim ex his petens replet, et monte Fiscello labens juxta Vacunæ nemora et Reate in eosdem conditus. At ex alia parte Anio, in monte Trebanorum ortus, lacus tres amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim.' Ceterum in hoc bello describendo Florus hallucinatur non tantum in ratione temporis, ut Salmasius ostendit, sed et in locorum situ, cum scribit Sabinorum terras a Nare, Anione et Velino fuisse vastatas ad mare Hadriaticum usque, cum illorum ager pertineret tautum ab his amnibus ad Apenninum; terras vero ab Apennino usque ad Hadriaticum tenuerint Galli Senones. Rectius itaque Auctor de Vir. Ill. in M'. Curio Dentato: 'Manius Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphavit: quos usque ad mare superum perpacavit.' Subjicit de his tantum agri et hominum cepisse Curium, de quo et Florus loquitur. Postea subnectit, illum de Sabinis quoque triumphasse. Samnites tunc armorum societate juncti erant Umbris, Gallis et Etruscis: a Romanis fusi sunt in Senonum agro, in quem et postea coloniam duxerunt, quæ Sena dicitur. Hunc errorem Flori primus animadvertit Ph. Cluverius Ital. Antiq. lib. II. cap. VIII. et pluribus refellit. Ceterum N. Heins. conjicit legendum esse *qua Nar abit fontesque Velini.* Is enim fluvius, inquit, ortus in Fiscello monte agrum Sabinum atque Umbrum dividens, in Tiberim se tandem decurrens exonerat, auctus lacu Velino. *Græv.* Salm. in Ed. Commelin. hanc exhibet scripturam Codicis Naz. *Auarani ofente in vel in Adriatico.* Ex ea potius legendum est cum Grut. *Nar Anio*, quod etiam Salm. ibidem probaverat, quam *Nar amnis.* Alii libri hic valde variant: de Ryck. monuit Græv. Pal. 1. *qua Nar fluvius ambit.* Sic quoque Fran. sed *quem* pro *qua.* Pal. 2. *qua natura ambit.* Vineti, Reg. F, Ber. Magl. Duisb. et om. ed. *qua Nar ambit f. V.* Florent. *qua Nar fluvius abit f. V.* Voss. 1. 2. *Nar abit:* quo confirmatur conjectura Heinsii. Reg. Q, *qua Nar f. V.* Voss. 3. *qua Nar amnis ambit.* Ex hac diversitate satis apparet: vitium esse in voce *ambit.* In Edit. Grævii prave editum erat *Narannis* pro *Nar amnis.* Amst. sequuti judicium Grut. et Grævii ediderunt *Nar, Anio.* Hoc verum puto; sed non debui recipere.

§. 3 *Nec ipse posset æstim. &c.*] Vide Oros. 3. 22. refert Auctor de Vir. Ill. c. 33. Curium hunc de Samnitica victoria ita ad Senatum retulisse: 'Tantum agri se cepisse, ut solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepisset: tantum porro hominum ce-

pisse, ut fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepisset.' *Fr.* Si verum est, quod scribit Aur. Victor, Florus confundit duas victorias Curii, et de Sabina dicit, quod ad Samniticam pertinebat. Sed Orosius hoc quoque refert ad victoriam ejus de Sabinis.

Cap. 16 Prima pars capitis hujus, de precibus scilicet et deditione Campanorum, habetur a Liv. 7. 30. &c. reliquum lib. 9. *Cam.*

§. 1 *Precibus deinde Campaniæ motus*] Et heic ὑστεροπρότερον χρονικὸν ingens a Floro commissum, dum Samniticum bellum, quod precibus Campanorum motus suscepit populus Romanus, tempore posterius facit Latino ac Sabino bello, de quibus tractat præcedenti capite. Ac de Sabino quidem nullum est dubium, cum tot annorum interstitio præcedatur ab isto Samnitico, quod susceptum est in gratiam Campanorum. Profecto ne Latinum quidem, etsi tanto antiquius Sabino, temporis primas ferre debeat contra Samniticum, quod prius est. Ecce enim Campani auxilium adversus Samnitem petiere, Coss. M. Valer. Corvino tertium, et Aulo Cornel. Cosso, quibus cura hujus belli demandata, qui et ambo de Samnitibus triumpharunt. Hoc initium belli Samnitici, et primus de hoc Romanorum triumphus. At Latini cum Campanis defecerunt, tribus ferme annis post consulatum M. Valerii, et initium belli Samnitici, in consulatu Manl. Torquati et Decii Muris. Prius certe finem accepit bellum Latinorum, quam Samniticum, quod quinquaginta ferme per annos duravit, cum vix debellati statim rebellarent, utpote de quibus quater et vigesies triumphatum sit. *Sal.*

Pro sociis] Tertium membrum divisionis propositæ supr. 1. 9, 6. De re ipsa vide Lips. Polit. 5. 4, 7. Diodor. 22. 1. *Fr.*

Samnites invadit] Naz. cum Jordaneis *Samnitas*, ἀρχαϊκῶς: sic *Pæanas*, *Acarnanas*, pro *Pæanes*, *Acarnanes*; vide Charis. lib. 1. *Sal.* Ryck. *Samnitas* quod et Naz. et Jornand. præ se ferre testatur Salmasius. Sane sic veteres sæpe scripsisse alibi pluribus exemplis ostendi. Idem codex Ryck. eodem modo paullo post. *Samnitas invasit.* Græv. *Samnitas* habent et hic et n. 7. excepto Fran. alii om. sc. et ed. In Ryck. utroque loco est *Sanitas*, n. 2. *Sanniticum*, et n. 7. *Sannium* et *Sanio*. Et sic varie alibi in eodem libro. Nec minus in aliis, *Sanitos*, *Samites*, *Sampnites*, *Sanium*, *Sannium*, *Sampnium*, interposito *p*, ut *dampno*, *tempno*. Eamdem varietatem inveni in Ms. Aur. Victore, in quo etiam semper in accus. plur. erat *Sanitas* et *Sannitas*, non *Samnites*, ut edidit Schottus. Hi autem Græcis sunt Σαμνῖται et Σαννῖται, Steph. in Σάμνιον, et Σαννῖται, ubi vid. Holst. et Scal. ad Fest. in h. v. Straboni et Polyb. etiam Σαννῖται, de quo Casaub. ad Strab. v. p. 250.

§. 2 *Erat fœdus cum utrisque percussum*] Immo cum solis Samnitibus. Ea causa repulsi primo Campani, auxilium contra Samnitem implorantes, quod negaret Senatus opem dare se posse, fide fœderis illæsa, externis, adversus socios atque amicos. Ita enim his respondit consul ap. Liv. ex auctoritate Senatus: 'Auxilio vos, Campani, dignos censet Senatus; sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobis fœdere juncti sunt.' Vide reliqua ap. Liv. lib. VII. Coacti itaque Campani se ac sua Romanis dedere, ut sic illis liberet dediticios suos tueri. Falsum igitur quod statim subjicit Florus: 'Sed hoc Campani sanctius, et prius, omnium suorum deditione fecerant.' Dicit fœdus Romano percussum cum utrisque populis, Samnitibus et Campanis; sed Campanorum fœdus prius ac sanctius fuisse, quod omnium suorum deditione factum sit. Hæc in-

ter se plane pugnant, fœdus cum aliquo facere, ac deditionem. Si deditionem fecere Campani, fœdus illud non fuisse constat. Nam per fœdus æquatio juris fit inter fœderatos. Per deditionem omnia unius traduntur in potestatem alterius. Ne ipsi quidem dediticii suæ sunt potestatis et arbitrii, sed illius esse censentur, cui se dediderunt. Demus fuisse fœdus, quod fecerunt Campani, dedentes se Romanis, non tamen prius fuerit quam Samnitium. Fœderati quippe jam tum Samnites erant Romanorum, cum ab his petitum auxilium venere Campani. Nec enim ante id tempus fœdere ullo aut societate juncti cum Romanis memorantur. Immo si fœdus illud fuit tunc, ideo factum est, ut defensores haberent Romanos adversus Samnites, antiquos amicos et socios populi Romani. Sed deditionem sui et omnium suorum facere adacti sunt, nec aliter auxilium obtinuissent. Tunc igitur opem illis pollicitus est senatus, quia jam inde pro suis rebus et hominibus illud auxilium dabatur. Nam dediticii in potestate sunt ac dominio eorum, quibus dediti sunt. Et recte mox Florus : 'Sic ergo Romanus bellum Samniticum, tanquam sibi, gessit.' Quia scilicet pro suis rebus ac suis dediticiis illud gestum est. Hinc illa in oratione Campanorum ad Senatum, cum se ac sua dederent ad auxilium impetrandum : 'Quandoquidem nostra tueri adversus vim atque injuriam justa vi non vultis, vestra certe defendetis. Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaque omnia in vestram, Patres conscripti, populique Romani ditionem dedimus.' Hæccine verba sunt ac formula æqui fœderis ac sancti? Immo deditionis, qua alterius potestatis fiunt, quæ olim sua erant. Sed ipse sibi contradicit Florus. Nam qui mox dixerat, bellum illud sibi gessisse Romanos, quia pro suis nimirum dediticiis, idem initio capitis scribit, populum Romanum, 'precibus Campaniæ motum, non pro se, sed, quod est speciosius, pro sociis, Samnites invasisse.' Hæc non possunt inter se conciliari, ut socii simul ac dediticii fuerint Campani Romanorum, utque Romani bellum illud, pro sociis pariter, ac tanquam sibi, rem suam scilicet gesturi, susceperint. Varie quidem fœdera ; alia æquis, alia iniquis legibus. Sed deditio nunquam fuit fœdus. *Sal. Hoc Campani sanctius et prius omnium suorum deditione fecerant*] Duo in his Flori verbis reprehendit Vir incomparabilis, quod deditionem vocet fœdus, et quod fœdus Campanorum dicat prius fuisse fœdere Samnitium. Sed nihil hic in se admisit Florus, cujus accusari merito possit. Nam deditionem quoque fœdus esse, sed omnium iniquissimum, id clare Menippus, Antiochi legatus ap. Liv. docet XXXIV. 57. ubi ait : 'Esse tria genera fœderum, quibus inter se paciscerentur amicitias civitates regesque. Unum, cum bello victis dicerentur leges : ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus multari velit, ipsius jus arbitriumque esse ; alterum, cum bello pares æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent : tunc enim repeti reddique per conventionem res, et si quarum turbata bello possessio sit, eas ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componi : tertium, cum, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendum coëunt, eos neque dicere neque accipere leges, id enim victoris et victi esse.' Est igitur inter fœdera deditio, sed iniquissima. Hoc Livius etiam docet lib. IX. 20. 'Theates Appuli impetraverunt, ut fœdus daretur : neque æquo tamen fœdere, sed ut in ditione populi Romani es-

sent,' hoc est, ut essent dediticii. Sic et Samnites ap. eund. lib. VIII. 1. 'Sidicinos, qui nec ut Samnites in pace, amicitiam, nec, ut Campani, auxilium in bello petissent, nec in fide populi Romani, nec ditione essent.' Hoc est: Qui nec æquo fœdere, ut Samnites, nec deditione, ut Campani, in amicitiam populi Romani venissent. Nam hæ erant dedentium se sollemnes formulæ. Plaut. Amph. I. 1. 'Dedunt se, divina humanaque omnia In ditionem atque in arbitratum, cuncti Thebano populo.' Et ap. Liv. lib. I. 'Deditisne vos populum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique Romani ditionem?' Proprie ergo in ditione esse deditionem significat, quod fœdus Livius vocat, sed non æquum: quia vero omnium fœderum erat iniquissimum, ut non longe abesset a servitute summa, hinc fœderi nonnunquam deditio opponitur, ut ap. Liv. eod. in loco: 'Campanorum aliam conditionem, qui non fœdere, sed per deditionem in fidem venissent.' Qui locus forte τῷ πάνυ imposuit, ut affirmaret deditionem nunquam fuisse fœdus; sed facile huic loco potest occurri, si recte explicetur. Hoc enim Latini aiunt, Campanos non fœdere, nimirum æquo, ut scilicet Latini, sed deditione, hoc est fœdere iniquissimo, in Romanorum societatem venisse. Primum crimen diluimus, alterum longe levius est, et minore negotio potest amoveri a Floro. Cum dicit Campanos suum fecisse fœdus sanctius et prius Latinorum fœdere, non vult tempore Campanorum fœdus præcessisse Latinorum, sed deditione suorum omnium fecisse, ut illi fœderi, quod cum Latinis fecerant Romani, præferretur et anteponeretur. Quo sensu dicitur 'nihil prius et antiquius habere,' hoc est, omnibus rebus anteferre. Phædrus lib. I. 'Si vocem haberes, nulla prior ales foret,' omnibus avibus anteferreris. Horat. IV. Carm. 'Qui color est puniceæ flore prior rosæ.' Quod autem in his Florus de Romanis, id Livius lib. VI. c. 10. de Nepesinis narrat, illis nimirum deditionis quam societatis fidem sanctiorem fuisse. Romanos sane jure dedititios præposuisse sociis, rationibus posset ostendi facile, nisi has partes jam pridem occupassent homines juris divini humanique peritissimi. *Græv.* Deditionem genus fœderis esse, etiam Rupert. hic adnotat e Sigon. I. de Ant. Jur. Ital. I. et Grotio, quem vid. in Adnotatis ad III. de J. B. et P. 8. 4. et II. 25. ubi docet, cur Florus dicat fœdus Romanorum cum Campanis horum deditione 'sanctius' factum fœdere cum Samnitibus. Vocem 'prius' Grævius bene exponit contra Salm. Et hujus significationis quamplurima sunt exempla in omnibus Scriptoribus, quorum nonnulla adnotavit Schult. ad Sen. Suas. III. Hinc 'prior' et 'potior,' item 'prior' et 'probatior' sæpe conjunguntur tamquam synonyma. Vid. Liv. XXII. 28. XXVII. 8. et XXXVI. 7. Tertia reprehensio Flori (tria enim in eo carpit Salmasius) quam primo loco a Salm. positam præterit Grævius, justa est: utpote quæ nitatur diserto testimonio Livii VII. 30. et 31.

Sic ergo Romanus] Quidam *pop. Romanus.* Non ita recte. Nam alibi sic loquitur, 'Romanus,' 'Germanus,' 'Tarentinus,' non addens, *populus.* Exempla passim obvia. *Sal.* Additamentum *populus* est in Pall. Ryck. Reg. F, Magl. Berol. Duisb. et V. E. Id ab alia manu intrusum esse etiam hoc argumento est, quod in aliis libris est *pop. Rom.* in aliis *Rom. pop.*

§. 3 *Omnium*] Campaniæ laus sumta est ex Plin. 3. 5. Solin. cap. 8. Strab. lib. 5. Eutropio 2. 1. Eleganter Silius Campaniæ laudes cecinit 8. 526. De his populis plura Plin. 3. 5. et 12. *Cam.* Adde Polyb.

3. 91. Dionys. 1. 37. Plin. 18. 11. Cic. pro L. Agrar. Strab. lib. 5. Inde est quod Sen. Epist. 51. ait: 'Hannibalem indomitum nivibus et Alpibus virum, enervaverunt fomenta Campaniæ.' Pertinet eo proverbium quod hodieque usurpari Camerar. Subcisiv. 1. 85. refert: *Il regno Neapolitano e un delicato paradiso, ma habitato da gli diavoli.* Fr. Ryck. *Omnium non modo Italiæ, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est.* Mox idem: *Vesevus*, non *Vesuvius*, ut plerumque vetustissima monumenta. *Græv.* *Italiæ* ex hoc loco laudant Catanæus ad Plin. III. Ep. 7. et VI. 4. et J. Fr. Gron. ad Liv. XXXIX. 30. Et sic e Naz. et Pal. 2. adnotarat Salm. Sed *Italia* habent Regg. Fran. Voss. Toll. Duisb. et om. ed.

Nihil mollius cœlo] Temperatius, clementius. Sic infra lib. III. cap. 3. 'Sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa cœli solique clementia robur elanguit.' Sic Græci μαλακὸν usurpant, quod et mari, cum tranquillum est, tribuunt, ut et Latini, cum, voce inde mutuata, 'malaciam maris' appellant. *Sal.*

Nihil mollius cœlo: denique bis floribus] Qui corruptum hunc locum censent, ipsi sunt corrupti potius judicii: quod prius emendent licet, quam quidquam hic attentare audeant. Naz. distinguit: *nihil mollius, cœlo denique bis floribus vernat.* Vitiose. Elegans porro vocis notio *denique*, quæ ex abrupto, et ante expectatum, mira brevitate, venit. Nec adeo rara est apud antiquos ac probos Auctores, ut videri volunt docti criticorum. Hic Noster ea sæpe utitur. Supra de Veiis captis. 'Denique, non scalis nec irruptione, sed cuniculo et subterraneis dolis peractum urbis excidium. Ea denique visa est prædæ magnitudo, cujus decimæ Apollini Pythio mitterentur.' Solinus de fonte Hammoniaco. Ad quem locum nos plura. Frustra igitur ille Vir doctus, qui corrigebat: *Nihil mollius cœlo dieque: bis floribus vernat.* Nec melius illi alteri successit, apud Velleium sic mutanti: *Nihil mollius cœlo, nihil uberius solo, denique bis floribus vernat.* Elegantiam suam ac venustatem huic loco plane surripueris, si aliam lectionem admittas. Id ut melius constet, integrum eum, ut legendum est ac distinguendum, ponam: *Nihil mollius cœlo. Denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo. Ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, et tepentes fontibus Baiæ.* Ut cœli mollitiem ac temperiem probet, bis flores ibi dicit emicare. Ut soli ubertatem ac fertilitatem ostendat, Liberum Cereremque de eo certasse proditum ait. Ut maris denique hospitalitatem testetur, portus aliquot nobiles in ejus ora recenset. Frequentior porro hujus vocis usus est in rebus narrandis, aut causis assignandis, ubi plures eduntur, ut ultimo loco ponatur ad orationis clausulam. Ut cum præponitur, 'primo,' deinde subjungitur, 'præterea,' et postremo additur, ad rem finiendam, 'denique.' Sæpe tamen ubi res una memoratur, aut causa una allegatur, statim per se solet inferri, ut heic: 'Nihil cœlo mollius: denique bis floribus vernat.' Quasi diceret: Adeo verum est, nihil esse cœlo mollius, ut bis ver in anno habeat. *Id.* Rara illatio vocis 'Denique,' cum nihil præcesserit, cui serviat. JCtis tamen aliisque etiam scriptoribus, non semel usitata; frustra sane reprehensa a Viro docto, Triboniani manibus iniquiore quam par erat: plane Pal. nostri tres propugnant hanc scripturam; et adsentior amicissimo meo Salmasio, belle sic ex abrupto inferri, illud 'Denique:' amicus tamen quidam meus aliquando suspicabatur, *cœlo dieque:* acutius quam verius. *Grut.* Pluribus exemplis lectionem hanc firmat

Salm. in Sol. p. 382. D. 2. quib. adde Justin. 9. 4, 1. 11, 11, 4. 13, 2, 10. 23, 1, 15. et Papinian. in l. 13. de adopt. *Fr.* 'Denique' hic est: Ut paucis dicam: ut verbo dicam, unde reliqua intelligi possint. Græv. ad Cic. x. Ep. Famil. 10. et ad Suet. Aug. XXIII. Add. Jac. Gothofred. ad l. 87. D. de R. J. Freinsh. ad Tac. I. A. 28. et in Ind. Flori. Schegkius, quem hic tangit Salm. ad Vell. I. 4. scribit, se ita emendare e libris veteribus. Non scio qui sint hi libri, nulli eorum, qui Floro manus admoverunt, memorati.

Bis floribus vernat] Floribus gignendis bis habet ver. Ut 'bibernum' pro hieme, ita et 'vernum' pro vere absolute, dum subintelligitur tempus. Sed ut 'hibernare' et 'hiemare' annus dicitur Latine, cum 'hiems' est anni; ita et 'vernare,' cum est 'ver.' At cœlum bis vernat, cum bis ver facit. Possumus tamen heic intelligere, Campaniam bis venare, bis ver habere. 'Cœlo nihil mollius.' Inde est, quod bis vernat Campania. Alia est significatio verbi *vernare*, de avibus cantillantibus, ap. Poëtas. Ovid. 'Docili gutture vernat avis.' Εὐστομεῖ. Quia vere magis garriunt aves. An a vernis pueris, quorum garrulitas placuit veteribus. Unde et vernalis urbanitas, vernaculorum dicta. *Sal.* Adde Chron. Altissiod. pag. 5. b. et Aristot. Mirab. cap. 67. *Fr.* *Vernum* pro tempore verno est ap. Caton. de R. R. CXXXII. 'Postea verno arare incipito.' *Vernans tempus* dicit Poëta in Culice fin. 'Et quoscumque novant vernantia tempora flores.' Sed et flores ipsi *vernare* dicuntur: v. Heins. ad Ov. IV. F. 429. Ovidii locus ap. Salm. est III. Tr. 12. 8. ubi legitur *indocili*.

Nihil uberius solo] Varro, ubi Italiam extollit, præcipue Campaniam laudat. lib. 1. de R. R. cap. 2. 'Quod far conferam Campano? quod vinum Falerno? quod oleum Venafro?' nam et ista sunt Campana. Iterum, 11. Rerum Humanarum: 'Ad victum optima fert, ager Campanus frumentum, Falernus vinum.' Livius 7. 38, 7. 'Agrum Italiæ uberrimum, dignam agro urbem.' *Fr.*

Liberi Cererisque certamen] Sic de Campania Plin. III. H. N. 5. ap. Stadium, 'Ut veteres dixere, summum Liberi Patris cum Cerere certamen.' Nempe quia tam fertilis erat vini ac frumenti, ut dubium videretur Liberi an Cereris ibi majora essent munera, fabula ferebatur, Deos de ea inter se contendisse; ut hic e Polyb. III. 91. adnotat Rupertus. 'Certamen' pro re, de qua certatur, ut 'Desiderium,' pro eo, quod desideratur, ap. Cic. XIV. Fam. 2. 'Amores,' pro eo, qui amatur, Catul. Carm. x. et alibi.

§. 4 *Nihil hospitalius mari*] Ob frequentiam commodorum portuum. Non enim homines tantum hospitales, sed etiam loca. Unde inhospita tesqua, deserta et cultu vacua, ac proinde accipiendis hominibus parum idonea. Ita et 'inhospita maria' dici queant, quorum littus importuosum et accessu difficile. Sic etiam εὔξεινος πόντος, qui olim ἄξεινος, inhospitalis: 'Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.' Sed propter incolarum barbariem, non ob portuum penuriam, ita appellatum volunt. Eo tamen respexisse puto hunc Florum, cum nihil hospitalius mari, quod Campaniam alluit, esse dixit. Οὐδὲν εὐξεινότερον. Quasi melius id nominis mereretur, quam cui Græci hoc insigne dederunt cognomen. Hospitium, pro diversorio ac καταγωγίῳ, etiam media Latinitas dixit. Et Firmico 'Hospites' vocantur, qui tabernarum institores et caupones. Quod hodieque in nostro idiomate retinemus. Portus, hospitia quodammodo maris sunt. Sic et hospitale mare, cui frequentia talia hospitia. Virgilius *hospitium arenæ*, appellat plagas

vel stationes in littore, vel etiam portus, quibus naves excipiuntur. Æneas secunda Æneïde apud Didonem conquerens, quod naves suæ prohiberentur ad littus Africanum appellere: 'Hospitio prohibemur arenæ. Bella cient, primaque vetant consistere terra.' *Sal.* Contra, 'Pontus Euxinus, antea ab inhospitali feritate Axenus appellatus:' apud Plin. 6. 1. *Fr.* Nihil portuosius mari: quia portus sunt velut hospitia navium alto jactatarum. *Virdungus* ap. Rupertum. Sic contra 'Inhospitale litus' insularum, in quas Trajanus delatores relegabat, dicit Plin. Jun. Paneg. XXXIV.

Caieta] Caietam Latio novo, quia citra Lirim sita est, multi adscribunt: urbs est et portus in ora Formiani sinus occidentali; nomen habet a Caieta Æneæ nutrice, sive a littoris curvitate, teste Strabone, et hodie nomen retinet, distatque ab Urbe, in ortum æstivum, ad sexagesimum lapidem ab Aquilone. Formias habet adversas, ad quintum lapidem. Formiano sinu intermedio. *Stad.* Vid. Serv. ad Æn. 7. 1. *Fr.*

Misenus] Portus et promontorium est, olim urbs quoque satis celebris, quæ nunc diruta est. Ultra Caietam in ortum vergit, ad quadragesimum fere lapidem; dictus a Miseno Æneæ tubicine, teste Virg. 6. 234. Cumæ eodem tractu sitæ erant, sed in occasum æstivum 16. stadiis. *Stad.*

Baiæ] Promontorium, et urbs, et portus, ob tepentes aquas saluberrima; ab urbe ad centesimum lapidem in ortum brumalem distabat; cingebatur a septentrione Averno; a meridie, Augusti portu; ab occasu Lucrinum lacum habebat; ab ortu, Puteolanum sinum: ita ut nihil eo situ amœnius neque salubrius esse posset. Quare a Romanis frequentissime otii causa et deliciarum habitabatur: nunc fere suis ruderibus obruta jacet, etiamsi ob fontium et aquarum salubritatem hodie commendetur. *Stad.* Lege etiam Sid. Apollinaris Carm. XVIII. Chron. Altissidor. p. 3. et Cassiodor. l. 9. Var. Epist. 6. *Fr.* Add. Dausq. ad Sil. It. XII. 113.

Lucrinus et Avernus] Ex præcedenti Baiarum descriptione noti sunt: et Strabo lib. 5. et Plin. 3. 5. et 30. 2. et 36. 15. &c. *Stad.*

Quædam maris otia] Inter portus maris Campani, Lucrinum et Avernum recenset. Atqui lacus sunt, sed ex eo genere, quas Græci λιμνοθαλάττας appellant, lacus nempe, quibus mare affunditur, æstuaria, quæ et στομολίμναι dictæ, quod ostia ad mare habeant, quibus aquam ex mari recipiunt. Hoc videns Jord. lectionem antiquam Flori mutaverat, quia vix eam caperet. Igitur pro *quædam maris otia*, sicut habent antiqua Flori omnia exemplaria, in omnibus Jord. legitur, *quædam maris ostia.* Verum quidem est, ostia maris esse lacus illos, qui in mare aperti sunt, et inde marino æstu implentur; sed aliud voluit Florus. Eleganter *quædam maris otia* esse dicit hæc æstuaria, quibus infusum mare veluti quiescit et otiatur. Non movetur quippe mare, nec procellis obnoxium, quod intra illos recessus conceptum tenetur. De bonis etiam portubus hoc possis dicere, quædam videri maris otia. Quales sunt in quibus naves haberi possunt ab omni ventorum flatu tectæ ac tutæ, sic ut vinculis alligari aut anchora fundari ibi opus non habeant. Talem describit Ithacæ portum Homerus Odyss. XIII. vs. 97. Δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ Ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι, Αἵτ' ἀνέμων σκεπόωσι δυσαήων μέγα κῦμα Ἔκτοθεν. ἔντοσθεν δὲ ἄνευ δεσμοῖο μένουσι Νῆες ἐϋσσελμοι, ὅταν ὅρμου μέτρον ἵκωνται. In ejusmodi portu 'æquora tuta silere' canit Virg. ut in Africano, quem ad instar illius Homerici: 'Geminique minantur In cœlum scopuli, quorum sub vertice late Æquora tuta silent.'

Silent igitur et quiescunt in ejusmodi portubus maria, ac proinde otia quædam maris dici possunt. Quin ostia sint, nemo ambigit. Verius tamen est, ut de Lucrino et Averno tantum intellexerit Florus, non etiam ad præcedentia retulerit. Nam in ejusmodi stagnis, æstu marino irriguis, mare restagnans, plane quietum manet, et quasi otiatur. *Sal.* *Otia*] Ita ausus sum reponere, suadente vet. ed. quodque annotasset Vin. ita quoque habere aliquot Mss. nihil enim verius aut elegantius dici potest: sicuti pluribus ostendo in Opinionum libellis. Vineti editio *ostia*, quod quomodo concoquant viri eruditi, nescio: certe nostrum reperitur quoque in tribus Pal. *Grut.* Merito tuentur Viri docti hanc lectionem. Plin. Paneg. cap. 82. ‘ Quantum dissimilis illi, qui non Albani lacus otium, Baianique torporem et silentium ferre, non pulsum saltem fragoremque remorum perpeti poterat.’ *Grav.* Et sic plerique sc. et om. ed.

§. 5 *Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus*] Vetus Jord. *Hic amici vitibus montes*, eleganter, modo ita scripserit Annæus. Sic Horat. ‘ Amicum vitibus Caulonem ’ dixit: de Gauro Symmachus, de Campania loquens: ‘ Ubi Corniger Lyæus Operit superna Gauri.’ Hos versus posuimus, ut scribendos putamus. *Guttur* vulgo, mendosissime. Schedæ Palatinæ: *Gutturi:* nos, *Gauri.* Sal. Vide Iudicem, si lubet. *Fr.* Salm. ex uno Pal. scripserat *amici;* sed *amicti* est in omnibus libris, frequentissimo genere loquendi apud poëtas. Vid. N. Heins. ad Ov. x. Met. 100. et 1. F. 153. Salmasius verba Horatii II. Carm. 6. 18. e memoria laudans labitur. Nam ibi vulgo legitur, ‘ Et amicus Aulon Fertili Baccho;’ pro quo cl. Bentl. edidit *apricus*, quum Heinsius maluisset *amictus.* Symmachi locus est I. Ep. 8. Ed. Lect. *Montes* non habet Fran.

Gaurus] Gaurus mons initium habet a ripa Liris orientali, atque ostio ejusdem fluminis, quod a Gauri vicinitate Gaurianus, unde vulgo *Gargiliano* dicitur. Hujus montis pars occidentalis, ‘ Gaurus;’ orientalis, et juga ejusdem, ‘ Massicus;’ septentrionalis, ‘ Falernus ’ dicebatur. Falernus ager ejus montis ad septentrionem declivitate porrigebatur. Vinum quod summis collibus nascebatur, ‘ Gauranum:’ quod mediis, ‘ Faustianum;’ quod imis, ‘ Falernum ’ vocari solitum est, teste Plinio, 14. 6. *Stad.* Vid. Cellar. II. Geogr. Ant. 9.

Pulcherrimus omnium] Jord. *cunctorum.* Idem mox: *quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque, numeranda.* Flori omnes libri vulgo, *numerata.* Quod melius. *Sal.*

Vesuvius] Nunc *Sumanus* dictus, *(monte di Soma)* distat a Neapoli in ortum ad quartum ferme lapidem, clauditque ripam Sarni fluminis: ipse nobilis generosissimo vino, quod nunc Græcum vocant, et frequenti etiam incendio celebris est, eructat enim subinde flammas, et cinere quoque læto pinguique vicina respergit, verticem vero habet tostis et adustis saxis sterilem. Flagrasse sub Tito maximo incendio Xiphilinus testatur et Zonaras, itidem Suetonius Tito cap. 8. antea etiam flagrasse ex Strab. lib. 5. p. 170. f. constat et Vitruvio. Plinium Secundum, dum illud sub Tito incendium Vesuvii ejusque causas propius investigare contendit, crassa aëris caligine suffocatum interiisse, ad Tacitum Plinius ejus nepos lib. 6. Epist. 16. scribit. Ætna Siciliæ mons, perpetuo incendio in vertice lucet, ejusque causam Justin. 4. 1, 14. reddidit. *Stad.* Incendii sub Tito, meminit etiam Martial. 4. 44. eoque Cæsium Bassum Poëtam Lyricum cum villa sua conflagrasse, scribit in vita ejus Petrus Crinitus. Ceterum

plura post hoc Vesuvii incendia memorantur. Semel cum, Procopio lib. 2. Gotthic. teste, cineres Byzantium usque delati sunt. Pluviam illam cineream refert Cassiod. 4. 50. et Zonar. tom. 3. eamque regnante Leone Magno accidisse. Iterum imperante Constantino quarto, Paul. Diac. 6. 4. Postremo anno Χριστογονίας 1538. Munsterus Cosmograph. lib. 2. et nostra memoria nuper extremo anno 1631. *Fr.* Morerius in Lexico Vesuvium ante Augusti ætatem quinquies arsisse scribit. Hoc quo auctore dicat, non scio: nec legi, qui certum tempus illius incendii ante Titum adnotaverit, præter Annii Berosum, qui in rebus Aradi, quem septimum Assyriorum Regem facit, Vesuvii incendium memorat. Sed huic quantum fidei habendum sit, nemo ignorat. Augusti tempore nullam certam notitiam ac memoriam, sed tantum verosimiles quasdam conjecturas, et vetustam famam incendii Vesuviani exstitisse, intelligi potest e Strab. Diod. Sic. et Vitruv. qui ea ætate floruerunt. Nam Strabo Lib. v. p. 247. scribit, e facie, quam vertex montis præfert, cavernisque et fistulis, ac lapidum colore conjici posse eum *quondam arsisse.* Et Diod. Sic. Lib. iv. p. 159. multa eum retinere *inflammationis pristinæ* vestigia. Ac denique Vitruv. ii. 6. eum 'antiquitus flammas evomuisse' memorari. Plane incendia Vesuvii per aliquot sæcula ante Augustum nulla fuisse, etiam ex eo probabile videtur, quod Livius nullam usquam eorum mentionem facit: qui quum in prodigiis referendis ad superstitionem usque diligens sit, rem tam memorabilem non præteriturus fuisse videtur, si quid de ea in vetustis monumentis proditum invenisset, vel alioqui fama cognitum habuisset. Add. Cluver. iv. Ital. Ant. 4. et Jul. Cæs. Recupitum in Libro de Incendio Vesuv. p. 69. et seqq. Nihil interest *Vesuvius* legatur an *Vesevus:* sed hoc recepi, quod vix potest esse a scribis. Et ita placebat Ger. Vossio.

§. 6 *Formiæ*] Urbs Campaniæ, prius 'Hormiæ' dicta. Strabo lib. 5. Plin. 3. 5. quadraginta stadiis a Caieta. Cluverius illud ipsum oppidum esse autumat, quod hodie *Mola* dicitur. *Fr.*

Cumæ] Vetustissima et nobilissima civitas, a Chalcidensibus condita, teste Velleio, 1. 4, 2. et Strab. lib. 5. *Id.*

Puteoli] Urbs Campaniæ; Averno ab occasu abluitur, ab ortu sinu, cui 'Puteolano' nomen dedit, ipsa olim 'Dicæarchia' dicta fuit, a justitia magistratuum, teste Strabone, condita a Samiis, teste Eusebio, primis Romæ Coss. Bruto et Collatino. Inde a putore sulphureo, quem aquæ tepentes exhalant, 'Puteoli' dici cœpit, teste Strab. lib. 5. et Festo. [Sic Ozolæ Locri ap. Pausan. p. 685. 10.] Alii tamen (ut Varro lib. 4. de Ling. Lat.) a puteorum frequentia illud nomen faciunt: hodie *Puzzuolo* voce parum deflexa dicitur. *Stad.* Hujus urbis historiam descripsit Jul. Cæsar Capacius. *Fr.*

Herculaneum] Sic scribitur hoc et ap. Liv. extr. libro decimo: quod est 'Herculanium,' *i* pro *e* penultima syllaba, ap. Plin. 3. 5. Ἡράκλειον vocat Strabo, libro 5. quod nomen idem significat cum 'Herculaneo.' Nam ab Hercule, qui Græcis Ἡρακλῆς dicitur, facta 'Herculeus,' et 'Herculaneus,' idem sunt, quod Ἡράκλειος, nomen ab illo Ἡρακλῆς derivatum: et quæ Græcis, Ἡράκλειαι, id est, 'Heracleæ,' sive 'Heracliæ,' civitates appellantur, eas recte 'Herculeas,' et 'Herculaneas,' dicere possis. Fuerunt autem hæ multæ. Viginti tres numerat Stephanus, quarum una Campaniæ hic celebrata. *Vin.* Fuit autem urbs hæc Vesuvio monti vicina, ad occasum non longe a Leuco-

petra promontorio: Vesuvii montis cineribus sepulta jacet. *Stad.*

Pompeii] Vesuvio vicina ali ortu ad Sarnum, pari cum Herculaneo fato deleta. *Id.*

Capua] De nomioe hujus urbis variæ scriptorum sententiæ. ' A campestri agro appellatam,' credit Livius 4. 37, 2. et Plin. 3. 5. Plerique a Capy, ap. Liv. d. loc. Suet. Cæs. 81. 2. Dionys. 1. 74. Strabo, lib. 5. Silius, 11. 298. 7. ' Tum Capys ut primus dederit sua nomina muris.' Hæc fere Schegkius ad Velleium, 1. 7, 5. Strabo, lib. 5. ait, *Tyrrhenos, cum duodecim urbes habitarent, quæ earum quasi caput esset, ea de causa Capuam nuncupasse.* Fr. A Capye quodam Trojano dictam etiam Virgil. scribit x. Æn. 145. ubi vid. Serv. et eumd. ad II. Æn. 35. Verior videtur sententia Livii et Plinii. A Dorico κᾶπος, pro κῆπος, i. e. locus vento perflabilis, ut sunt omnia loca plana, est ' capus,' et inserto *m*, ' campus,' e Caninii, et J. C. Scaligeri sententia. Vid. Voss. Etym. v. *Campus.* Hinc ' Capua,' et ' Campania.'

Quondam inter tres maximas] Quod et voluit præter alios Ausonius libello de urbibus, qui amplius canit: ' Heu nunquam stabilem sortita superbia sedem! Illa potens, opibusque valens, Roma altera quondam, Comere quæ paribus potuit fastigia conis, Octavum rejecta locum vix pone tuetur.' *Grut.* Alteram etiam suis temporibus Romam dixit Cic. Philipp. 12. cap. 3. Ap. eund. Orat. cont. Rull. 2. c. 32. legitur: ' Majores nostri tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam statuerunt posse imperii gravitatem ac nomen sustinere.' Alexandria tamen, (teste Aristea, nec falso,) omnes urbes magnitudine et opulentia superabat. Adde Diodor. 17. 52. *Fr.* Capuam, Carthaginem, et Corinthum conjungit Flor. II. 8, 1.

§. 7 *Gentem, si opulentiam quæris, aureis et argenteis armis, discolori veste*] Paulo aliter hic locus descriptus in Naz. antiquo Cod. ad hunc nempe modum: *Gentem, si opulentiam quæras, aureis atque argenteis armatam misit discolori veste usque ad ambitum.* Ex quibus vestigiis non dubito legendum colligere: *aureis atque argenteis armatam armis, et discolori veste usque ad ambitum.* Fortassean et melius etiam scriberetur: *aureis atque argenteis ornatum armis et discolori veste usque ad ambitum.* Nam verbum ' ornari,' tam ad arma, quam ad vestem, trahi potest. Certe et *ornamenta* dicebantur arma. Ut de gladiatore ap. Sen. ' qui per ornamenta percussus est.' Vide porro, quid sit compendia scribere. Nunquam totum dicitur. Vix res, ut sunt, explicantur. Opulentiam Samnitium ex eo arguere vult Florus, quod aureis et argenteis armis ornarentur, ac discolori veste usque ad ambitum, hoc est, raris ac pretiosis fucorum pigmentis versicolori. Quis non putet isto argumento Flori, ita solitos semper, cum armari, tum indui, Samnites? Atqui semel tantum, aut bis, sic armatos constat, ac vestitos, in eo prælio quod pugnatum est ex parte Romanorum, ductu et auspiciis Papyrii Cursoris dictatoris. Ita rem narrat Liv. lib. IX. his verbis: ' Pari subinde periculo gloriæque eventu bellum in Samnitibus erat, qui præter ceteros belli apparatus, ut acies sua fulgeret novis armorum insignibus, fecerunt. Duo exercitus erant. Scuta alterius auro, alterius argento, cælaverunt.' Hæc sunt aurea et argentea arma, quibus armari solitos hoc loco Samnites scribit Florus. At bene monet Liv. nova armorum insignia hæc tum quæsivisse. Quod ab illis nunquam antea tot puguis adversus Romanos pugnatis, nec postea nisi semel factum. Quod ad discolorem vestem attinet, noli etiam putare talem in quotidiano

ac promiscuo usu apud Samnitas fuisse. Immo, tum primum eam usurparunt, cum illis armis aureis et argenteis, nec deinceps, usi sunt. Quin et discolor illa vestis ei tantum generi militum eo prælio data est, qui armis erant ornati aureis. Nam qui argentea habebant, linteas indutui sumpsere candidas. Quod non debuit omittere Flor. At Liv. ibid. non omisit: 'Tunicæ auratis militibus versicolores, argentatis linteæ candidæ.' Cur non dixit hic Annæus, Samnites etiam indutui habuisse tunicas linteas candidas? Nec tacendum heic, ab illa armatura, quam tum induere Samnites, nomen et ornatum gladiatorum Samnitium apud Romanos processisse. Quod a Campanis acceptum est. Hi enim, cum summo odio prosequerentur Samnites, ad eorum derisum gladiatores, quod spectaculum inter cœnam exhibebant suis convivis, eo ornatu armarunt. Hinc Tritannus 'gladiator ornatura Samnis' ap. Solin. Ad quem locum nos olim plura. Hoc eodem porro apparatu et opulentia insignium armorum bellum iterum adornavisse Samnites memorat Liv. lib. x. Quod bellum profligatum est auspicio ac ductu Papyrii Cursoris consulis, filii illius dictatoris, qui prius eosdem Samnites similiter armatos et indutos debellaverat. *Sal.* Naz. *aureis et argenteis armatum misit discolori veste.* N. Heins. hinc conjicit Florum scripsisse: *aureis atque argenteis armis ornatam:* non *armis armatam*, ut perperam volebat Salm. Naso: 'Se quoque nympha tuis ornavit Jardanis armis.' 'Ornare' hic est, instruere, ut 'ornare classem milite' apud optimos scriptores. In Ms. Ryck. sane non *armatam* sed *auratam* legitur. *Græv. Quæris*, quod hic est in Edd. quibusdam recentioribus, habent Ryck. Magl. Regg. et Fran. In seqq. nec scripti nec veteres editi abeunt a recepta lectione; nisi quod in Reg. Q est *aureis et argenteis armatam discolori*, et in Voss. 1. 2. et Fran. *argenteis armatam*, omissis mediis. N. Heins. ad librum suum ita adscripserat: *Ornatam armis: mis* ex *armis*, *it* pro *et*. Idemque remiserat ad Gron. ad Liv. xxiv. 48. ubi ostendit Gron. 'ornare' sæpe idem esse quod, armare; de quo etiam Lips. ii. Saturn. 17. et Salm. ad Solin. p. 26. ubi et locus Liv. ix. 40. 'Campani...gladiatores eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine compellarunt:' qui confirmat conjecturam Heinsii. Add. Suet. Cæs. lxvii. 'Habebatque tam cultos [milites], ut auro et argento politis armis ornaret.' In Hist. Misc. Lib. ii. hæc ita leguntur: *aureis atque argenteis armis, et discolori veste usque ad ambitum ornatos.*

Aureis atque argenteis armis] Liv. 7. 29, 2. 9. 40. 10, 39, 11. Commune hoc fuit plerisque gentibus: 2 Reg. 8. vs. 7. *Tulit David arma aurea, quæ habebant servi Adarezen:* ita Persæ armati erant, Curt. 3. 10, 15. Justin. 11. 13, 11. ita Parthi, Justin. 41. 2, 10. Galli, Polyb. 2. Sic Alexander Argyraspidas instituit. Justinus 12. 7, 5. quod in successores ejus mansit: ita in Antiochi exercitu fuere Argyraspides. Appian. Syriac. Livius 37. 40, 7. Agell. 5. 5. Macrob. 2. 2. et ejus æmulatione Alexander Imp. etiam chrysoaspidas, ap. Lamprid. cap. 50. Quamvis jam tum sub Tito fuerint arma militum auro argentoque facta, ut indicat Joseph. de Bell. Jud. 6. 15. Aurei gladii mentio est in Epig. Græco Anth. sect. 1. titulo, Εἰς Πλουτοῦντας. Pertinet huc Marcellin. 31. 28. qui describit 'arma Imperatoris comitatus, auro colorumque micantia claritudine.' Rationem ejus rei reddit Polyb. ii. 7. et Plutarch. cap. 14. in vita Philopœm. qui Achæos eo modo ornavit; aliam in Sertorio, qui Hispanos: cap. 22. At Brutus ap. eund. cap. 55. *acuere nonnihil putabat gloriæ cupidis pectora, avaros vero reddere*

etiam fortiores, quod arma sicut possessiones retinerent. Præter has alia etiam subfuisse videtur; disciplinæ quasi quoddam pignus et vinculum; inops enim miles Imperatorem minus quam hostem timet. 'Idcirco,' ait Lamprid. in Alex. Severo cap. 52. 'quod mendicitas militaris ad omnem desperationem vocat armatum.' Vide Curt. 8. 8, 16. *Fr.*

Discolori veste usque ad ambitum] Non simpliciter discolorem fuisse vult intelligi, sed ambitioso et exquisito luxu. Necessitas vesti excogitandæ causam et originem dedit, ut corpus tegeret. Ornatus deinde accessit, ut aptum decensque esset hoc tegumentum. Postea modum excessit hæc ornandi cura, et in luxum ambitumque, ex ampliore artis ac materiæ pretio, quærendis vestibus degeneravit. Scite Tertull. in libro de Pallio. *Sal.* 'Ambitum' Ryckius hic recte interpretabatur ostentationem. Et Perizon. adscripserat, Sulpic. Sev. II. H. S. 34. 'Crux reperta, dignoque ambitu consecrata.' Tac. I. H. 10. 'Novum officii genus, et ambitu ac numero onerosum:' i. e. dum se ostentant in eo, et placere student Galbæ sua severitate. *Ambitus* et *ambitio* sæpe dicuntur pro adfectato et ad ostentationem comparato studio. Tac. Germ. XXVII. 'Funerum nulla ambitio.' Idem Agric. XVIII. Sen. de Tranq. An. c. I. Corn. Nep. Dion. II. Sic *ambitiosus* pro eo, qui se jactat et ostentat aliqua re. Plin. XXIX. H. N. 1. Medicina 'ambitiosa ars;' de qua mox ibid. 'Ostentatio artis, et portentosa scientiæ venditatio manifesta est.' Add. Quintil. Proœm. Lib. VI. Inst. Orat. et Petron. c. XVII.

Si insidiarum fallaciam] Facessat hinc vox *insidiarum*, quam nulli habent libri. Cum hac lectione, si attendas, quid aliud dicat Auctor, quam, *si insidiarum fallaciam quæras, insidiis grassantem?* Atqui generatim fallaces esse pronuntiat, deinde, quo genere fallaciæ præstant, indicat. Gentis igitur ex eo fallaciam adstruit, quod struendarum insidiarum sint callentissimi. *Si fallaciam*, inquit, *quæras, saltibus et montium fraude grassantem.* Sed una hirundo non facit ver. Et male Florus in argumentum perpetuæ fallaciæ trahit, quod semel atque iterum callide ab illa gente pugnatum est. Tot prœliis certarunt Samnites cum Romanis, et tamen, si furcas Caudinas excipias, vix reperias, quando saltuum fraude aut montium victoriam furati sint. Semel quidem aut iterum in valle instructi latere voluerunt, sed non fefellerunt. Quod spectat furcas Caudinas, quis nescit, non arte aut fraude Samnitum eo delapsos Romanos, sed suamet ipsorum imprudentia? Occasione si usi sunt Samnites, officium suum certe fecerunt. Non incallide quidem egerunt, sed fortunam tam bonam si amisissent de manibus, stupidissimi ac inertissimi omnium essent habiti. *Sal. Si fallaciam*] Sic om. Pall. antea vulgati, *si insidiarum fallaciam*, voce superflua. *Grut.* Tueri tamen possumus vulgatam lectionem similibus exemplis; Liv. 31. 36, 1. 'Fraus insidiarum:' inf. 2. 6, 36. 'Insidiæ Punicæ fraudis:' iterum Liv. 8. 24, 13. 'Discrimen periculi.' Justin. 31. 6, 3. 'Adulationes assentionum.' Lucan. 6. 548. 'Stillantis tabi saniem.' *Fr.* Justin. I. 8. 'Hostesque recenti victoria exsultantes pari insidiarum fraude circumvenit.' Et VII. 5. 'Frater quoque ejus Perdicca pari insidiarum fraude decipitur.' Sed *insidiarum* hic nulli libri habent, præter Edd. Ber. et Ald.

Saltibus] Ita circumventum et cinctum silvarum montiumque indagine Cos. Cornelii Cossi exercitum, Decius trib. mil. sua virtute expedivit. Junius Cos. exercitui spe prædæ digresso, insidiisque ad Bovianum perturbato, armis sanguineque hostium

viam apernit. Iterum Cornelio Arvina Cos. ita vias saltusque obsepserant, ut ne qua commeatus subveheretur: sed et ille ferro hostes submovit. Nulla autem fraus ipsis successit in Rom. cladem pronior, quam ad Caudinas furcas; nisi oblatam occasionem infelici consilio corrupissent, de qua mox dicturus est Florus. *Stad.* 'Fraudem saltuum ac montium' dicit, pro insidiis in saltibus ac montibus, quæ loca insidiis aptissima sunt, structis, ut Virg. Æn. XI. 522. 'Est curvo anfractu valles adcommoda fraudi, Armorumque dolis.' Et *fraus locorum*, de iniquitate ac difficultate locorum, quæ ponendis insidiis apta, et ea loca ingressis fraudi sunt. Curt. V. 5. 'Sensimque et caute progrediendum erat, jam non hostium, sed locorum fraude suspecta.' Et VII. 7. 'Nihil aliud superesse locorum fraude deceptis.' Virg. Æn. IX. 397. 'Fraude loci et noctis oppressum.' De verbo 'grassari' vid. Fest. Non. et Bud. ad l. 16. §. 6. D. de Pœnis.

Si rabiem ac furorem, sacratis legibus] Quidam scripti: *sacris legibus*. Semel quoque his legibus usi Samnites. Nec recte Florus, sed suo more facit, dum unum id facinus arripit ad rabiem hujus populi arguendam, cum tot alia bella istius furoris expertia cum Romanis dispunxerint. Quasi compluries hoc genere detestationis et sacratæ legis bellum sumpserint, sacratis legibus in exitium urbis agitatos non dubitat heic dicere Noster. Legem sacratam hanc in usu etiam fuisse Etruscis, Liv. notat, et ab his usurpatum adversus Romanos in ea pugna qua pugnatum est ad Vadimonis lacum. Sic enim scribit lib. IX. et simul explicat vim hujus sacratæ legis, qua vir virum legebat: 'Et ad Vadimonis lacum Etrusci, lege sacrata coacto exercitu, cum vir virum legisset, quantis nunquam alias ante simul copiis, simul animis dimicarunt.' Hoc eodem more sacrata lege Samnites exercitum semel coëgerunt, dirisque et exsecrationibus eum obstrinxerunt, eo bello quo depugnarunt cum L. Papirio Cursore consule. Quod clare testantur hæc ejusd. Livii verba, lib. X. 'Primoribus Samnitium ea detestatione obstrictis, decem nominatis ab imperatore eis dictum, ut vir virum legeret, donec sexdecim millium numerum confecissent.' Hæc vis et interpretatio sacratæ legis, qua vir virum legebat. Qui inter primos nominabatur, ut hac se lege alligaret, jurabat in verba diri carminis, quo caput suum devovebat, nisi isset in prælium quo imperator duxisset, aut si ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, non extemplo occidisset. Post hæc, qui sic juraverat, hisque diris se defixerat, jubebatur virum legere, mox simili exsecrationi obnoxium, deinde secundus tertium, atque ita deinceps usque ad ingentem exercitus numerum. *Sal.* Vide Liv. 10. 38. Adigebantur autem jurejurando nisi victo hoste non redire, quod etiam Romani prius usurpavere, Coss. M. Fabio, Cn. Maulio, ap. Livium 2. 45. ita etiam Ligures lege sacrata exercitum coëgerunt, ap. eund. 36. 38. Talis fuisse videtur ap. Spartanos cohors Scirites, cujus meminit Diodorus 15. 32. ap. Thebanos sacra cohors, inventum Gorgiæ, juxta Plut. Pelopid. cap. 31. et seqq. aut Athen. lib. 13. Epaminondæ. Ita Albericus Balbianus equites suos sacramento adegit, 'Nunquam se terga daturos externo hosti.' Jovius in vita Magni Sfortiæ cap. 9. Sic Labienus in exercitu Pompeii juravit, se nisi victorem in castra non rediturum. Cæs. de B. Civ. lib. 3. c. 87. *Fr.* Huc pertinet, quod de Acarnanibus scribit Liv. XXVI. 25. 'Sacratæ Leges' quæ dicantur docent Bud. ad l. 2. D. de Pœnis, et Perizon. Anim. Hist. c. X. p. 418.

Humanisque hostiis] Has multis quidem gentibus in usu fuisse, ut ne Romani quidem abstinuerint, non nego; de Samnitibus autem nuspiam me legere memini: propius igitur vero sit, intelligere Florum eos, qui propter altaria cæsi jacebant, eo quod jusjurandum abnuerant. *Fr.*

Si pertinaciam, sexies rupto fœdere] Toties rupisse fœdus Samnites, ex Livio, 10. 31, 12. colligo. Auctor Epit. Livii, lib. XI. in consulatu Fabii Gurgitis, qui de his triumphavit, scribit, 'cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quarto renovatum esse.' Notatur ibidem, sequentis anni consulem Curium Dentatum bis triumphasse in eodem magistratu, 'Samnitibus cæsis, et Sabinis, qui rebellaverant.' Sic tum quinquies fœdifragi Samnites. Et videtur tum quoque fœdus cum his instauratum, quod tamen mox infregerunt. Nam in sequenti Epitome traditur, Samnites defecisse, et adversus eos ac Lucanos, Bruttios, Etruscosque, aliquot præliis a compluribus ducibus bene pugnatum. Hæc defectio Samnitium pro sexto fœdere ab his rupto numeranda venit. Duæ etiam sequentes Epitomæ meminere rerum prospere gestarum contra Samnites. *Sal.* Liv. 10. 31, 12. 'Adeo ne infeliciter quidem defensæ libertatis tædebat; et vinci quam non tentare victoriam malebant: quinam sit ille, quem non pigeat longinquitatis bellorum scribendo legendoque, quæ gerentes non fatigaverunt?' *Fr.*

Sexies] Vide Epit. Liv. 11. 5. *Id.*

Cladibusque ipsis animosiorem] Ita inf. 3. 21, 10. 'Redit ab Africa Marius clade major.' Et ap. Justin. 27. 2, 4. Seleucus 'lætus malis suis, et damnis ditior redditus:' et ejusdem Mithridates ita victus est, 'ut major clariorque in restaurando bello resurgeret, damnisque suis terribilior redderetur,' 38. 1, 8. Adde inf. 3. 5, 20. *Id.*

8 *Hos tamen quinquaginta annis*] Quinquaginta annos durasse Samnitium bella cum Romanis vult. Ego plus invenio, et sic colligo. Scribit Liv. lib. X. in hæc verba: 'Supersunt etiamnum Samnitium bella, quæ continua per quartum jam volumen, annumque sextum et quadragesimum, M. Valerio, A. Cornelio Consulibus, qui primi Samnio arma intulerunt, agimus.' Hæc scripta in consulatu Q. Fabii et P. Decii, anno urbis.... Jam tum sextus et quadragesimus ibat annus belli perpetis Samnitium ac Romanorum. Oporteret inde usque ad ejus finem non amplius quam annos quatuor processisse, ut sic fierent anni quinquaginta Annæi, quibus domitos ac subactos dicit Samnites. Atqui ab his consulibus ad Curium Dentatum, qui de his rebellantibus triumphavit consulatu suo, quatuor anni, explendo Flori numero, intersunt. Tribus tamen postea voluminibus adversus eos bellatum, resque feliciter gestas memorabat, ut Auctor Epit. significat, qui ea bella usque ad Pyrrhi regis mortem deducit. Sic enim in XIV. Epit. scribit: 'Res præterea contra Lucanos, Samnites, et Bruttios feliciter gestas, et Pyrrhi regis mortem continet.' Et sane verisimile est, quamdiu Pyrrhus in Italia adversus Romanos belligeravit, fuisse in partibus Samnites, nec occasionem tam bonam amisisse rebellandi. Ceterum a consulatu M. Valerii et A. Cornelii, quo primum arma Romana Samnitibus illata sunt, usque ad Pyrrhi mortem, anni intersunt ferme.....*Sal.* 'Quadraginta novem' pro 'quinquaginta,' Eutropius 2. 12. et Orosius 3. 22. Camers legeret *octoginta*, pro *quinquaginta*, quot invenit annos in proœmio Appiani, propter illos viginti quatuor triumphos: sed vel vicies quater uno anno istis, puto, licebat, si lubebat, de eadem gente semel victa triumphare. Cos. Varro ap. Liv. 23. 5, 5. dicit Rom. cum

Samnitibus per centum prope annos belligerasse. Ita fortasse neque Appianus subtilem annorum computationem ibi facere voluit. Livius 7. 92, 2. scribit adversum Samnites mota esse primum arma M. Valerio Corvino tertium, A. Corn. Cosso Coss. quem putamus annum Urb. 411. Eutropius vero auctor est, ei bello finem imposuisse Coss. Cornel. Rufinum et M. Curium Dentatum: quorum consulatum putamus incidisse in annum Urb. 464. Si hæc ergo vera sunt tempora initii et finis hujus belli Samnitici, id non plus 53. annos duraverit. *Vin.* Idem Liv. 23. 42, 5. per centum prope annos Samnites bellasse cum Romanis repetit. Scaliger ad numerum Eusebianum 1697. et Stad. colligunt annos 71. quæ computatio propius ad Appiani et Livianam accederet; proxime autem consentiret cum ea, quam idem Livius 31. 31, 10. proponit. *Fr.* Add. Fastorum Enarratores ad A. U. 410. et Sigon. ad Liv. XXIII. 5. A tertio Consulatu M. Valerii Corvi et Cornelii Cossi ad mortem Pyrrhi sunt anni LXXI.

Per Fabios et Papirios] Non quidem solos, sed præcipue per hos. Nam horum minimum undecim victorias memorat Liv. Lib. VIII. IX. X. et Epit. XI.

Ita ruinas ipsas urbium diruit] Mirum quam diversa ab hac unius Pal. scriptura, qui habet: *ita ruinas ipsas montium diruit.* Forte pro *mœnium* aut *mœniorum.* Aliter non video quis sit illius lectionis sensus. Quin ea ipsa potius falsa ac rejicienda. Sequitur in Naz. *ut hodie Samnium in ipsa Samnio requiratur.* Non ut habent hactenus editi: *in ipso Samnio.* Figura est πρὸς τὸ σημαινόμενον. Ut, 'Eunuchum suam.' Et apud Poëtam: 'Defensa est Ilion armis.' *Sul. Ipsa Samnio*] Ita tres Pall. et subintelligitur, *regione:* ante eusi, *ipso Samnio.* Grut. De suo seculo loquitur, sed illa vastitas non a Fabiis et Papiriis, verum a Sylla. Dicit hoc Strabo, lib. 5. sub finem, pag. 172. Sic Sen. Epist. 91. 3. 'Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, quæritur.' Adde *du Bellay, des untiq. de Rome, Sonnet.* 3. *Fr.* Sen. l. d. 'Si Samnium adspicias, illud non pro Samnio agnoscas.' *Quæri* et *requiri* eleganter dicuntur, cum quæ absunt ac desiderantur, tum quæ ita conciderunt, ut periisse videantur, et quæsita vix inveniantur. Colum. I. de R. R. 4. e Catone c. IV. 'Areæ tantum complectatur, quantum ne villa fundum quærat, neve fundus villam.' Virg. Ge. III. 531. 'Tempore non alio dicunt regionibus illis Quæsitas ad sacra boves Junonis.' Et sic videtur accipiendum in Inscript. ap. Grut. 642. 1. 'Quem omnes sodales sui querunt,' pro, desiderant; ut Corn. Nep. Cim. IV. 'Hunc Athenienses diu desiderarunt.' Nisi forte ab imperitioribus *querunt* positum est pro *queruntur.* Plura Schott. Nod. Cic. III. 13. Gron. ad Liv. XXV. 38. et II. Obs. 11. Græv. Lect. Hesiod. c. IX. et Broekh. ad Tibul. II. 3. 26. *Ruinas ipsas montium* etiam Reg. F et Magl. *In ipsa Samnio* Magl. Berol. Duisb. Regg. Voss. 1. 2. et v. e. Plura hujusmodi quære in Sanct. Min. IV. 4. in ellipsi v. *herba,* et *urbs.* Heins. ad Ov. I. Heroid. 47. et Taubm. ad Virg. III. Æn. 3.

Quatuor et viginti] Pighius ad A. U. 410. e Fastis 30. triumphos de Samnitibus numerat, et Florum fortassis duos aliquoties eodem anno a Collegis Coss. ductos pro uno numerasse putat.

§. 9 *Clades apud Caudinas furcas*] Vetus editio cum omnibus scriptis, qua Flori, qua Jordanis, habet: *apud Caudinas furculas.* Ita etiam semel ap. Liv. vocantur ὑποκοριστικῶς, lib. IX. 'Interclusum Romanum exercitum obsideri, cladisque imaginem Furculas Caudinas, memorabant.' *Sal.* Historia habetur a Liv. 9. 2. &c. Val. M. 5. 1, 5. ext. 7. 2, 17. ext. Plutarch.

cap. 6. Paral. Auctor. de Vir. Ill. cap. 30. Augustin. Civ. 3. 17. Lucan. 2. 138. Nota sunt quæ Eutropius et Oros. de hac ipsa clade scribunt. Lege quæ scribit Cic. Off. 3. 30. Gesta sunt autem hæc anno 426. ab U. C. auctore Orosio. *Cam.* In margine editionis Livianæ Gruteri adnotatus est annus A. U. C. 433. Pighius in Annal. refert ad An. 432. *Furculas* autem, pro quo vulgo *furcas*, habent Mss. om. tam Gruteri quam Vineti. De his ita Sueyro in versione Velleii: *La ciudad sellamana Caudio, y ahora Stretto d' Arpuia.* Fr. Vid. Holsten. ad Cluver. Ital. Ant. p. 266. Libri Vineti, et alii omnes, *furculas*, pro quo Ryck. perperam *ferculas*. Livius non semel tantum, ut scribit Salm. sed vel quinquies uno libro IX. 'furculas' vocat, c. 2. 3. 11. 14. et 38. Et sic apud eumdem XXII. 14. et XXV. 6. e scriptis restituit J. Fr. Gronov. ubi in vulgatis erat *furcas*. 'Furcas' tamen dicunt Val. M. Lucan. apud Stad. et Epit. Liv. IX.

§. 10 *Clauso enim per insidias*] Expunxi *τὸ enim*, secutus auctoritatem Naz. Cod. Mox Ryck. *et ut ille dimitteret omnes vel occideret sapienter ut senior suaserat.* Vulgati: *et ille, mitteret omnes, vel occideret, sapienter ut senior suaserat.* Græv. Mihi retinendum visum fuit *enim:* nam et recte hæc connectit cum præcedentibus, et in om. sc. et ed. legitur, præterquam in Flor. *Ut* in libro Ryck. prave, saltem illo loco, positum est: nam debebat sequi vocem 'ille.' Sed nullum ejus vestigium est in aliis libris. *Dimittere* quidem etiam Livius dicit in hac historia IX. 3. 'Censuit omnes inde quamprimum inviolatos dimittendos,' et Aur. Vict. c. XXX. Verum ob id hic nihil mutandum est contra alios libros, qui, excepto Florent. in quo est *emitteret*, omnes habent *mitteret*. Et *mittere* pro, dimittere satis usitatum est bonis Scriptoribus. Liv. XXIV. 8. 'Quem neque mittere a sacris, neque retinere possumus.' Et XXX. 3. 'Ne Syphacis quidem reconciliandi curam ex animo miserat.' Cic. IX. ad Att. I. 'Remotis, sive omnino missis lictoribus.' Itaque et hæc sæpe permutantur. Vid. Gron. ad Liv. XXX. 3. In Voss. et aliis olim excusis *occasione tanta.*

Herennium patrem] Unus Jordanis *Herineum* vocat. 'Herinus' vel 'Herineus,' in veterum Inscriptionum indice. In altero ejusd. *Hireneum.* Nomen ignotum est, nisi sit Εἰρηναῖος, quod vix puto. Sed, *Herennium*, retinendum arbitror. Et sic Livio vocatur. *Sal.*

Sapienter ut senior] Plutarch. An seni sit gerenda Resp.? c. 19. *Maxime salva est civitas, ubi consilia senum et juvenum arma obtinent.* Et Eurip. in Menalip. ap. Stob. Παλαιὸς αἶνος· ἔργα μὲν νεωτέρων, Βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος: *Vetus hoc dictum est, faciendo juvenes, Consultando autem seniores præstare.* Alludit huc etiam adag. Erasm. 'Senum consilia, juvenum lanceæ.' Vide etiam Reg. 1. 12, 8. et supra 1. 1, 15. Interdum et juvenes sapientia excellunt. Vide Goldasti replicat. pro imperio cont. Jesuit. cap. 4. *Fr.*

§. 11 *Ut nec*] Simile quid Pyrrho accidit, quamvis captos Romanos absque pretio dimiserit: apud Val. M. 2. 7, 15. *Fr.*

§. 12 *Voluntaria deditione*] Observavi, tales dedititios nunquam receptos ab hostibus, quod ea ratione eludi se crederent, cum ei, qui belli gerendi potestatem haberet, etiam fœderis sanciendi jus competere naturalis ratio dictitet. Respieit eo l. 5. in fin. de pact. ubi quod duces belli inter se paeiscuntur, 'publica conventio' esse dicitur. Ita M. Clodium non recepere Corsi, ap. Val. M. 6. 3, 3. nec Mancinum Numantini: Appianus, Hispanicis, pag. 301. Zonar. Ann. tom. 2. *Fr.*

Magnifice] Magno animo. Unde et Postumium laudibus in cœlum la-

tum, qui se ultro cruciatibus et iræ hostium offerret, scribit Liv. IX. 8. et 10. Justin. IX. 8. 'Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior.' Cic. I. Off. 23. 'Quod ex animo excelso magnificoque quærimus.' 'Fœdus' dicit Florus, quam Liv. IX. 5. accuratius 'sponsionem.' Nam inter hæc discrimen est. Sed id non semper servatur, et 'sponsio' quoque interdum 'fœdus' vocatur. Vid. Sigon. I. de Ant. Jur. Ital. I.

Strictis ensibus miles per ipsam viam ante pugnam furit] Imperiti librarii, perversa licentia, multis modis hæc contemerarunt. Pal. unus: *ante pugnam agit*. Alter: *adiit*. Pessime uterque. Nec melius, aut prudentius geus docta, sed infelix, correctorum, qui pro *fuit*, quod erat vera lectio, *furit* supposuerunt, nec cogitabant id verbi sibi convenire, quod repositum ibant. Naz. et uterque Jord. *fuit:* Optime. Scribendum itaque, *strictis ensibus miles per ipsam viam ante pugnam fuit, et in congressu arsisse omnium oculos hostis auctor fuit*. Dicit, milites, antequam manus consererent, in ipsa procursione atque impetu, quo in hostem vadunt, strictis ensibus fuisse, hoc est, strictos enses habuisse. In congressu vero ipso arsisse omnium oculos, hostis testatus est. Sic ap. Cic. in ea pro Roscio: 'Quæ ut ne ferretur, senatus fuerat veste mutata.' Id est: Senatus vestem mutaverat. Falsa igitur Lipsii emendatio, qui *subrectis gladiis* correxit ex Camertis editione, in qua legitur, *subjectis*. Mos prælii fuit hic militi Romano, ut in concursu auspicando, pila prius emitteret, deinde gladiis strictis rem gereret. At in hac pugna adeo avidus manus statim conserendæ et pedis conferendi cum Samnitibus fuit, ut pila, velut signo dato, abjiceret, strictosque gladios in ipso concursu præferret, ne qua mora daretur ardori pugnandi. Liv. lib. IX. 'Vadunt igitur in prælium urgentes signiferos; et, ne mora in concursu pilis emittendis, stringendisque inde gladiis, esset, pila, velut dato ad id signo, abjiciunt, strictisque gladiis cursu feruntur in hostem.' Hoc est igitur, quod heic vult Annæus, milites in eo prælio strictis gladiis ante pugnam fuisse per ipsam viam, id est, in eo procursionis spatio, quod pilis emittendis sumitur. Nam pilis ex certo intervallo conjectis, ubi ad manus ventum erat, strictis gladiis res gerebatur. *Sal.* Qui etiam in Notis ad Solin. pag. 585. B. 1. et Hist. August. pag. 214. c. 2. hanc lectionem tuetur. Et sane loquuntur ita maximi nominis Auctores, quos in Indice citabo. Pro vulgata lectione videtur facere Marcellin. lib. 27. c. 10. 'Protinusque inde luctantibus itinerum callidis, exploratis accessibus, per regiones longe itu (an situ) porrectas, sensim gradiens miles irritatior ad pugnandum, velut repertis Barbaris, minaciter infrendebat.' Ubi, pro *sensim gradiens*, videtur legendum, *ensem quatiens:* et esse imitatiuncula Flori, retinendumque in Floro, *furit*, quod Marcellinus per illud suum *infrendebat* expresserit. Pro *strictis* etiam, nisi memoria me fallit, Lipsius legebat, *surrectis*, quæ conjectura juvari potest loco Vopisci in Aurel. cap. 37. *Fr.* *Ante pugnam fuit*] Sic Ryck. quam scripturam dudum probavit Salm. ex Naz. et Jorn. libro. Sed *furit* retinendum esse multis exemplis tuetur N. Heinsius ad Val. Flacci lib. I. vs. 144. 'Hac Peleus, hac ense furens agnoscitur Æson.' Ita ex scriptis castigandum esse illic monebit, cum desideratissimas in illum scriptorem animadvv. editurus, et pluribus istam locutionem adstructurus est. Nam sic et Ovid. locutum esse et Statium ostendit mihi. Illum, II. F. vs. 751. 'Sed enim temerarius ille Est meus, et stricto qualibet ense furit.' Hunc Th. I. 'Et nunc ense furit, nunc tela natantia

raptans Ingerit.' *Græv.* Lipsii conjectura est in II. Elect. 19. Boxhornius in Sylloge Epistolar. ab Ant. Matthæo editarum Ep. XXXIV. itidem legit *subrectis*, vel *erectis ensibus*. Barthius ad Claudian. II. in Rufin. 400. *erectis*. Frustra sumunt operam in emendanda corrupta scriptura vetustarum Edd. in quarum plerisque est *subjectis*. Scripti omnes, et V. E. habent *strictis*, quod non est mutandum. In altera voce insigniter variant scripti. Berol. Duish. margo Pal. 2. teste Grut. et Voss. 3. *furit*. Reg. F et Voss. 2. *fuit*. Reg. Q *ibat*. Flor. *adiit*. Magl. *aut*. Fran. *fugit*, quod propius accedit ad *furit*. A Voss. 1. hæc vox abest. Editi omnes *furit*, quod retinendum arbitror cum Heinsio, et jam receperant Amst. et Beger. Nam 'furere' est verbum proprium de militibus cupiditate pugnandi et cædium flagrantibus. Vid. N. Heins. ad Val. Flac. I. 144. et VI. 104. et 198. Broekh. ad Propert. IV. 6. 56. et Burm. ad Petron. c. CXXII. Et *furit* facilius mutari potuit in *fuit*, quam *fuit* in *furit*. Scriba imperitus *r* non bene expressum potuit accipere pro *i*, et scribere *fuiit*; unde mox prona emendatio in *fuit*. Potuit etiam eadem litera, quum forte non in serie literarum scripta, sed lineola, vel signo, quod non multum a figura accentus circumflexi abest, supra *fuit* notata esset, ut sæpe in Mss., a festinante, vel non satis attento librario præteriri. Ceterum si Florus respexit ad locum Livii IX. 13. quem hic laudat Salmasius (nec est alius apud Livium, ad quem ea, quæ hic scribuntur, potius referri possint) pro *Publilio*, quem tum Ducem fuisse scribit Livius, substituit *Papirium*, quod nomen in bellis Samniticis notius erat, quam Publilii. De ardentibus militum oculis quod addit, id Livius quoque non de hac pugna, sed de ea, quæ prima omnium A. U. 411. cum Samnitibus commissa est, scribit Lib. VII. c. 33.

Arsisse omnium oculos] Ita cum Aquileiam obsidens Attila, speculatum ad muros accederet, ab hostibus circumventus, duobus interfectis, reliquos audacia et virtute sua in fugam vertit, qui sacrosancte affirmarunt, ex illius oculis ignitos radios, fulguris instar, emicuisse. Nicol. Olahus in ejus vita. Idemque testatur P. Callimachus Experiens in Attila. Turno suo tribuit hoc Virg. Æn. 'Totoque ardentis ab ore Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.' Herculi Apollodorus lib. 2. p. 84. Alemannis suis Henrici legatio ap. Choniatem sub fin. lib. 1. de rebus gestis Alexii Angeli, 'Qui Martis alumni, iræ flamma oculos suffusi, non secus quam gemmæ radient.' Et suis militibus Julianus ap. Marcellin. 21. 27. f. 'Oculorum vestrorum vibratæ lucis ardorem:' et ipse Auctor Gothis 31. 38. 'Sequebantur furore ex oculis lucente Barbari nostros.' Lege etiam quæ notavit Grut. ad Liv. 7. 33. et Discursu 13. ad Tac. Item Virdung. in Tac. Agric. 41. 5. *Fr. Omnium vultus* Voss. 3.

Quam jugum et hostibus, et duci capto, reposuerunt] Non pro certo id narrat Livius, nec de eo inter omnes constitit Annalium scriptores, ut idem ille his verbis testatur, lib. IX. 'Ceterum id minus miror, obscurum esse de hostium duce, dedito missoque sub jugum.' *Sal.* Ambiguitatem, quam Liv. 9. 15, 9. proponit, fueritne res ad Luceriam gesta, et ignominia Caudinæ deditionis reposita, Papirio tertium Cos., an ipso equitum magistro, dictatore Lentulo, eam Capitolini triumphi dirimunt: qui Papirium de Samnitibus secundum triumphasse, cum Cos. tertium esset, constanter recensent, A. U. C. 434. *Stad. Reponere* pro, reddere, rependere, par pari referre, obvium est. Virg. Æn. XII. 878. 'Hæc pro virginitate reponit?' Cic. I. Fam. 9. 'Cur autem lauda-

rim, peto a te, ut id a me neve in hac re, neve in aliis requiras: ne tibi ego idem reponam, cum veneris.' Add. Juv. I. 1. Martial. XII. 18. Hanc vocem Is. Vossius etiam Catullo restituit. Nam pro eo, quod vulgo legitur Carm. LI. 'Ne pœnas Nemesis reposcat a te: Est vehemens Dea: lædere hanc caveto:' e vett. ut ait, libris edidit: *Ne pœnas Nemesis reponat: Ate Est vehemens....*' Reposcere ab aliquo pœnas' bene Latinum est. Et quærendum censeo, qui, aut unde sint illi libri, quos, præter Voss. nemo eorum, qui Catullum illustrarunt, quod quidem sciam, memoravit; et an Ate eadem sit, quæ et Nemesis dicitur.

CAP. 17 Quæ hoc capite continentur, scribit Liv. 9. et 10. Oros. 3. 20. Eutrop. 2. 1. Gestum autem est bellum hoc anno 450. ab U. C. Oros. Eusebius autem dicit gestum Olymp. CXVII. Meminit Augustin. Civ. 3. 17. De duodecim Etruriæ populis, supra cap. 5. De Calidonio et Hercynio saltu inf. 3. 10, 14, 18. et 4. 12, 27. *Cam.*

§. 1 *Hactenus populus Romanus*] Legitur in Naz. cod. *Hactenus populo Romano.* Sed subintelligendum esset, res aut bellum. Et sic plane præfert Pal. 2. *Hactenus populo Romano bellum cum singulis gentium.* Jord. pro *acervatim*, mox legit *catervatim.* Minus recte. Ab ipso Jord. est, non a libris, hæc varietas. Inter hos populos, qui acervatim populo Romano sustinendi fuere, perperam omisit Gallos. Nam Etrusci, Umbri, Samnites, et Galli, hi quatuor simul populi, simul conjurarunt adversus Romanos. Vide Liv. lib. x. et ejusdem libri epitomen, in qua hæc verba leges: 'Cum adversus Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos, P. Decio et Q. Fabio ducibus pugnaretur. Et mirus sane Noster, cum tres tantum populos heic recenseat, qui in excidium Romani nominis conspirarint, mox tamen quatuor agminum signa per Etruriam infestam volitasse dicit. *Sal.* Ryck. *Hactenus populo Romano bellum cum singulis gentibus.* Sic et Pal. 2. et Naz. nisi quod hic *bellum* omittat, unde vulgata videtur orta esse, et uterque *gentium.* Statim idem Ryck. *tamen sic quoque par omnibus fuit.* Sic quoque Vin. aliæque vetustiores edd. quod quorum librorum auctoritate recentiores editores mutarint, nondum mihi compertum est. Rescribendus est totus locus veterum librorum fide: *Hactenus populo Romano bellum cum singulis gentium, mox acervatim, tamen sic quoque par omnibus fuit.* Græv. Berol. et Duisb. *P. R. bellum.* Probo sententiam Grævii, scribendum esse *populo Romano bellum.* Error ortus est e Notis *P. R.*

Umbri in id tempus intacti] Secutus sum editionem Grut. quam etiam Lipsius, Elect. 2. 19. ex libro suo confirmat. Umbros enim, antiquissimum Italiæ populum, etiam Dionys. 1. 19; et Plin. 3. 14. appellat. Ceterum ne sic quidem persanatum esse locum suspicor. Primum quod admodum languere videatur oratio; tum quod de Gallis, præcipuo Romanorum terrore, nulla mentio; præterea quod mox subjicitur: 'infesta quatuor agminum signa,' videbatur etiam Gallorum mentionem requirere. Itaque sic tentabam: *Umbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiæ populus, Samnium, Gallique.* Vel ita: *Umbri i. i. t. i. a. I. populus Samnitum, Gallique:* sed nihil affirmo. *Fr.* Satis apparet locum non integrum esse. Nam utique etiam memorandi erant Galli. *Reliqui* non videtur ejiciendum cum Freinsh. nec mutandum in *Gallique.* Nam quod Florus dicit *Samnitium reliqui*, id eo pertinet, quod Liv. x. 16. et 18. narrat, P. Decium Samnitium exercitum nusquam se prælio committentem finibus expulisse, hos finibus pulsos Etruriam petivisse, et Tuscos, Umbros, Gallosque ad arma

concitasse. Potius suspicor post *reliqui* excidisse *Gallique:* idque eo facilius fieri potuit, quod sæpe scribebant *relliqui*, pro *reliqui*. Beger. edidit *Samnium*, *Gallique*. Ipse fatetur se audacem esse, et verum dicit.

§. 2 *A latere Etruria infesta*] Quid opus hac repetitione, Etruriam a latere infestam esse, cum jam dixerit, duodecim Etruscorum populos conjurasse? Nazarianus: *latere Etruriam infestam*. Scribo: *late per Etruriam infestam, &c.* Jampridem ex Jord. ita restituisse optimum Vinetum memini. Vitiosam prorsus esse vulgatam, nobis satis constat. *Sal.* Recepi lectionem Jord. antea Vineto, mox Salm. probatam: nam illa altera vitio non caret. *Fr.* *A latere Etruriam infestam* Ryck. et Voss. 3. *a l. Etruriam infesta* Flor. Ceteri scripti et om. cd. conspirant in vitiosam scripturam *a l. Etruria infesta*, præter Ald. qui Jord. sequutus est.

§. 3 *Ciminius interea saltus*] *Geminius* optimi lib. et vetus editio, pro *Ceminius* aut *Ciminius*, solenni errore. *Ciminus* in membranis Jordanis. *Ciminum* et *Ciminium* dictum esse constat, de quo quidam frustra dubitant. Sic 'Titus' fluvius et 'Titius' pro eodem, ut infra notabimus. Pal. 2. *Geminus*, pro *Ceminus* vel *Ciminus*. Virgilius Cimini montem et lacum memorat Æn. VII. 'Et Cimini cum monte lacum.' Mentio ap. Liv. in hac eadem historia, 'Ciminiæ silvæ' et 'Ciminiorum saltuum,' idemque etiam 'Ciminii montis' meminit. *Sal.* Lege Livium 9. 36. 1. et Nostrum supra 1. 11, 8. ubi similis comparatio. *Fr.* *Geminius* Naz. Pal. 1. Fran. Voss. 1. 2. Duisb. et v. e. *Ciminius* Toll. et Voss. 3. alii *Geminus*. *Geminius* habebat etiam Frontinus Ms. Kenchenii 1. 2. 2. cujus adnotationem comparanti cum iis, quæ hic scribit Salmasius, liquebit unde illa transcripta sit. Pro *Calidonius* Heins. Ryck. et Perizon. ad oras librorum suorum scripserant *Caledonius*. Sane Latini plerumque hoc scribunt per *e*, et Græci per η, Καληδόνιος. Sed om. sc. nec non Ed. V. et J. hic et infr. III. 10. 18. habent *i* in secunda syllaba, quemadmodum etiam in scriptis Lucani esse testatur Vinet. Jordanes, Naz. et quidam editi Flori male *Calydonius*, quod est a Calydone, Urbe Ætoliæ. Vid. cl. Oudendorp. ad Lucan. VI. 58.

Ciminius interim saltus, ante invius, plane quasi Calidonius aut Hercynius] Livium imitatur, a quo ferme hæc expressa: 'Silva erat Ciminia magis tum invia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici saltus.' *Sal.* A Ryck. aberant hæc, *in medio ante invius*, et relictum erat vacuum spatium, sed quod non plus dimidia parte harum literarum caperet.

Ut senatus consuli denuntiaret, ne tantum periculi ingredi auderet] Hoc est, ne saltum Ciminium transiret. Quod debuit ipsis verbis retineri et exprimi, sicut denuntiatum esse diserte testatur Livius: 'Eo forte quinque legati cum duobus tribunis plebis venerant denuntiatum Fabio senatus verbis, ne saltum Ciminium transiret.' *Sal.* 'Ne auderet,' i. e. ne sustineret, ne in animum induceret. *Audere* sæpe dicitur de re difficili, et plena periculi. Virg. Æn. IX. 42. 'Neu struere auderent aciem, neu credere campo.' Et ibid. 399. 'Qua vi juvenem, quibus audeat armis Eripere.' Ovid. I. Heroid. 41. 'Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum, Thracia nocturno tangere castra dolo.' Servius in Virgil. Æn. VIII. 364. 'Aude, hospes, contemnere opes: Bene,' inquit, '*Aude*, quasi rem arduam et difficilem.' Justin. II. 4. 'Singulare omnium sæculorum exemplum ausæ.' Vid. ibi Interpr. Turn. XXI. Advers. 8. et Taubm. ad Virg. Æn. VIII. 364. Sic apud Græcos τολμᾶν. Kuhn. ad Diog. Laërt. X. 142. et Gatak. I. Miscel. 3.

qui hæc etiam interdum πλεονάζειν putat. Sic 'ne auderet ingredi,' esset, ne ingrederetur.

§. 4 *Quin fratre præmisso exploraret accessus*] In optimo Naz. scribitur: *explorat:* puto scribendum: *Sed nihil horum terruit ducem. Quin fratre præmisso explorat accessus.* Mutavit Jord. et aliter distinxit in suis, hoc nempe modo: *Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre præmisso exploraret accessus.* Quomodo hactenus editi retinuere. Non tam bene. Videtur autem his verbis sentire Florus, Fabium nihil territum denuntiatione senatus, explorasse tamen accessus Ciminiæ silvæ, eamque penetrasse. Atqui non ita est. Jam illa penetrata erat, et victi Etrusci, cum verbis senatus hæc illi facta denuntiatio est. Livius de legatis ac tribunis plebis, qui hæc denuntiatum venerant: 'Lætati serius se, quam ut impedire bellum possent, venisse, nuntii victoriæ Romam revertuntur.' *Sal.* Plane Ryck. consentit Naz. scribitur in utroque *explorat.* Suffragor Salmasio emendanti: *Nihil horum terruit ducem. Quin fratre præmisso explorat accessus:* nullus, cui genius dictionis Flori non est ignotus, dubitare potest, hanc esse manum ejus. Sic quoque in hac editione legeretur, si operæ dicto fuissent audientes. Paullo ante Ryck. æque ut Naz. *A latere Etruriam infestam,* ubi itidem recte ὁ πάνυ *Late per Etruriam infestam.* Græv. Retinui quod Amst. ex Salm. et Grævii sententia ediderant. Nam etiam Flor. et Magl. habent *explorant.*

Fratre] Quem Cæsonem appellat Frontin. 1. 2, 2. alii, quos Liv. 9. 36, 3. citat, C. Claudium. *Fr.*

Ille per noctem pastorio habitu] Falsum, et contra historiam, quam sequitur, hoc ab illo additum, 'per noctem.' Immo interdiu et palam Etruscis se immiscuit, hoc solo tectus ac dissimulatus, quod pastorem præferret, linguæ etiam errore adjutus, qua se hostibus pro indigena insinuavit. Livius Etruscis litteris eruditum fuisse hunc Fabii fratrem, qui Ciminiam silvam exploravit, et commercio linguæ fefellisse, non obscure indicat, qui tamen hæc postremo adjicit: 'Sed neque commercium linguæ, nec vestis armorumque habitus sic eos texit, quam quod abhorrebat a fide quemquam externum Ciminios saltus intraturum.' Quin et audaci simulatione eum se hostibus immiscuisse, et principum ejus gentis colloquia petiisse, clare tradit. Tantum abest, ut per noctem hoc iter fecerit, aut tenebris explorationem suam occultam esse voluerit. *Sal.* 'Pastorius habitus' est vestis pellicea, quam Romani peregrino vocabulo 'renonem,' Græci διφθέραν vocabant. Ov. II. M. 680. 'Illud erat tempus, quo te pastoria pellis Texit.' Vid. Casaub. ad Theophr. Char. c. v. et Græv. Lect. Hesiod. c. XII. Eum habitum autem fere sumebant exploratores. Burm. ad Vell. I. 2.

Speculatus omnia: refert totum iter] Ita Vin. ex Jord. restituit. Sed Jord. libri duo vetustissimi et Longobardico charactere exarati legunt: *refert tutum iter.* Ubi accessus explorasset, et omnia speculatus esset, refert, tuto accedi et transiri posse. Sed vetustissimus omnium atque optimus Naz. Flori Cod. scriptum clare exhibet, *refert tum iter.* Atque ita etiam habet vetus editio. Alii Flori Codd. omittunt illud, *iter,* ac legunt: *Tunc sic Fabius Maximus periculosissimum bellum sine periculo explicavit:* Frater ducis, qui speculatum iverat ad explorandos silvæ aditus, ubi omnia certa attulit, tum consul Fabius eam ingressus, iter versus hostes facere cœpit. Nihil verius. Et confirmat plane Livius his verbis, quæ Noster hic adumbravit: 'Hæc cum relata consuli essent, impedimentis prima nocte præmissis, legionibus post impedimenta ire jussis, ipse

substitit cum equitatu.' Jord. more suo, cum brevitatem et argutiam Flori non caperet, sic mutavit, ut in ejus historia habetur. *Sal.* *Totum iter*] Ita accurate ex Jord. Vinet. nec abit nimium v. c. nisi quod truncate, *refert*. *Tum iter:* at aliæ edd. *refert*. *Tum sic Fabius, &c.* quod et in Pal. 2. nam 1. medium retinet, item 3. Jordanes qui extat (extitit heu!) in Palatina libraria Mss. habet, *præfert tutum iter:* non male, hæreas tamen utrum præferas: adeo utrique scripturæ suæ adsunt rationes. *Grut.* Salmasio magis arridet *tutum iter*, itaque potuisse scribere Florum, propius fidem est. *Fr.* *Speculatus omnia, refert totum iter. Sic Fabius Maximus*] Ryck. *Speculatus omnia refert. Tunc si Fabius Maximus.* Sic et alii libri. Naz. vero: *refert tum iter.* Omnino prior syllaba exciderat, quam retinent duo libri vetustiss. Jorn. in quibus legitur, *tutum iter.* Quod merito probatur Tan. Fab. Sed N. Heinsius mallet ex vestigiis veteris libri. *Speculatur, omnia refert tuta, tum institutum iter*, vel *tum instituit iter.* Cognationem litterarum has turbas dedisse putat. Liv. XXVII. 12. 'Postquam satis tuta esse omnia exploratum est.' Curt. IV. cap. 9. 'Deinde ut speculatores præmissi tuta omnia nuntiaverunt.' Iter institutum ut Horat. Epod. 'Anguis rumpit iter institutum.' *Græv.* *Tutum*, quod a Salm. probari scribit Freinsh. ei in prima Ed. placuerat. Naz. libri scriptura exstat etiam in Flor. Berol. Magl. Duisb. et V. E. (nisi quod Flor. et Magl. *tunc* habent,) eamque rursus probat Salm. ad cap. seq. n. II. Ryckiani in Fran. Voss. et aliis olim editis; sed in plerisque eorum est *tum*, et in omnibus *sic*. Regg. *refert totum iter. Sic F. M.* *Tutum* præferebant etiam Perizon. et Broekh. ad Propert. III. 9. 72. ubi etiam alibi male *totus* legi pro *tutus* ostendit; de quo vid. Drakenb. ad Sil. Ital. X. 312. *Tutum iter, tuta via* passim leguntur. Loca Livii e XXIII. 34. XXIV. 23. et XLII. 43. adscripserat Heins. Horat. III. Carm. 16. 7. 'Fore enim tutum iter et patens.' Cic. pro Planc. XLI. 'Iter mihi tutum præstiterunt.' Et XIV. Fam. 12. 'Et longum est iter, et non tutum.' Ovid. A. A. I. 585. 'Tuta frequensque via est, per amicum fallere nomen.' Et huc facit locus Livii ab Heins. observatus XXVII. 42. 'Postquam satis tuta omnia esse exploratum est.' Add. XXXVII. 39. 'Cn. Domitius ad explorandum iter ....missus posteaquam omnia certa retulit.' Itaque hoc quidem probo: sed retinui, quod erat in plerisque libris. Nam et commodam sententiam habet, et nec *tutum* usquam legitur, nisi in Jord. et Ald. nec *totum*, nisi in Regg. et plerisque edd. recentioribus. In animadversione Grævii *speculatur* videtur esse vitium operarum: nam Heins. in exemplari suo reliquerat *speculatus*.

§. 5 *Periculo explicavit*] Recte quidem hoc. Sicut enim non temere subeunda sunt pericula: ita, ubi periculorum non nisi per periculum effugium est, δράσαντάς τι κινδυνεῦσαι (ut in hoc periculosissimo bello) melius certe est, verbis Thucyd. 1. 4, 5. accidit enim ut 'Audaces fortuna juvet:' adeoque sæpius valeat illud Taciti, 15. 59, 4. 'Multa experiendo confieri, quæ segnibus ardua videantur.' *Fr.* Cum Ryck. et editionibus nonnullis scribendum, *bellum sine periculo explicavit.* Perperam *sine* omiserunt editores nonnulli, quod nolim etiam hic neglectum esse. Bellum quod habebatur periculosissimum sine periculo confecit, quia tutum iter ei per illum fuit saltum, et palantes et incompositos concidit. 'Explicavit bellum' ut *explicuit fugam* ap. Phæd. lib. IV. 'Illic per artus fratris explicuit fugam.' *Græv.* Freinsh. sequitur nonnullos editos, a quibus abest

sine. Sed quum paullo ante probaverit *tutum iter*, non recte hic videtur recepisse scripturam, quæ cum illa stare non potest. *Sine* non habet solus Voss. 2. sed habent alii om. sc. et V. E. Nec dubito, quin etiam fuerit in Naz. et Pall. quandoquidem Grut. et Salm. in quorum Edd. legitur *sine periculo* hic nihil adnotant. *Explicare bellum* Quint. Decl. XI. 'Quum duces ab explicito bello revertuntur.' Et Decl. V. 'Explicare non potui navigationem juvenibus quoque fortibusque difficilem.' Vid. Interpr. Phædr. ad IV. Fab. 6.

In subjectos suo more detonuit] Apage lectionem hanc, *suo more.* An fulminator hic erat consul, aut aliquis tonans Tarpeius, et Jupiter βροντῶν? Flori Naz. et Jord. Codd. habent, *suo jure.* Quæ verissima est lectio. Licet hinc colligamus, quam non vetusta nec optimæ notæ fuerint Vineti exemplaria, quæ mendam hanc cum vulgatis constanter retinebant. 'Suo jure,' id est, suo arbitrio. Sic sæpe loquitur Noster. Ita infra, lib. III. cap. XVII. 'Interceptis vectigalibus suo jure peculabantur rempublicam.' *Sal. Suo jure*] Sic Jord. sic Pal. 1. et probandum est, quamvis Vineti Codd. calamo exarati, ut et Pal. 2. ac 3. præferant, *suo more*, quod et in vulgatis. Lipsius Dict. cap. 19. scribendum autumat *Jovis more*, tanquam *suo more*, inferat tale quid a Fabio sæpius factum. *Grut.* Salmasius etiam *suo jure* probat et explicat, ex Auctore 3. 17, 3. ubi hæc eadem phrasis. Lipsiana tamen conjectura alio Flori loco juvari videtur, infra 2. 6, 9. ubi similis comparatio. *Fr.* Hæc non sunt cum Lipsio scribente *Jovis more*, aliisque sollicitanda. 'Suo jure' est, ut voluit, nemine impediente, pro arbitrio, ut recte quoque cepit Salm. et hoc loquendi genus pluribus exemplis asseruit Gronov. ad Sen. *Græv.* De Tranquil. An. c. III. et jam ante Budæus ad l. 44. D. de Usufr. Add. Voss. ad Justin. IX. 6. Schult. ad Sen. Controv. IV. Græv. ad Cic. de Senect. XI. et Burm. ad Petron. LXXVIII. Scripti et editi omnes habent vulgatum *suo more*, præter Voss. 3. in quo est *suo jure*, ut in Naz. et Jord. Heins. ad Sil. Ital. XII. 449. legit *sine more.* In Edit. Amst. hic addita erat adnotatio: Dorleans legendum censet *summo timore.* Alii *suo jure.* Lipsius *Jovis more.* Stad. Quasi vero Stadius divinare potuerit, quid post aliquot annos scripturus esset Dorleans. Schrevelius ea adpinxerat Edit. Elzev. An. 1660.

§. 6 *Quasi in terrigenas e cœlo, ac nubibus, tela mitterentur*] In Naz. est: *tela jacerentur.* Nimis poëtice hæc paratragœdiat Annæus, et præter veri fidem. Fabius captis superioribus jugis in subjectos suo jure detonuit, eaque species et imago certaminis fuit, quasi in terrigenas ac gigantes a cœlo ac nubibus tela Dii jacularentur. Atqui nihil in re, ut eam gestam narrat Livius, a quo tamen hic accepit, et parum cepit ejus mentem. Fabius, explorato aditu Ciminii saltus, prima vigilia copias suas traduxit per eum saltum, præmissis impedimentis, et legionibus post impedimenta ire jussis, ipse cum equitatu substitit, et luce orta postero die obequitavit stationibus hostium, quæ extra saltum erant ordinatæ. Mox in castra se recepit, cum diu morando hostem fatigasset; castris deinde egressus porta altera ante noctem agmen, quod præmiserat, assequutus est. 'Postero,' inquit, 'die, luce prima, juga Ciminii montis tenebat. Inde contemplatus opulenta Etruriæ arva milites emittit. Ingenti jam abacta præda, tumultuariæ agrestium Etruscorum cohortes, repente a principibus ejus regionis concitatæ, Romanis occurrunt, adeo incompositæ, ut vindices prædarum, prope ipsi prædæ fuerint. Cæsis fugatis-

que iis, late depopulato agro, victor Romanus, opulentusque rerum omni copia, in ea castra rediit.' Locum integrum retuli, ut constet, eum Floro nostro lectum et male intellectum, pravamque imaginem prælii inde concepisse. Cum enim legeret, Fabium juga montis Ciminii tenuisse, et inde milites emisisse, sic interpretatus est, quasi ex superioribus montis jugis cum toto exercitu in hostes, qui in plano erant, impetum fecerit, eosque deleverit. Non ita se res habuit, ut attentius verba Livii consideranti patebit. Quod dicitur Fabius juga montis Ciminii tenuisse, id fecisse eum apparet, ut conspectum ex superiori loco caperet, ad contemplandum situm et arva Etruriæ. Hoc cum fecisset, milites emisit extra saltum, nempe in agrum eos hostium emisit. Ex quo, ingenti jam abacta præda, in occursu habuerunt tumultuarias aliquot cohortes agrestium Etruscorum, quas principes ejus regionis ad hoc concitaverant, ut prædas abactas recuperarent. Eas adeo incompositas fuisse et inconditas dicit Livius, ut vindices prædarum ipsi prædæ fuerint. Hinc Noster sumpsit quod heic etiam habet: 'Nam subito inconditos atque palantes aggressus est.' At falsum quod sequitur: 'Jam captis superioribus jugis in subjectos suo jure detonuit.' In planum jam descenderat miles Romanus, et extra saltum emissus in agro Etrusco ingentem jam abegerat prædam, cum eis occurrerunt illæ inconditæ ac palantes agrestium Etruscorum cohortes, quas fuderunt fugaveruntque. *Sal.* *Tela mitterentur*] Naz. *jacerentur*, quod, quia præstantissimus codex præ se fert, recipiendum esse contendit N. Heins. præsertim cum et alibi sic locutus sit Florus, lib. III. 21. 'Sudesque et saxa undique a mœnibus ac tela jacerentur.' Sic 'jacere fulmen,' 'jacere tela' sæpe ap. Nason. et ap. Sen. in Tragœdiis non semel a se restitutum ait ex optimis membranis. *Græv.* Livii locus ap. Salm. est l. IX. c. 36. Begerus hic quoque Florum tuetur adversus censuram Grævii: sed suo more. Scripserat Grævius in Præf. Florum interdum putide, et non suo loco ostentare eruditionem, ob eamque causam hic Gigantomachiam inculcare. Quid ad hæc Defensor? 'Miror,' inquit, 'Grævium hoc loco Authorem exagitare, ac si eruditionem ostentare voluisset, cum tamen in Poëta, qualis Florus fuit, hoc ne præsumi quidem possit; fabularum enim notitiam quis tali negaret?' Non intelligo quid sibi velit hæc oratio. Ostentatio eruditionis in poëta non potest præsumi; quia nemo poëtæ fabularum notitiam negat. An poëta ideo non potest ostentator eruditionis esse, quia fabularum peritus est? nam hæc est, opinor, verborum illorum sententia: aut, an inter se repugnant, alicujus rei peritum, et simul ostentatorem esse? Grævius non detrahit Floro peritiam fabularum; sed hoc dicit, eum hic intempestive memorare Gigantomachiam. Hoc debuerat refutare Begerus, et ostendere, illius quam maxime opportuno loco mentionem factam: quod ex iis, quæ dixit, nondum apparet. Sed videtur id velle facere iis, quæ deinde adtexit in hunc modum. 'Comparatio e loco superiore inferiores debellantium cum Gigantomachia utique in aliquo tertio convenit. Nam et in hac e loco superiore inferiores debellarunt Dii.' Egregie: nam hinc omnino consequitur et aptam esse hanc comparationem, et opportunissimo loco a Floro institutam: haud secus ac si ego nunc Begerum, et alios, qui cum eo in uno tertio conveniunt, in eo comparandos suscipere vellem; quamquam id multo quidem opportuniore loco facerem, quam quo Florus Fabium et Romanos Diis, Etruscos autem gigantibus comparavit. Multi sæpe e locis su-

perioribus adversus hostes inferiores pugnarunt, nec ullus est Historicus, qui non crebro tales pugnas memoret. Nec tamen cuiquam, præter Florum, in mentem venit tam insanam comparationem instituere, eosque, qui e montibus pugnant, Diis, qui autem ex inferiore loco, gigantibus adsimilare. Sed hujusmodi deliramenta loquuntur Declamatores.

§. 7 *Nec incruenta tamen illa victoria. Nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius*] Res diversas ac diversissima tempora temere hic confundit noster Annæus. Nec enim victoria illa, quam tum reportavit Fabius de Etruscis, penetrato primum ac transito saltu Ciminio, Decii consulis morte ac consecratione fœdata est. Nec consul tunc cum Fabio fuit Decius, sed C. Marcius Rutilus, qui annus urbis erat....Aliquot annis post, cum una consules essent Q. Fabius quintum, et P. Decius quartum, hæc acciderunt in ea pugna, quam hoc par consulum adversus Etruscos, Umbros, Samnites, et Gallos simul coactos pugnavit. De qua consulendus Livius lib. x. Certe hoc caput Florus auspicatus est ab illa quatuor populorum in Romanos conspiratione, et hunc titulum materiamque capitis præcipuam esse voluit. Sed male, in ea re memoranda, multo ante gesta immiscuit, cum Q. Fabius primum silvam Ciminiam aperuit, viamque per eos saltus, ante invios, Romano bello fecit. Quam ejus victoriam perperam eamdem facit cum altera, quæ multis post annis contigit in eadem Etruria, quo tempore alter consul Decius, cum ab hoste premeretur, exemplum sequutus patris, Diis se manibus devovit, ut victoriam exercitui lucraretur capitis sui damno. *Sal.*

Nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius] Hoc nunquam factum, nec ulli memoratum. Poëtica hæc fictio Flori et vanum commentum. Pugna illa, qua se devovit Decius, in agro Sentinate commissa est, non intra Ciminios saltus. Vide Liv. lib. x. Mirum, in tanta eruditionis luce, talia in historia Romana peccare potuisse Florum. *Sal.* Referenda hæc sunt non ad illam expeditionem, qua Ciminii luci claustra perrupta sunt, sed ad totum bellum: 'victoria' enim, sicut 'victor' et 'vincere,' tam ad bellum, quam prælium, referuntur. Absque explicatione confusio oriretur historiæ; non enim idem in tempus incidit illa victoria cum morte Decii, sed XIII. annis distant. *Fr.* Expeditio Fabii in silvam Ciminiam incidit in A. U. 444. Pugna autem, in qua Decius se devovit, facta est A. U. 457. Itaque recte observat Salmas. Florum confundere tempora. Et frustra eum defendere conatur Freinshem. Nam e serie narrationis, inprimisque e verbis, 'in sinu vallis,' manifestum est, Florum pugnam Fabii e jugis montis Ciminii et devotionem Decii in idem tempus conferre, et existimasse Decium, quum se de jugo in vallem demisisset, ibi interiisse. 'Sinum vallis' Freinsh. in Ind. recte exponit recessum, cavitatem. Liv. XXIII. 1. de agro Neapolitano: 'Pleræque cavæ sunt viæ, sinusque occulti.' Id. XXX. 2. 'Terra campestri agro in ingentem sinum consedit.' Curt. III. 9. 'Triginta et duo armatorum ordines ibant: neque enim latius explicari aciem patiebantur angustiæ. Paullatim deinde se laxare sinus montium, et majus spatium aperire cœperant.'

More patrio] Vide supra, 1. 14, 3. Auct. de Vir. Ill. c. 27. Plutarch. c. 33. Paral. Val. M. 5. 6, 6. Augustin. Civ. 3. 18. lege quæ scribit Cic. de Divin. 1. 24. *Cam.*

In victoriæ pretium redegit] Fecit illam consecrationem pretium victoriæ, sive rem, qua victoria redimi et comparari posset. Ita sæpius Floro vox 'pretium.' Schult. ad Sen. Controv. IX.

CAP. 18 De hoc bello scribit Epit.

Liv. lib. 12, 13, 14. Val. M. 2, 2, 5. Auct. de Vir. Ill. cap. 35. Plut. in vita Pyrrhi, Augustin. Civ. 3. 17. Oros. 4. 1. Eutrop. 2. 1. Quo tempore hoc bellum gestum sit, docet Agell. lib. 17. cap. ult. et Plin. 8. 6. (et 14. 10.) *Cam.* Adde Justin. 18, 1. *Fr.*

§. 1 *Campanos, Apulos*] Plutarch. in Pyrrho, Eutrop. II. 7. et Liv. Epit. XII. XIII. et XIV. Tarentinos a Bruttiis, Samnitibus, Lucanis, et Messapiis adjutos tradunt. Campanos et Apulos eorum socios fuisse nondum usquam inveni. Nam illi quidem plus 60. annis ante hoc tempus se in fidem Romanor. dediderant, et eos hoc bello inter socios Romanorum adversus Pyrrhum militasse lego ap. Sigon. I. de Ant. Jur. Ital. 10. Apuliam autem ante hoc bellum in societatem Romanor. venisse, cognosci potest ex iis, quæ scribit Sigon. eod. lib. c. 13. Nec eam tum a Romanis defecisse constat. Quomodo ergo Florus Campanos et Apulos inter socios Tarentinorum memorat? Nam 'eadem ruina involvi' dicuntur, qui victis et subactis iis, quorum partes secuti fuerant, eamdem sortem subeunt, et accessio illorum cladis fiunt, ut infr. II. 11. 1. et III. 5. 21. Fortassis Tarentini non publico harum gentium nomine adjuti sunt, sed quidam populi Campaniæ et Apuliæ privatim arma cum iis sociaverunt. Neque enim, amissa illa parte historiæ Livianæ, qua hoc bellum exponebatur, satis certa notitia omnium, quæ eo gesta sunt, ad nos pervenit. Sed tamen vel sic Florus parum accurate Campanis et Apulis in universum tribuat, quod in paucos tantum conveniret.

Pyrrhum] Pausan. lib. I. non ita longe ab initio: *Græcum neminem ante Pyrrhum, bellum Romano imperio intulisse, satis constat.* Nempe ex vera illa et veteri Græcia; nam antea cum multis Italiæ Græcis populis, ut et ipsis Tarentinis, conflixere Romani. *Fr.*

Totam Italiam] Ruina belli Tarentini involvit eam partem Italiæ, quæ ad mare Siculum et Græciam vergit; qua subacta Romani Italiam, quæ a mari supero Rubicone, ab infero Arno concludebatur, in potestate habuerunt, i. e. eam partem Italiæ, quæ ab illis proprie Italia dicebatur. Vid. Sigon. I. de Ant. Jur. Ital. 1. Jord. hic *totam pæne Italiam* dicit, et Florus mox n. 23. 'maximam partem Italiæ' hoc bello in ditionem Romanor. venisse scribit. Sic rursus 'Italia,' et 'Omnis Italia,' ap. Nostrum I. 19. II. 1. et II. 2. Vid. tamen ad I. 26. fin.

Italiam consummaret] I. e. omnes illius urbes, regiones, et imperia in unam ditionem redigeret. Translatio petita ab his, qui multas minores summas colligunt, et in unam redigunt. Schult. ad Sen. Suas. VII. Colum. III. 9. 'A me duo jugera vinearum intra tempus biennii ex una præcoque vite insitione facta consummata,' i. e. tota vitibus occupata.

§. 2 *Tarentus Lacedæmoniorum opus*] Optimus Nazarianus habet, *Tarentos*, Græca forma. Sic inf. in eod. lib. scriptum erat *Saguntos* pro *Saguntus*. Sal. *Tarentus*] Tarenti originem, situm, potentiam, &c. lege ap. Strab. lib. 6. et Plin. 3. 10. Sil. 12. 432. Quando et a quibus conditum, Euseb. lib. temp. *Cam.* Adde Justin. 3. 4, 11. Serv. ad Æn. 3. 551. Præcipue vero Philip. Cluverium Italiæ lib. 4. Merulam, 2, 4, 28. *Fr.* Ryck. Magl. Fran. et quidam editi *Tarentum*. De Tarenti conditoribus etiam Pausan. Phocic. c. X. Torrent. ad Horat. II. Carm. 6. 11. et hic Rupert.

Magnitudine] Alludit huc Seneca, de Tranq. Anim. cap. 2. 'Tecta, vel antiquæ satis opulenta turbæ.' *Fr.*

Portuque nobili] De quo Polyb. excerpto primo lib. 10. ubi, quanta sit portuum utilitas, luculenter demonstrat. Adde Censorini orat. ap. Ap-

pian. in Punicis. In al. edd. est, *nobitis:* sed istud prætuli. Sic infra c. xx. 'Brundisium incluto portu.' *Fr.* Omnino cum Ryck. et nonnullis edd., sensu postulante, scribendum, *portuque nobilis, et mirabilis situ:* inferius Ryck. *tot simul populi pro Tarentinis in hos consurgerent:* vulgati ignorant *in hos.* Græv.

§. 3 *In ipsis Adriatici maris faucibus*] Raro in membranis hujus Auctoris vetustissimis *Adriaticum mare* scriptum occurrit: *Adrianum* quippe semper nominat, aut *Adriam.* Ut hoc loco etiam in vetustissimis Jord. Codd. legitur: *in ipsis faucibus Adriæ maris.* Horatius quoque 'Adriam' vocat. Græcis Ἀδρίας et Ἀδρίας κόλπος. Noster 'Adrianum sinum' inf. vocat. *Sal. Hadriatici maris*] Ita diserte Pal. 1. ut et supra. cap. 15. ubi et alii duo Pall. *Adriatico* expressere: sed et hoc loco est in 3. *Adriatici,* in 2. *Adriaci.* Grut.

Siciliam vela dimittit] In Naz. est: *vela admittit.* Quam scripturam firmant et Jord. codd. vetusti, qui scriptum habent: *vel admittit.* Duo Pal. *vela mittit.* Et sic editio 1. *Sal. Dimittit*] Ita Naz. Grut. teste, Salm. *vela admittit* legere mavult. *Fr.* Pal. duo *vela mittit,* quod omnino probum esse credo N. Heinsio, qui ostendit *mittere* sæpe pro dimittere poni a Nostro. Superius cap. 16. 'Mitteret omnes vel occideret.' Sæpe ap. Historicos 'Missus senatus' pro dimissus. In Naz. exhibetur *vela admittere* ut et in Jorn., quem errorem natum putat vir doctissimus inde, quod *a* superfluum male iterassent primo librarii. *Græv.* Heinsius adscripserat e Catal. Virg. p. 88. 'Nos ad beatos vela mittimus portus.' Sed quum in Naz. *dimittit* esse scribat Gruterus, non *admittit,* ut Salmasius, idque etiam Ryck. Regg. Flor. Voss. 3. et pleræque Edd. vett. habeant, et Freinsh. ac Grævius in Ed. A. 1680. retinuerint, nihil mutandum existimavi. Cic. v. Tusc. 14. 'Quod multas naves in omnem oram maritimam dimisisset.' Alioqui hæc facile permutantur. Vid. supra ad 16. 10.

Ad prospectum maris positum, majus theatrum] Haud scio an et minus theatrum habuerint Tarentini. Sic recte hic locum teneat istud *majus.* Putavi aliquando *majus* et *maris* varias fuisse lectiones ab antiquario notatas. Profecto et Jord. si quid illi fidimus, non agnoscit istud majus theatrum, ac sic legit: *Imminet portui ad prospectum maris positum theatrum.* Credam, fuisse Tarentinis duplex theatrum, majus et minus. Sed brevitati, quam affectat Noster, non satis hæc distinctio convenit majoris ac minoris theatri. *Sal. Majus theatrum*] Cum ita esse in Mss. suis prodidisset Vinetus, id fidenter recepi in contextum, quandoquidem restaret quoque in v. e. nec non Pall. om. hactenus excuditur, *urbis theatrum.* Grut. Salm. illud *urbis* eliminandum putat, cum nullius hic usus sit: forte non incommode mutari possit in *amphi,* ut sit *amphitheatrum.* Non enim novum est ita corrumpi et exteri literulas, ut in alienum verbum degenerent: sicut hoc ipsum sibi exemplo est, quod in aliis *majus,* in aliis *urbis* legitur: nihil tamen adfirmaverim. Præsertim quia *majus theatrum* dici potuit respectu minoris: sicut ap. Dionys. 1. 50, 3. mentio est *minoris theatri* in oppido Ambraciæ. *Fr.* Solus Reg. Q habet *urbis theatrum.* Mira est in illo scriptura: *imminet porticuï ad portum maris urbis theatrum.* Fran. *positum jovis theatr.* Conjectura Freinshemii nimis abit a ductu literarum. Et fortassis non ostendi poterit amphitheatra Græcis eo tempore fuisse cognita.

§. 4 *Adremigantem litori Romanam classem vident*] Legitur in Naz. numero multitudinis: *adremigantes litori Romanas classes vident.* Sic ille mutavit, dum putat, Tarentinos ipsos adremi-

gantes littori, Romanam classem vidisse. Alia multa non minoris hallucinationis in Flori historia describenda peccavit. *Sal.* Gruterus censet adsuta nonnulla a librariis, et purius ita legi: *quum, adremigante litori Romana classe, hostem, &c.* Puto veram censuram. *Fr.* Naz. libri scriptura etiam exstat in Ryck. Regg. Flor. Duish. et v. e. Ab ea alii sc. in his abeunt. Pal. 2. *quum navigantes.* Pal. 3. Magl. Fran. et al. edd. vett. *q. remigantes,* et hac præterea *inde vident,* quod etiam in Flor. est. Berol. *q. a. Romanam classem.* Voss. 1. 2. *q. adremigantem l. Romanas classes vident.* Voss. 3. *q. remigantes l. Romanam classem inde v.* Vulgatam scripturam primum puto edidisse Vinetum, quem deinde Grut. et alii sequuti sunt. Puto defendi posse *adremigantes Romanas classes.* Nam veteres sæpe sine discrimine *classis* et *classes* dicunt. Catul. Carm. LXVII. 45. 'Quum Medi irrupere novum mare, quumque juventus Per medium classi barbara navit Athon.' Adnotat ibi Statius has a Cic. II. de Finib. 34. et a Claud. II. in Rufin. 122. 'classes' dici. Virgil. quoque compluribus locis *classem* et *classes* permutat: Æn. III. 117. 'Tertia lux classem Cretæis sistet in oris:' et 651. 'Hanc primum ad litora classem Conspexi venientem.' At 300. 'Progredior portu classes et litora linquens:' et 403. 'Quin ubi transmissæ steterint trans æquora classes.' Sic IV. 309. 'Quin etiam hiberno moliris sidere classem: et 313. 'Troja per undosum peteretur classibus æquor.' Et sæpe ap. eumd. aliis locis. Sed et *classem* de una navi dici observat Servius in I. Æn. 39. VI. Æn. 1. et 334. ubi est, 'Lyciæ ductorem classis Orontem.' Et sic 'classes' pro navibus Flor. III. 6. 8. Pro *littori* e Duisb. et Edd. V. et J. quibus alibi Ald. accedit, scripsi *litori;* ut in monumentis vetustis et Pandectis Florent. Vid. Ald. Orthogr. et Drakenh. ad Sil. It. I. 25. *Inde* ab Jord. quoque abest. Videri possit ortum esse e seq. 'vident.' Sed v. inf. ad n. 25.

Emicant] Vid. Freinsh. in Ind. Barth. ad Claud. in 1. Cons. Stilic. vs. 315. Taubman. ad Virg. Æn. v. 319. et Rupert ad h. l.

Qui autem, aut unde, Romani] Correctores, si quid unquam et stulte atque impune fecerunt, stultissime et felicissime in hoc loco contemerando versati sunt. Scr. om. et vett. edd. vocem, *norant,* non norunt, et pro *qui autem,* habent *qui enim.* His notatis, facile nobis, quid verum fuerit, perspicere. Indubitanter corrigimus: *quum adremigantem litori Romanam classem inde vident, atque hostem rati, emicant: sine discrimine insultant. Qui enim aut unde Romani? Nec satis. Aderat sine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque fœde per obscœnam turpemque dictu contumeliam violant.* Integrum locum adposui, ne de nostra emendatione dubitaretur, quod neminem paulo humaniorem facturum putamus. *Sal.* Secutus sum certissimam Salmasii correctionem, etiam Grutero probatam: hactenus edebant, *qui autem et unde Romani, nec satis norant:* cum illud *norant,* non norint om. Pall. Similiter Ov. Ep. Phyllidis vs. 106. 'Hei mihi, si quæ sim Phyllis, et unde, rogas!' *Fr.* Ryck. Voss. 3. *Qui enim aut unde Romani nec satis norant,* alii omnes, Jord. et v. e. ita, ut volebat Salm. In Voss. 2. tamen adscriptum est *compertum,* et a Reg. Q abest *enim.* Voss. 3. et Fran. *qui autem aut:* ceteri *qui enim aut.* Formula 'quis, aut unde?' interdum est contemnentis, interdum ignotum compellantis. Contemnentis h. l. et aliis apud Rupert. et Freinsh. quem etiam vid. in Ind. et Græv. ad Cic. II. Philip. 30. Ad ignotos et peregrinos pertinent hæc Livii XXIII. 34 'Quam quæreret, qui, et unde, et quo tenderent cursum?' Ovid. IV.

ex P. 5. 11. 'Si quis, ut in populo, qui sitis, et unde, requiret.' Et Petron. CXXIV. 'Incidimus in turbam heredipetarum sciscitantium, quod genus hominum, aut unde veniremus? Scheff. in Advers. Cap. 25. (Vol. IX. Obs. Miscel. p. 317.) scribit Salmasium auctorem esse lectionis, *qui enim aut*, et Edd. Flori ante Freinsh. habere, *qui autem et;* ac deinde conjicit, *insultant (qui autem et unde?) Romanis.* Nihil opus est hac conjectura. Salm. ex Mss. *enim* posuit pro *autem.*

§. 5 *Hanc quoque*] Legationis jus ut ex gentium moribus originem traxit, ita violatores ejus semper infames invisique fuere, maximisque pœnis affecti. De qua re tractare professos lege Paschalium, cap. 26. Gentilem, lib. 2. c. 14. Freder. de Marselaer, Diss. 13. &c. exempla præter hoc sunt in Nostro, 2. 5, 3. et 2. 16, 3. Adde Tac. H. 3. 80, 5, et 6. Zonar. tom. 3. p. 69. *Fr.*

Obscœnam turpemque dictu contumeliam] Non tempero mihi, quin insignem multis de caussis historiam ex Dionysio Excerpt. Legat. IV. adscribam. 'Cum Posthumius legatus ad Tarentinos missus esset, et quædam apud eos exponeret; Tarentini non modo non attenderunt animos; verum etiam si quid ab eo diceretur, quod non exactissimum Græci sermonis characterem referret, observabant ac ridebant, et barbarum vocitabant, ac tandem e theatro ejiciebant. Cumque abirent, unus ex iis qui in transitu adstabant Tarentinis, nomine Philonides, homo scurrilis, qui a vinolentia, cui per totam vitam deditus fuerat, appellabatur Cotyla, hesterna ebrietate etiamnum distentus, ut appropinquarunt legati, sublato amiculo, et corpore ad obscœnissimum habitum composito, sordes nominatu indecoras sacro legati vestimento adspersit, ubi cum totum theatrum in risum erupisset, et petulantissimi quique manibus complosissent, Posthumius Philonidem intuitus: Accipiemus, inquit, omen, o scurra; quia datis nobis etiam ea, quæ non petimus. Deinde ad multitudinem conversus, vestem contumelia affectam ostendit, cumque adhuc majorem ex omnibus risum oriri cerneret, et voces quorundam illætantium petulantiamque laudantium audiret: Ridete, inquit, Tarentini, ridete dum licet; nam post hæc diu flebitis. Ad quas minas cum nonnulli exasperarentur: Et ut magis, inquit, stomachemini, etiam hoc vobis dicimus, vos hanc vestem multo sanguine eluturos.' Fateor non convenire instituto, tales narrationes inserere, sed cum ad explicandum auctoris locum præcipue faciat, nec alibi idem admiserimus, veniam merebimur. Facit cum Dionys. Val. M. 2. 2, 5. Polyb. 1. 7. non exprimit genus contumeliæ, sed ἀσέλγειαν vocat. Quanta vero ea injuria fuerit, et quam justo quoque bello Romani propterea Tarentinos persecuti sint, exinde apparet, quod etiam in privatis hominibus, apud quos respectus iste juris gentium cessat, pro atroci contumelia acceperint fimo corrupto perfundi: l. 1. §. 1. D. de extraordin. crimin. juncta l. 9. de injur. Livius Epit. 12. pulsatos scribit. *Fr.*

Ex hinc bellum] Supra legend. hic docuimus: *et hinc bellum.* Nec sententiam mutamus. Hoc eod. libro: 'Ferocius agunt: et inde certamen.' *Sal.* Vid. supr. ad 13. 6. *Et hinc* est in Naz. Flor. Voss. 3. Jord. et Ald. Idque magis placet. Ryck. *ex hinc.* Videtur librarius indicare voluisse varietatem scripturæ: de quo more librariorum Salm. ib. ad n. 3.

§. 6 *Semigræcam*] Ita ap. Liv. 7. 19, 9. 'Cæritem pop. misericordia consanguinitatis Tarquiniensibus adjunctum, fama ferebat.' Pyrrhi verba leguntur ap. Diodor. 22. 1. qui etiam, lib. 16. cap. 66. similia refert de Ti-

moleonte. Adde infra 3. 1, 15. *Fr.* Erat Græca ratione conditorum, sed situ Italica.

Cum totius] Reg. Q *cum totius Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ opibus.* Florus more suo rem exaggerat. Nam Pyrrhus a Lysimacho Macedonia ejectus tum solam Epirum tenebat, et non multo plus quam 25. M. militum secum in Italiam duxit, quorum pars naufragio periit. Plutarch. in Pyrrho. Mithridates ap. Justin. XXXVIII. 4. eum non amplius quam 5. M. Macedonum instructum fuisse dicit.

Incognitisque ad id tempus elephantis] Epit. Liv. Auctor lib. XIII. 'Valerius Lævinus consul parum prospere adversus Pyrrhum pugnavit, elephantorum maxime invisitata facie territis militibus.' Ita ibi legend. pro *inusitata.* Quæ vox infinitis variorum Latinitatis Auctorum locis pro illa *invisitata* vitio correctorum visitur. *Sal.* Add. Plin. 8. 6. Veget. 3. 24. Varr. lib. 6. de Ling. Lat. Solin. cap. 25. Frontin. Strateg. 7. 4, 13. Justin. 18. 1, 6. Maximum autem hoc fuit belli momentum. Ita, cum Fidenates facibus armati erumperent, 'forma inusitatæ pugnæ Romanos milites terruit,' Livius, 4. 33, 2. et a Britannis 'novo genere pugnæ' perterriti sunt Cæsareani, Cæs. de B. Gall. 5. 15. 'Subita' enim 'conterrent hostes, usitata vilescunt,' Veget. 3. 26. Liv. 10. 28, 9. Inde 'vanis et inanibus militem magis quam justis formidinis causis moveri' dicit Curt. 4. 13, 5. *Fr.* Romani elephantos tum 'boves Lucas' vocarunt, quod eos primum in Lucania viderant, nec aliam quadrupedem bove majorem noverant, cujus nomen iis possent imponere. Vid. Virdung. ap. Rupert. Turneb. XXX. Adv. 9. Salm. ad Solin. p. 218. et ad Flor. I. 19. Gatak. Advers. Post. c. XXXV. et Bochart. Hieroz. Part. I. lib. II. c. 23. De elephantis primum a Pyrrho in Italiam adductis etiam Pausan. Atticor. XII.

Viris, equis, armis] Hæc sæpe dicuntur pro totis viribus, omni conatu et contentione. Vid. Victor. ad Cic. IX. Ep. Fam. 7. Ferrar. ad Cic. VIII. Philip. 7. Lang. ad eumd. III. de Off. 33. et H. Steph. ad Erasm. Proverb. *velis equisque*, qui plurima Livii, Cic. et aliorum loca congesserunt, in quibus vel 'armis, equis, viris,' vel 'equis, viris' conjunguntur: quamquam in his interdum nulla metaphora est. Add. Liv. XXI. 27. XXVI. 5. et Flor. II. 7. 8.

§. 7 *Apud Heracleam, et Campaniæ fluvium Lirim*] Insignis allucinatio Annæi nostri. Ἡράκλεια in Campania nulla, aut, si ulla, indicta sane vett. omnibus fuit. *Herculaneum*, vel, ut in scriptis habetur, *Herculanium*, in Campania collocatur, quod Græcis Ἡρακλεῖον. At longe aliud Ἡρακλεῖον et Ἡράκλεια. Vir doctiss. et summus antiquitatis vindex, annotat, viginti tres numerari Stephano Heracleas, quarum una Campaniæ. Stephanum ante annum recensuimus et castigavimus; Heracleæ in Campania nusquam meminit, sed inter viginti tres Ἡρακλείας, unam Italiæ recenset: nec ideo magis possumus intelligere, illam esse Campaniæ, quam Tusciæ aut Calabriæ. Procul dubio Steph. Heracleam intelligit, quæ prope Metapontum est. Non enim alia fuit in Italia Heraclea, juxta Sirim fluvium. Liris in Campania fluvius, Siris ἐν τῇ Βρεττιανίᾳ, ut Græci loquuntur. Florum igitur decepit error 'Liris' et 'Siris,' et 'Lirim' pro 'Siri' accepit, et, cum Liris sit fluvius Campaniæ, etiam Heracleam in Campaniam traducere, sine architectis, et sine mœnibus, debuit. Auctores omnes consentiunt, pugnam primam adversus Pyrrhum habitam fuisse juxta Heracleam et Sirim. Plutarchus, ἐν πεδίῳ τῷ μεταξὺ Πανδοσίας πόλεως καὶ Ἡρακλείας. At Πανδοσία non est Campaniæ. Qui ad veterum errores connivere consueverunt, etiam hic Florum

defendant, et illis duobus locis, de qnibus infra disputamus; ut omittam quos jam supra notavimus. *Sal. Heracleam, et Campaniæ fluvium Lirim*] Similiter Orosius 4. 1. Jordanes, Gotefr. Viterbiensis Chronic. lib. 9. Constat autem inter omnes Heracleam illam non in Campania, nec ad Lirim sitam fuisse; sed in Lucania inter Sirin et Acirin. Plin. 11. Strabo lib. 6. p. 182. Plutarch. Pyrrho cap. 34. Liv. Epit. 13. 1. Steph. de Urbibus. Frontinus 4. 1, 24. Ideoque Bongars. ad Justin. 18. 1, 4. in Oros. 4. 1. et hoc nostro legi vult: *Heracleam et Pandosiam urbem, fluviumque Sirim.* Salm. ad Solin. p. 58. D. 1. *Heracleam et fluvium Sirim.* Cluver. Italiæ Antiquæ p. 510. et 1279. *Lucaniæ fluvium:* omnia ex historia. Sed cum nostri consilii haud sit historias ex integro condere, sed ut a Floro conscriptæ sunt, proponere; rectius videtur accedere alteri ejusdem Salmasii opinioni, qua peccatum auctoris esse censet. *Fr.* Salm. sibi non satis constat. Hic Florum omnino errasse putat. Ad Solin. emendationem proponit, qua culpa in librarios confertur; sed tamen magis videtur inclinare in priorem sententiam. Emendationem Salmasii probarat N. Heinsius ad oram libri sui, Simson. in Chronico ad A. M. 3725. et Perizon. in marg. exemplaris sui Florum errasse credunt. Idque verius videtur. Vid. inf. hoc cap. n. 24.

Levino] Sigon. ad Liv. Epit. XIII. et Pigh. in Annal. ad A. U. 473. e Fast. Capit. ostendnnt scribendum esse *Lævinus.* Græcis Λαιβῖνος, ut recte in Plutarcb. Pyrrh. H. Steph. edidit, pro eo, quod ante vitiose legebatur Ἀλβῖνος.

Ferentanæ turmæ præfectus Obsidius] *Ferentaneæ* et *Opsidius* veteres. Vetus Inscriptio 'Obsidius.' *Sal.* Frentanum natione, turmæque præfectum, nomine Oplacum, Plutarchus, Pyrrho, cap. 36. vocat: ut dubium esset, an de Frentanorum auxiliariorum præfecto loqueretur, nisi testaretur Fr. Fabricius, Vir doctiss. habere se Mss. librum, in quo nomen huic præfecto *Obsidium* sit adscriptum, quod Plutarchi sententiam in Pyrrbo quoque confirmaret. *Stad. Ferentanæ* Fran. et Voss. *Ferentaneæ* Duisb. et Edd. præter Ald. *Ferrantaneæ* Ryck. *Frentanæ* Toll. et Regg. quod rectum est. Plutarcho, et aliis Græcis Φρεντανοί. V. Sigon. de Ant. Jur. Ital. I. 14. et Dionys. Voss. ad Cæs. I. Civil. 23. Quæ sint illæ Inscriptiones Salmasio laudatæ, in quibus legatur gentile *Ferentaneus,* non scio. 'Obsidius' quoque, non 'Opsidius,' est ap. Grut. LXXII. 9. Nec aliter scripti Flori. Sed Fran. *Ossidius.* Add. Fabric. ad Oros. IV. 1. De Præfectis turmarum socialium Schel. ad Hygin.

Projectis insignibus] Nempe ne, per ea monstratus hostibus, periculosius fugeret. Similia Plutarch. Lucullo, cap. 55. Cæsare cap. 67. Curt. 3. 11, 21. Frontin. 2. 1, 24. Zonaras, lib. 3. de Magnentio. Adde notam Casaub. et Bernec. ad Suet. Aug. 10. 9. a. Sic Antonius consularem vestem abjecit inter cædem Cæsaris. Dio, lib. 44. p. 283. Ita Nicanor describitur *deposita veste gloriæ per mediterranea fugiens,* Maccab. 2. 8. Asinius Pollio, ap. Dionem, lib. 45. Trajan. ap. Xiphilin. p. 254. Add. Tac. Hist. 1. 81, 4. Hist. Miscell. 6. 8. Cæs. de B. Civil. 3. 96. *Fr.*

§. 8 *Actum erat*] Ita Jord. et e scriptis Florent. et Voss. 3. Ceteri et ed. om. *factum erat.* Haud dubie rectius est *actum:* v. Ind. et Brisson. VIII. Form. Nec dubito, quin ita in Naz. et Pall. fuerit: nam Salm. in exemplari suo, in quo est *actum,* nihil ex iis adnotaverat, nec Grut. quidquam de varietate scripturæ monuit.

Conversi in spectaculum belli] His verbis, si animum advertas, nulla sententia subest. Deletæ essent Pyrrhi copiæ, inquit, nisi procurrissent, sive

in primam aciem producti essent elephanti conversi in spectaculum belli. Ad quoduam bellum spectandum convertebantur elephanti, et quidnam ad victoriam Romanis extorquendam conferebant elephanti bellum seu pugnam intuentes? Nam hoc est 'converti in spectaculum' alicujus rei, se convertere ad aliquid spectandum. Nullus alius sensus ex his verbis potest colligi. Dudum Gronovio, ut erat emunctæ naris vir, suboluit hunc locum esse mendosum, et, qua erat mira in depravatis restituendis sollertia, sic emendandum: *Actum erat, nisi elephanti, converso in spectaculum bello, procurrissent:* hoc est: Vicissent Romani, nisi elephanti procurrissent, et Romanos magnitudine sua sic perculissent, ut bellum seu prælium converteretur in spectaculum, ut immemores pugnæ spectatores essent invisarum antea sibi belluarum tam monstrosarum. Interea dum bellum in spectaculum convertitur, Romani ab Epirotis cæduntur. Hoc non Gronovii, sed ipsius Pythii est responsum. *Græv.* Ita Gronovius II. Obs. 25. e Jord. opinor, ap. quem est, *nisi elephanti converso in spectacula procurrissent bello.* Et sic Ald. contra om. sc. et alias edd. Certum est, *converti ad spectaculum* a Latinis ea significatione dici, quam hic adnotat Grævius. Liv. XXVI. 5. 'Sublatum alte signum converterat ad spectaculum cives hostesque.' Id. XXXV. 51. 'Ad spectacula templi lucique versi.' Et eadem significatione voce *spectaculum* adjunguntur alia verba. Petron. cap. CXI. 'Ut vicinarum quoque gentium fœminas ad sui spectaculum evocaret.' Et Justin. XXXIV. 2. 'Conjuges liberosque suos ad spectaculum certaminis in montibus posuerunt.' Et facit pro interpretatione Gronovii locus Justini XVIII. 1. de hoc prælio: 'Romanos vincentes jam inusitata ante elephantorum forma stupere, primo, mox cedere prælio coëgit.' Tamen nonnihil dubito, an Florus 'spectaculum belli' dixerit pro prælio. Ita certe loquutus est supr. c. II. 'Ea denique atrocitas prælii fuit, ut interfuisse spectaculo Deos fama tradiderit:' ubi *spectaculum* nihil aliud potest esse, quam prælium. Neque enim Castores ibi otiosi spectatores fuerunt; sed, ut plerique veterum narrant, hastis ora hostium fodientes eos in fugam verterunt. 'Spectaculum prælii' autem quid sit, intelligi potest e Sall. Jug. CI. 'Tum spectaculum horribile in campis patentibus, sequi, fugere, occidi, capi, equi atque viri adflicti....postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.' Similis est locus Tac. Agr. XXXVII. quem et ad Sall. adnotat Wass. 'Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare.' Ita 'conversi in spectaculum belli' esset, conversi in prælium, cujus atrocitas horribile præbebat spectaculum. Et fortassis Florus 'spectaculum belli' dixerit pro prælio, ut Horatius bella et prælia *ludum Martis* vocat I. Carm. 2. 37. 'Heu nimis longo satiate ludo;' et de iis, qui in prælio cadunt I. Carm. 28. 17. 'Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti.' Præterea hoc quoque obstare videtur conjecturæ Gronovii, quod, si legas *converso in spectaculum bello*, Florus dicit elephantos tum demum procurrisse, postquam Romani ad eorum spectaculum jam conversi erant. Sed hoc fieri non potuit: nam prius procurrere debuerunt elephanti, quam Romani ad eos spectandos converti potuerint. Si hæc fuisset mens Flori, debuisset scribere, *nisi elephantis procurrentibus bellum in spectaculum conversum fuisset.* Conjectura Tollii Fortuit. c. XXVI. *Nisi conversæ in primam aciem belluæ procurrissent*, vix digna est, quæ memoretur.

Novo odore] Liv. 30. 18, 6. 'Ad

quorum stridorem odoremque et aspectum territi equi, vanum equestre prælium fecerunt.' Idem de elephantis, locis aliis multis idem Livius. *Vin.* Livium imitatur Ammian. 25. 3. 'Ad quorum stridorem odoremque et insuetum aspectum magis equi terrebantur.' Add. Plutarch. Pyrrho, cap. 37. *Fr.* Item Rupert. ad h. l. et Liv. XLIV. 5.

Dederunt] Virg. III. G. 246. 'Nec funera vulgo Tam multa informes ursi stragemque dederunt Per silvas.' Et rursus Ibid. vs. 556. et Æn. XII. 453. Sic 'dare timorem,' 'admirationem,' 'terrorem,' Justin. III. 5. et IV. 1.

§. 9 *Asculum*] Oppidum hoc in Picentibus locat Plin. 3. 13. et Noster, prox. cap. Ea propter Camers proxime præcedentia verba, 'In Apulia,' delenda censuit. Vinetus ita subvenire tentat: *In Apulia, deinde apud Asculum:* ut innuat, duobus istis locis pugnatum esse. Vegetius, 3. 24. quæ hic narrantur, in Lucania accidisse scribit. *Fr.* Plutarch. in Pyrrh. et Frontin. II. 3, 21. prælium apud Asculum factum tradunt; ubi id situm fuerit, non addunt. Rupert. ad h. l. et Cellar. II. Geog. Ant. 9. duas hoc nomine urbes in Italia fuisse ostendunt, alteram in Piceno, alteram in Apulia, quæ hodieque *Ascoli* dicatur. De hac igitur hæc verba accipienda sunt, non de Asculo Piceno.

Curio Fabricioque] Manifestus hic est error. Curio enim nunquam in consulatu collegam fuisse Fabricium, Annales Coss. testantur. Scribend. itaque, *Fabricio et Æmilio Coss.* quibus ad Asculum cum Lucanis, Bruttiis, Tarentinis, et Samnitibus, pugnatum esse, Triumphorum tabulæ recensent. Observo namque, Pyrrhum tunc spe occupandæ Siciliæ evocatum fuisse, victum tamen paulo ante Fabricii virtute, utpote qui medicum Timocharem, contra regis sui caput spe præmii venenum deferentem, ad dominum suum reduci curaverit: ita fere Eutrop. 2. 18. Epit. 13. Livii, Val. Maximus, Tabulæ Capit. Contra Florus, et Scriptor de Viris Ill. Frontin. Plutarch. recensent, cum Pyrrho bis ad Asculum esse pugnatum, priore die prælium ob noctem fuisse diremtum; altero die Pyrrhum, circa humeros pilo læsum, ex acie decessisse, victoriam penes Fabricium fuisse. Pyrrhum deinde a Syracusanis in Siciliam, qui a Carthaginensibus obsidebantur, evocatum, Plutarchus et Pausan. lib. 1. auctores sunt. Nonnulli scribunt, dubio Marte, Sulpicio et Decio Coss. cum Pyrrho pugnatum esse, sed anno superiore. Pyrrhum fuisse vulneratum, sed Decium Cos. hoc in prælio cecidisse, Cic. in Tusc. 1. 37. auctor est. *Stad.* Forte diversos annos intelligit Auctor, ut supra, 1. 16, 8. 'Per Fabios et Papirios patres, eorumque liberos.' *Fr.* Qui sententiam Freinshemii defendere volet, ei primum ostendendum erit, non Fabricio tantum, sed etiam Curio Cos. i. e. non tantum A. U. 475. sed etiam 478. ad Asculum pugnatum esse: quod semel tantum Fabricio, non Curio Cos. factum tradunt Veteres. Deinde, quum duorum Consulum nomina ita, ut hic, conjunguntur, id etiam accipi posse de iis, qui non eodem anno Coss. fuerunt. Est omnino peccatum sive librariorum, ut putat Pigh. ad A. U. 475. sive ipsius Flori, ut Sigon. ad eumd. annum, Schott. ad Aur. Vict. c. XXXV. et Perizon. ad h. l. quibus potius adsentior. Similis est error cap. præced. de Fabio et Decio Coss. Quæ Stadius hic e Fastis Triumph. refert, ea ibi non leguntur: sed tantum Fabricium de Lucanis, Bruttiis, Tarentinis, et Samnitibus triumphasse. Asculi in Fastis nulla est mentio.

Belluarum] Freinshemius in Ind. notat, 'belluas' hic poni pro elephantis; quod prima fronte puerile ac protritum videri posset: sed adeo non est, ut illud Arnobii lib. VII. mire

torserit viros doctos: 'Camelos, belluas, leones.' Medicinam enim crediderunt adhibendam, quum non intelligerent elephantos κατ' ἐξοχὴν dici 'belluas.' Simili modo 'bestias' Cic. lib. VI. Ep. 9. dixit. *Rup.* Add. Græv. ad Flor. II. 6. 49. Terent. Eun. III. 1. 25. In vet. lib. Vineti, Flor. Magl. et Voss. *Numicius.*

Hastatus] Centurionem facit Veget. 3, 24. Lipsius de Mil. Rom. lib. 2. cap. 8. de primo hastato exponit. *Fr.* Lipsius ex Oros. qui IV. 1. 'quartæ legionis primum hastatum' vocat, recte exponit primum Centurionem hastatorum. Sic 'Princeps' absolute, pro primo Centurione Principum, ap. Liv. XXV. 14. Sed frequentius *primus princeps*, *primus hastatus.* Vid. Lips. l. d. Livius XXVI. 6. 'Primi principis signum.' Ibid. c. 5. 'Secundi hastati signum.' Et XXVII. 14. 'Signum primi hastati.' Add. Ald. Manut. Quæsit. per Epist. II. 3. Paullo ante Berol. Magl. et Duisb. *exolucrat*, quo etiam tendit Ryck. in quo est *exuoluerat. Beluarum*, et paullo ante, ac deinde *beluas* Duisb. Fran. et v. e.

Unius proboscide abscissa] Græcum quidem est, προβοσκίς. Sed Latini veteres, solenni mutatione B in M, pro eo magis dixerunt 'promoscidem' vel 'promuscidem.' Et sic veteres legunt. Hanc tamen eos mutationem ab Æolibus suis potius mutuatos crediderim, quibus frequens fuit aliorum Græcorum βῆτα in μῦ vertere et contra. Sic igitur illis προμοσκὶς dicta, quæ aliis προβοσκίς. Inde Latinorum 'promuscis.' *Sal.* Quod jam ante usurpaverant Macedones bello Pori Indico. Vide Curt. 8, 14. Aliam unius militis adversus elephantem pugnam describit Hirtius de Bell. Afric. cap. 84. et aliam Plin. 8, 7. aliam Joseph. Antiq. 12, 14. *Fr.* Ryck. Berol. Magl. Duisb. Fran. Voss. 1. Ed. V. B. P. et S. *promoscide.* Flor. Voss. 3. et Frec. *promuscide.* Vid. Vinetum in Ind. et Voss. Etymol. 'Manum' in hac historia dicit Orosius. Et sic sæpe alii, quorum loca congessit Freinsh. in Ind. Curt. v. *Manus. Abscisa* est in Berol. Magl. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et om. ed. ut infr. II. 2. 2. in plerisque. *Abcisa* Naz.

Mori posse] Eoque magis Asdrubal ap. Liv. 27, 51, 2. *Fr.*

§. 10 *Ardentib. ruinis operuere*] Idem genus loquendi est ap. Stat. et Sil. It. Vid. Gron. Diatrib. Stat. c. XXIII.

Nec ante cladi finis fuit] Vetus editio, ut summi viri annotarunt: *nec alius cladi finis fuit.* Quod cohærere cum seqq. non posse testantur. Scripti omnes id retinent. Sed verum est, legendum esse: *nec alias cladi finis fuit, quam nox dirimeret.* Omnia jam cohærent. Sic supra iidem veteres habebant: *rarum alius decus*, pro *rarum alias decus.* Sal. *Nec ante cladi*] Ita Pal. 3. Naz. autem et v. e. *nec alius*, unde Salm. *nec alias.* Verum impressorum lectio satis constat; si vero sollicitanda sit, ita forte legi posset: *nec alius cladi finis fuit, quam ut nox, &c.* Fr. Vetus Edit. non habet *alius*, ut scribit Salm. verum *ān* pro *ante;* et sic adnotarat ex ea Grut. in Edit. Commel. nam deinde certissimo errore idem scripsit, quod hic Salmasius. *Nec ante* Berol. Magl. et Duisb. *nec ante alius finis* Voss. 3. ceteri *nec alius.* Reg. F, Berol. Duisb. et v. e. *cladis: dirimeret* deest in Voss. 2. Hoc probat, et etiam ab alio Leidensi Ms. abesse testatur cl. Oudend. ad Lucan. IX. 232. De exitu hujus pugnæ varie traditum est. Vid. Plutarch. in Pyrrh. et Liv. Epit. XII.

Saucius, in armis suis referretur] Nescio an verum dicat Nazarianus, qui legit: *sine armis suis referretur.* Aliquid simile factum ex Plutarcho colligas, cujus, eamdem hanc pugnam describentis, hæc verba sunt: Ἄπαξ δὲ μέχρι δυσμῶν ἡλίου μαχεσαμένων μόλις ἀπαλλαγῆναι, τοῦ Πύῤῥου τρωθέντος

τὸν βραχίονα, καὶ τὴν ἀποσκευὴν ἅμα Σαυνιτῶν διαρπασάντων. Sed ἀποσκευὴ impedimenta et sarcinas significat, potius quam arma. Deinde, cui verisimile fiat, de magno duce ac tanto bellatore, armis eum exutum fuisse? Vera igitur sine dubio lectio: *humero saucius in armis referretur.* Hoc est, super armis suis, ut moris erat saucios plerumque e prælio referri. 'Arma' autem hic scutum proprie notant vel clypeum. Sic 'arma ancilia' scuta erant. Sic supra de Samnitibus, quos aureis et argenteis armis ornatos fuisse dicit, de scutis accipiendum. Nam Livius eamdem rem narrans, scuta habuisse perhibet auro et argento cælata. Notum porro illud ἀπόφθεγμα Lacænæ mulieris ad filium, cui arma tradebat in bellum ituro, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν, subaudiendum ἀσπίδα. Aut hanc referas salvus ad penates, aut super hanc saucius mortuusve referaris. Sed lectionem ne sollicitemus, quæ est in editis: nam proba et vera est. In altero etiam Pal. legi: *in castris suis referretur.* An pro *in castra sua referretur?* Sed uni stemus vulgatæ censeo. Nam et alter Pal. perperam: *inermis suis referretur.* Sal. In Naz. ultima litera e 'saucius' in capite sequentis vocis repetita, atque inde *sine* ortum esse videtur. De more saucios et occisos scutis clypeisve impositos ex acie efferendi Curt. VI. 1. Virg. Æn. X. 506. et 841. 'At Lausum socii exanimem super arma ferebant.' Bernart. ad Stat. VIII. Th. 732. et ad utrumque locum Virgilii Cerda. Dictum Lacænæ mulieris, de quo Salmasius, est ap. Plutarch. in Apophth. Lac. et Suid. ἢ τὰν et Λυκοῦργος. Sed pro ἐπὶ τὰν, quod apud hunc est, Kusterus legit ἐπὶ τᾶς, vel τᾷ. Utrumque rectius, et ἐπὶ τᾶς Plutarchus.

§. 11 *Lucaniæ*] Phil. Cluverius, Italiæ antiquæ lib. 4. erroris arcessit Auctorem, quod 'Lucaniæ' scripserit, cum 'Samnii' debuisset: verum ab hac nota facile tueatur eum Strabo, qui cum ex professo hoc agat, fatetur, gentium harum situm vix certis finibus distingui posse. *Fr.* 'Lucaniæ,' pro, in Lucania, ut Sall. Jug. XXXIII. 'Romæ Numidiæque facinora ejus memorat.' Virg. Æn. III. 162. 'Cretæ jussit considere Apollo,' et alia ap. Sanct. IV. Min. 9. in ellipsi v. *Urbs.* Nimis disjecta erit oratio, si ita ordines: sub Arusinis campis Lucaniæ.

Sub Arusinis, quos vocant, campis] Frustra sunt Viri docti, qui *Taurasinos campos* hic comminiscuntur. En testem locupletem Jul. Frontinum, qui Arusinos campos nominat, lib. IV. Stratagem. cap. 1. 'Romani deinde, victo eo [Pyrrhum intelligit] in Arusinis campis circa Statuentum, castris ejus potiti, et ordinatione notata, paulatim ad hanc usque metationem, quæ nunc effecta est, pervenerunt.' Pro *Statuentum*, vel *Fatuentum*, reponunt *Beneventum:* sed cum Noster Lucaniæ esse campos scribat, quomodo iidem potuerint esse circa Beneventum, non video. Stephanus nescio quam Beneventum in Campania ponit, quam scribi per δ perhibet Βενέβενδον, cujus ἐθνικὸν Βενεβενδεὺς, et aliud esse a Βενέβεντον. Ridicule. Nam, Βενεβεντὸς et Βενεβενδὸς plane idem. Ut Βρεντήσιον, et Βρενδήσιον, dupliciter scribebant, et in veteri Inscript. 'Badaus' pro 'Bataus,' aut 'Batavus:' καὶ ταῦτα μετὰ τοιαῦτα. *Subarri* mendosissime appellantur hi campi ap. Jord. in edd.; nec dubium, quin sit ex Auctore nostro emendandus, cum scripti habeant: *Subaros in his, quos vocant, campis.* Vel puer videat legendum esse: *sub Arosinis, quos vocant, campis.* 'Arosini,' et 'Arusini,' idem. Eamdem mendi indolem nobis exhibuerat optimus Codd. Naz. paulo superius, ad hunc modum: *cum tot populi portarent in his consurgerent*, pro *Tarentinis.* Sic, *de his*, pro *deis*, aut *diis.* Beneventum

autem Samnii fuit, non Lucaniæ. *Sal.* Cluverius tamen citato modo loco *Taurasinis* reponit in omnibus auctoribus, ad quem remissum te volo. *Fr.* Sed vid. quæ adv. Cluv. disputat Cellar. II. Geog. Ant. 9. 'Sub campis' pro, in campis, ut dicit Frontin. Sic 'Sub templis' Virg. Æn. I. 453. 'Sub Albunea' Æn. VII. 82. pro, in templis, in Albunea, Serv. Add. Gron. II. Obs. 15. Ov. Tr. I. 3. 19. 'Nata procul Libycis aberat diversa sub oris.' Flor. IV. 12. 10. 'Dalmatæ plerumque sub silvis agunt.'

Ducibus iisdem, qui superius] Rectius: *quibus superius.* Sal. *Qui superius*] Videntur hæ duæ voces a mala manu: certe supervacaneas res ipsa clamat. *Grut. Ducibus iisdem, qui superius*] Hæc non solum falsa sunt, et adversantur idoneis scriptoribus aliis, ut recte notavit puella elegantissimi ingenii Fabri filia, sed et suppositiitia sunt et ab homine imperito inserta, ingratiis Flori, qui illa, si sua posset recognoscere, deturbaret de loco, quem male invaserunt, et ejiceret, meo quidem judicio. *Græv.* Pyrrhum tum Manio Curio Duce victum esse certum est. Sed et aliis locis, et in hoc ipso capite non leviora sunt errata Flori: qui quum in duabus superioribus pugnis nominaverit Duces Romanos, hic videtur idem voluisse facere. *Quibus* quod malebat Salm. est in Jord. et Frec. pro quo Tollius conjecerat *quis.*

Sed tunc ad totam victoriam exitum] Piget aliquando istas λεπτολογίας persequi, nec immerito levem hanc opellam multi carpunt; sed quorundam voto satisfacimus, et nihil tam tenue est et sordidum in his literis, quod indignum labore nostro putare debeamus, modo bonum auctorem faciat meliorem. Quod etiam hæc minuta præstant. Ut hoc loco pro *ad totam victoriam* optimus Naz. liber cum altero pariter antiquissimo Jordaneo habet: *Sed tunc tota victoria.* Distinguendum igitur: *Sed tunc tota victoria. Exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit.* Stilum hæc omnino sapiunt brevem et argutum Flori. Sic enim supra loquutus est: 'Speculatus omnia refert. Tum iter.' Nihil verius. Nec dissimulavero tamen in altero Jord. scribi: *Sed tum totam victoriam.* Ex cujus scripturæ vestigiis legendum foret: *Sed tum in totam victoriam exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit.* Quomodo plane exhibet et Pal. 2. Sed verior antiqui Naz. lectio. *Salm. Sed tunc ad totam*] Ita Pal. 2. nam 3. *sed tunc in totam victoriam:* non placet: melius enim Pal. 1. *sed tunc tota victoria. Exitum quem, &c.* tunc, inquit, vicit Romanus, sed sine Marte ambiguo, sine cruore multo. *Grut.* Non video quid sibi velit *ad totam victoriam exitum casus dedit.* Nec hic quicquam subsidii est in Ryck. membranis, quæ non abeunt a vulgatis, nisi quod post 'sed' male inserant *et.* Salmasius legit ex Naz. et Jorn. *Sed tunc tota victoria. Exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit.* Forte *exitum* est interpretatio quæ margini fuit adscripta, qua lector aut magister significavit, hoc prælium dedisse exitum belli. Si hanc vocem deleveris, commode repones: *Sed tunc totam victoriam, quam datura virtus fuit, casus dedit.* Græv. Non solum Ryck. sed etiam alii scripti et V. E. habent vulgatum. Alii olim editi *et tunc tota victoria. Exitum.* Amst. *sed tunc tota victoria:* quod rectum esse puto. 'Via,' 'iter,' 'aditus ad victoriam,' proba sunt: Sed 'exitus ad victoriam' quam bene dicatur, non scio. Certe nusquam alibi inveni. Retinui tamen, quod erat in Freinsh. Græv. et aliorum Edd. propter consensum librorum. Plantiniana cont. omnes habet, *et tunc toti victoriæ exitum,* quod etiam in Voss. 2., sed *totius* pro *toti* est. Begerus conjecturam Grævii in contextum recepit. Malo ex-

emplo: etsi ea, meo quidem judicio, Grævio non indigna est. Tollius pro *totam* legebat *plenam*. Sine ratione. 'Tota victoria' est, plena, non dubia, quam mox 'sine controversia victoriam' dicit. Justin. v. 2. 'Ne aut victoriam totam daret, aut necessitatem deponendi belli imponeret.' *Et* a scriptore libri Ryck. forte additum est ad indicandam varietatem scripturæ. Nam pro *sed tunc* Regg. et plerique editi habent *et tunc*. *Quam datura v. f.* Fran.

§. 12 *Per stragem suorum percurrens*] Reponendum: *recurrens*. *Qui cum per stragem suorum recurrens*. Salm. Merito hæc suspecta sunt Viris doctis, qui correxerunt *recurrens*. Nemo enim Latine doctus 'per stragem percurrere' quid sit intelliget. Legendum autem puto *per stragem suorum procurrens*. Relictus erat pullus, qui in aciem quærens matrem per stragem suorum procurrit, multos obterens, et ordines turbans: paullo ante: 'Nisi elephanti, converso in spectaculum bello, procurrissent.' *Græv.* Etiam N. Heinsius in libro suo emendaverat *recurrens*. Nec tamen id in ullo scripto vel edito inveni. Nam Naz. Pall. Regg. Flor. Ber. Fran. Voss. Duisb. et om. ed. habent *percurrens*, Ryck. *p'currens*, i. e. *præcurrens*, Magl. *procurrens*. V. E. omittit *per* ante 'stragem.' Retinui quod erat in plerisque libris. Nec ausim damnare *percurrere per stragem*, ut minus Latine dictum. Nam sic Cic. III. Verr. 42. 'Per omnes civitates, quæ decumas debent, percurrit oratio mea.' Et cur minus ita liceat dicere, quam quod Liv. XXXVIII. 41. et Cæs. VI. B. G. 40. dicunt, 'Per medios hostes perrumpere,' et rursus Cæs. IV. B. G. 33. 'Per omnes partes perequitare,' et VII. 66. 'Per hostium agmen perequitare'? Tollius Fortuit. c. XXVI. itidem probat *recurrens*, et sequentia sic emendat, *stridore quæreret matrem, agnovit ea, et quo se vindicaret, exiluit*. Non quærebat matrem pullus, sed vulnere accepto ab ea fugiebat, et per suos recurrens stragem eorum faciebat, ac dolorem e vulnere stridore significabat: quod *stridore queri* dicit Florus. Nam 'queri' et 'querelæ' de vocibus omnium animalium dicuntur. Porphyr. ad Horat. II. Epod. 26.

Et quasi vindicatura exiluit] Ita maluerunt correctores. Nam hanc lectionem ab illis esse, possit fidem facere vetus editio, quæ, ut eruditissimorum virorum testimonio scimus, habet, *vindicaret*. Scripti omnes cum ea faciunt, quos vidimus. Hanc tu, sine ullo correctorum odio, restituas licet: *mater agnovit, et, quasi vindicaret, exiluit*. Cujus argutiam non percepere. Jord. libri: *et, quasi vindicare, exiluit*. *Vindicare* male scriptum pro *vindicaret*.. In edd. Jord. operam suam cessare non passi sunt iidem optimi correctores, et pro illis, *et quasi vindicare exiluit*, substituerunt, *seque quasi vindicare vellet*. Homines egregios, qui tam εὐστόχως καὶ εὐτυχῶς indunt! *Salm.* *Vindicaret*] Ita et Pall. tres et v. e. recentiores, *vindicatura*: non male, si quoque firmaret scriptorum codicum auctoritas. *Grut.* Scriptura librorum Salm. et Gruteri ac v. e. etiam in aliis scriptis, et ed. J. est. *Vindicaret* est, vindicare vellet, ut supr. 10. 1. 'Porsena Tarquinios manu reducebat,' et infr. II. 18. 12. 'Ut destinata morte in prælium ruerent.' Multa hujusmodi in optimis scriptoribus reperiuntur. Suet. Cæs. XXIX. 'Cum adversariis autem pepigit.' Id. Oth. IX. 'Ne victis quidem adeo adflictis, ut non in ultionem ignominiæ quidvis discriminis ultro, et vel solæ subirent.' Liv. XXXVII. 53. 'Filiam suam in matrimonium mihi dabat, restituebat extemplo civitates, quæ defecerant a nobis.' Et XL. 58. 'Quali tempestate Gallos spoliantes Delphos fama est peremtos esse.' Vid. Passerat.

ad Propert. I. 4. 2. Casaub. ad Suet. Cæs. XXIX. Gron. ad Liv. XXXIV. 1. XXXVII. 17. et ad Liv. Epit. XLIX. cl. Nood. II. Probab. 6. 3. et III. 11. Scheff. l. d. conjicit, *quo sibi vindicaret*, i. e. pullum suum ex imminente periculo, quod ex stridore cognoverat, liberaret, sibique redderet tutum. Mihi pleræque conjecturæ viri doctissimi in Floro ejusmodi esse videntur, ut non necesse sit iis refellendis immorari. Satis erit eas verbo retulisse, et aliorum judicio reliquisse.

Gravi timore permiscuit] Occupavit hunc locum menda plane similis illi, quæ alium locum lib. II. cap. 11. contaminarat: 'Ut quatenus nec more jungi, nec pontibus posset:' *more* pro *mole*. Hic quoque Nazarianus: *gravi more*, pro *gravi mole*. Cave aliter legi debere censeas, et confirmat Jord. *Salm.* Editio princeps, *gravi mole*, quomodo item Pal. 2. ac 3. sed non etiam 1. in quo, *tum omnia circa quasi host. circa more permisc.* sic inquam Naz. exemplar. nisi quod statim eadem manu prius illud *circa*, mutatum iverit in *circum*. Illud *mole* ineptum est: haud tamen me expedio ex Naz. nisi si forte restituendum, *cæca amore, permiscuit:* quod lepidum fuerit: proximos enim hominibus sapientia elephantos, omnibus obvium est: itaque si homines excæcat amor, quid mirum si belluam alioquin prudentissimam. Hæc Gruterus, acute et fortean vere: posset tamen etiam non absurde ita legi, *cæco timore*. Fr. Naz. *gravi more*, unde recte Salm. *gravi mole:* et sic clare Regius codex: scilicet sui corporis. Proprie 'moles' dicitur de elephantis. Vide notas ad lib. II. cap. 6. *Græv.* *Mole* etiam alii om. sc. excepto Voss. 3. in quo vulgatum *timore* est. Sen. de Brevit. vit. c. XIII. de elephantis: 'Ingenti mole animalium exterantur.' Hoc consentientibus tot scriptis post Amst. et Begerum recipere potui. Scheff. legit *gravi motu*. 'Omnia circa,' ut ap. Liv. IX. 23. 'Circa omnia defecerunt:' XXIV. 3. 'Templum sanctum omnibus circa populis,' et eod. lib. c. 41. 'Cum expeditis clam profectus ad loca circa visenda.' Plura Gron. ad Liv. IX. 2. Græv. ad Flor. III. 19. 12. et IV. 12. 60.

§. 13 *At sic*] Similes eventus in historiis passim (vide Polyb. in Excerpt. Vales. pag. 78.) ex quibus Hirtius de African. cap. 27. hanc extruxit regulam: 'Elephanti, multorum annorum doctrina usuque vetusto vix edocti, tamen communi periculo in aciem producuntur.' Alexander quin etiam, ap. Curt. 9. 2. 21. 'Plus suis,' ait, 'quam hostibus periculi inferre.' Quod multo magis necesse fuit fieri, cum alias feras quæ nunquam bona fide mansuescunt, leones, apros, &c. in aciem producerent, de qua re Lucret. Rer. Natural. lib. 5. et exemplum extat in Plutarch. Bruto cap. 13. *Fr.* Add. Bochart. Hieroz. I. 2. 25. Freinsh. ad Curt. VIII. 14. 15. et Rupert. ad h. l.

Sine controversia] Freinsh. in Ind. incruentam, impulveream. Rectius Perizon. ad oram exemplaris sui, haud dubiam. Cic. III. de Off. 2. 'Panætius, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit.' Et I. de Orator. 55. 'Etenim sine controversia et magna est [ars] et late patet.'

§. 14 *Intra urbem*] A Reg. Q abest *domi*. Majorem speciem glossæ possunt habere verbo *intra urbem:* nam Florus fere semper dicit 'domi' pro, in urbe, sine alio additamento, ut I, 7, 4. I, 11, 1. I, 26, 9. et mox hoc cap. n. 16. Sed usitatissimum ei est conjungere duo idem significantia: vid. Ind. v. *Statim*. Sic I. 11. 5. I. 12. 9. II. 12. 1. et alibi.

Post primam victoriam] Ideoque dixit, 'alteri sibi pari victoria haud esse opus:' nimirum optumum quemque e suo exercitu occubuisse cernebat. Hoc ipsum etiam Annibal, cæ-

sis ad Cannas Romanis, usurpasse fertur, ap. Appian. de Bel. Annib. p. 228. Ludovicus XII. Histoire de France. 'Cadmea victoria' vocatur hæc a Diodoro, 22, 4. *Fr.*

Desperavit armis] Eadem constructione Cic. ad Att. 5, 18. 'Speramus manu.' *Id.* Sed potest etiam esse casus tertius. Cic. pro Cluent. XXV. 'Saluti desperare vetuit.' Et sic Idem alibi, et Cæsar quibusdam locis, quæ leguntur in Lexicis.

Seque ad dolos contulit] Nempe; 'Ubi non sufficit leonina pellis; adsuenda est vulpina.' Plutarch. in Lacon. cap. 94. *Fr.*

§. 15 *Cremavit*] Ad captandam gratiam Romanorum: quamquam hostes etiam interdum id faciebant per humanitatem. Kirchm. de Funer. Append. c. III. et seqq.

Captivosque] Sicut prius Alexander (cujus dicta factaque æmulus hic erat) Scythis hostibus 'captivos omnes sine pretio remiserat, ut fidem faceret, sibi cum ferocissimis gentium de fortitudine, non de ira, fuisse certamen:' auctor Curt. 7. 9, 18. Sic Sultanus Liparitem, ap. Zonar. in Constantino Monomacho. Astutus ille Annibal socios tantum Romanos dimisit, sed alio fine. *Fr.* Pro his Romani ei parem numerum de Samnitibus et Tarentinis captorum reddiderunt, Plutarch. in Pyrrh. suos receptos ignominia notaverunt, Val. M. II. 7, 15. Frontin. IV. 1, 17. et Eutrop. II. 7. Severissimam sententiam ab App. Claudio Cæco in eos dictam scribit Ulpian. l. 1. §. 5. D. de postul.

Missisque deinde legatis] Hujus legationis præter ceteros meminerunt Plin. 7. 24. Solin. cap. 7. Cic. Tusc. Q. 1. *Cam.* Naz. Cod. *dein.* Idem paullo post duabus vocibus auctior est, quam editus: *omni modo annisus est, ut facto fœdere in amicitiam reciperetur.* Quæ supervacaneæ et otiosæ non sunt. Has, ne quis non genuinas putet, retinet Jord. et reliqui libri asserunt. *Salm.*

Annixus est, ut in amicitiam reciperetur] Sic omnino Pal. 2. nam 1. *adnisus est, ut facto fœdere in amic. r. &c.* quod genuinum videri posset, nisi et alia adnecteret Pal. 3. in quo, *amissus est, ut facto fœdere in amic. populi Rom. recip.* Grut. Et hic audiri debuit Salm. qui monuit ex Naz. Jorn. et veteribus reponendum esse: *adnisus est, ut facto fœdere in amicitiam reciperetur.* Iisdem litteris exarata est hæc περικοπή in Ryck. Paullo post idem: *se approbavit* cum Pall. *Græv. Facto fœdere* addunt Florent. Voss. 3. et Ald. Freculphus, *facto fœdere, quamvis vinceret, in amicitiam recipi voluit. Annixus* Pal. 2. Flor. Magl. et Voss. 3. In Epit. Liv. XIII. scriptum est, Pyrrhum post primum prælium legato ad Senatum misso petiisse, ut componendæ pacis causa in Urbem reciperetur. Et sic Pompon. l. 2. §. 36. de O. J. Alii hoc non memorant, Regemque nihil aliud, quam amicitiam et fœdus per legatos petiisse scribunt.

§. 16 *Foris et domi*] Sic cap. ult. hujus libri. Ap. alios frequentius 'belli domique.' Vid. N. Heins. ad Ov. XII. Met. 185.

Omnem in partem] Omnibus rebus, omni genere. Cic. pro Sext. c. IX. 'Alter multos plane in omnes partes fefellit.' Et III. de Off. 6. 'Ab homine ad nullam partem utili.' Manut. ad Cic. IV. Ep. Fam. 10.

Romana virtus tum se probavit] *Se adprobavit*, N. *Salm.* Melius hoc, quam vulgatum hactenus, *probavit:* eratque alterum in tribus Pall. *Grut.* Et in aliis om. sc. exceptis Fran. et Voss. 3. et v. e. Quid sit 'adprobare se,' vel 'aliud quid alicui,' docent Interp. Phædri ad IV. f. 24. Sed idem etiam recte 'probare' dicitur. Vid. Fabric. ad Cic. pro Ligar. I. et Hotom. ad eumd. pro Rabir. Post. XV. Mox omnes scripti præter Florent. et

Voss. 3. omnesque Edd. præter Ald. *nec alias magis.* An hoc suspicabimur corruptum esse pro *alia res?* an potius aliquid in seqq. vitiatum, et pro *Populi Romani* legendum *Populus Romanus*, pro *Ducum, Duces?* Mihi quidem non de nihilo videtur, quod libri ita consentiunt in vocem *alias.* Et solet ita loqui Florus supr. c. 13. 8. 'Tum igitur, aut nunquam alias apparuit vera illa Romana virtus.' Et III. 22. 3. 'Nec alias magis apparuit Hispani militis vigor, quam Romano duce.'

§. 17 *Quinam illi fuerunt*] Ex conjectura emendo: *qui enim illi fuerunt?* Quod sequentia ostendunt: 'Qui autem ille senatus fuit?' et, 'Qui porro ipsi duces vel in castris.' Quæ quam recte cohæreant, et sibi invicem respondeant, vides. *Quinam* surrepsit pro *qui enim*, ex consuetudine scribendi, *qui n.* quod est, *qui enim.* Salm.

Omnium vulnera in pectore] Quæ 'honesta' sunt 'vulnera.' Vide Tac. H. 3. 84, 7. Ov. F. 2. 211. Cf. cum his, quæ notant Grut. ad Ammian. 31. 36. et Bernecc. ad Justin. 9. 3, 10. Non absimile est illud Sidonii, Carm. 5. vs. 252. 'Mors obruit illos, Non timor, invicti perstant, animoque supersunt Jam prope post animam.' *Freinsh.* Add. Muret. ad Tac. 1. A. 49.

Relictæ in vultibus minæ] Sil. 13. 732. 'Cui frons nec morte remissa Irarum servat rabiem.' *Fr.* Vid. in Ind. v. Ira.

§. 18 *O quam facile*] Lege: *quam facile*, et dele τὸ *O*, auctoribus libris melioribus. *Salm.* *O quam facile*] Sic nullo apice minus Pall. tres: omnes, inquam, agnoscunt primam literam *O.* vet edit. addebat a fine: *mihi cum Romanis*, sed non addicunt ei Mss. nostri, neque opus erat tali voce. *Grut.* *O quam facile erat orbis imperium, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis*] Non abludit ab hoc dicto, quod Demades Rhetor ad Cheroneam captus Philippo inter pocula jactanti, et quærenti, ubi nunc est nobilitas Atheniensium, respondit; cognosceres, inquit, Rex, si Philippus Atheniensibus, Chares autem Macedonibus imperaret. *Græv.* *O* est in om. sc. et ed. Salm. in exemplari suo scripserat *O* deesse in Naz. Contra Gruterus. *Aut mihi cum Romanis militibus* etiam Berol. ap. Beger. Duisb. et v. e.

Me Rege Romanis] Camers addit *dato*, sed rejecit Vinet. nec sane ullus ejus usus est. *Fr.* Vid. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. 28.

§. 19 *Quæ autem eorum*] Frequentia talis constantiæ exempla, etiam Annibali confessionem hanc extorserunt, ut diceret: 'Cum eo nimirum hoste res est, qui nec bonam nec malam fortunam ferre potest: seu vicit, ferociter instat victis; seu victus est, instaurat cum victoribus certamen:' Livius, 27. 16. Et iterum in Oratione ad Antiochum, ap. Justin. 31. 6, 5. 'Cum Romano, seu occupaveris prior aliqua, seu viceris, tum etiam cum victo et jacente luctandum.' Simile Pontii testimonium ap. Liv. 9. 3, 13. 'Ea est gens Romana, quæ vieta quiescere nesciat,' &c. Adde Horat. 4. Od. 4. *Fr.*

Quum Pyrrhus, video me, inquit] Lectionem non damnamus, et quis merito damnaret? sed cum in Naz. legerim, *Cum Pyrrhus idem omne inquit*, optime emendo, et verissime: *Cum Pyrrhus idem, O me, inquit, plane Herculis sidere procreatum.* Ideo dixit, *Cum Pyrrhus idem*, quod tribus lineis ante scripserat, 'Quod adeo Pyrrhus miratus est.' Recte hic ergo: *Cum Pyrrhus idem.* Salm. Et probat Gruterus. *Fr.*

Herculis sidere] De quarta Luna singulare hoc legitur, quod, ex Genethliacorum doctrina et præceptis, illa nati laboriosam acturi sint vitam, quemadmodum de Hercule prodit

Eustathius. Tales apud Suidam τετραδισταὶ vocantur, qui quarta Luna editi, laboribus periculisque adsiduis, ut alteri Hercules, involvuntur. 'Herculis sidus' apud Florum, nihil aliud quam quarta Luna. Adagium, ἐν τετράδι γεγενῆσθαι, ab aliis explicatur. Hæc excellentissimus compluribus disciplinis Paulus Merula, Cosmogr. 1. 22, 7. Adde Erasmum, Adag. 1. 1, 74. et Gilbertum Cognatum, adagio 49. Alio sensu est 'sidus Herculis' ap. Plin. 2. 8. et Apuleium de Mundo. *Fr.*

§. 20 *Quis autem*] *Qui autem.* Ita Naz. *Salm.* *Qui autem*] Sic Pall. tres. editi *quis* adjecta litera. *Grut.* *Qui* est in om. sc. præter Voss. 1. et ed. Videtur mutatum ab iis, qui putabant *qui* non convenire interrogationi. Cic. II. Phil. 13. 'Qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus?' Catul. Carm. LXIII. vs. 19. 'Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis?' Vid. Charis. I. Inst. Gramm. p. 70. Similiter extra interrogationem. Cic. IV. Ep. Fam. 2. 'Perspicis, qui cursus rerum, qui exitus futurus sit:' et Catul. XVII. 22. Et *si qui:* Cic. III. Ep. 8. 'Quod si qui me astutiorem fingit.' Item *nisi qui.* Idem XVI. Ep. 12. 'Nisi qui Deus, vel casus aliquis subvenerit.' Et 'aliqui' pro, aliquis. Id. VII. Ep. 1. Et Cœlius ad Cic. VIII. Ep. 7. Adi de his Pier. ad Virg. III. Æn. 608. Fabric. ad Cic. III. de Off. 4. Gifan. Ind. Lucret. in *qui*, et Gron. ad Liv. XXIV. 15. Vid. supr. c. 13. §. 14.

Quum, perorante Appio Cæco] Ad hæc et seqq. imprimis faciunt, quæ notant Bongarsius et Berneccer. ad Justin. lib. 18. cap. 2. Sententiæ Claudii non absimilis est, quam de Cleomene recenset Plutarch. Apophth. Lac. 76. *Fr.*

Pulsi cum muneribus] Pro repulsis, aut non receptis per elationem, aut certe amplificationem dixisse videtur. *Stad.* Plutarch. in Pyrrh. Ἔλαβεν οὐδείς. Val. M. IV. 3. 14. 'Nulla cuiquam dono janua patuit.' Justin. XVIII. 2. 'Cineas neminem, cujus domus muneribus pateret, invenit.' Liv. quoque XXXIV. 4. et Varro ap. Non. ibi a Sigon. laudatus, nihil aliud, quam simpliciter, neminem munera voluisse accipere, dicunt. An alii similem sententiam hujusmodi verbis, quibus hic utitur Florus, expresserint, non scio.

Quid] Al. ni fallor, *qui;* quod rectum est, pro, quomodo. *Fr.* Quod Freinsh. rectum esse dicit, id nusquam inveni. Multo usitatius est, 'quid de hac re sentis?' quam 'qui?'

Urbem templum] Varie referunt Veteres, Plutarch. in Pyrrh. Justin. XVIII. 2. Eutrop. II. 7. et Amm. Mar. XVI. 10. Solus, ni fallor, Florus legatos dixisse 'Urbem templum' sibi visam. Cur autem 'templum' vocat Urbem? An, ut Cassiod. IV. Var. 6. 'Roma virtutum omnium latissimum templum?' An, quod magis puto, ob multitudinem templorum, et eximium cultum Deorum? Sic supr. 13. 18. Urbem destinatam 'domicilio Deorum' dicit. Et Amm. M. XVII. 4. ob eamdem causam *templum mundi totius* vocat: 'Nihil,' inquit, 'committere in religione, recte existimans, si ablatum uno templo miraculum Romæ sacraret, id est, in templo mundi totius.' Vid. Barth. ad Claud. Cons. Olyb. et Prob. vs. 130. et de Bel. Get. vs. 507.

Senatum regum esse confiterentur] Suspicionem meam non frustra cecidisse gaudeo, qua semper suspicatus sum, aliquid huic loco deesse. Cum enim hoc legatorum responsum ita Plutarchus expresserit, ὡς ἡ σύγκλητος αὐτῶν βασιλέων πολλῶν συνέδριον, vere mihi persuadebam desiderari hic vocem aliquam ἰσόῤῥοπον illi συνέδριον. Nec secus fuit. Nam in Naz. exemplari fidelissimo lego: *Senatum regnum Deum esse.* Unde statim faciebam: *Senatum regum sedem esse.* Nec

aliter ferme Livius; quamvis pars ejus historiæ, qua gesta Pyrrhi cum Romanis descripsit, vulgo deperdita sit. Libro tamen IX. ad illud dictum legatorum Pyrrhi alludens, ita scribit: 'Ne singulos nominem, Senatus ille, quem qui ex regibus constare dixit, unus veram speciem Romani senatus cepit.' Qui senatum igitur Romanum, regum esse consessum dixit, ex regibus eum constare intellexit. Ita enim Plutarchus expressit, βασιλέων εἶναι συνέδριον. Floro senatus *regum sedes* dicitur, si scripturam Naz. emendamus, quæ diserte et clare exhibet: *Senatum regnum Deum esse.* Quod cur sollicitemus, fortasse causæ non est. Aliud certe sequutus videtur noster Annæus. Cum enim, hoc dictum referens, urbem templum visam esse legatis memoret, nihil minus de senatu pronuntiare debuit, quam ejusdem templi veluti deos esse. Dixerit ergo, urbem Romæ templum esse, *senatum regnum Deum.* Senatores nempe quasi Deos in illo templo regnare. Sic Galli, cum urbem intrarunt a se captam, senatores in curulibus sedentes, quasi genios quosdam venerati sunt. *Salm. Senatum Regum consessum*] Laudat responsum hoc Liv. 9. 17, 12. pro *consessum, concilium* legendum suspicatur Stad. Sed ex Mss. Jureti nostram lectionem esse testatur Gruterus. Felippe del Consejo 16. 4. ridicule locum hunc exponit de coronis triumphalium. *Fr.* Naz. *Senatum regnum Deum esse.* Unde N. Heinsius colligit Florum scripsisse *Senatum regum ideam esse. S i* enim frequenter omitti in illo codice, et *a* in *u* degenerare passim, testari ipsum Salmasium. Liv. lib. IX. 17. 'veram speciem' dixerit; hoc Florum Græco vocabulo usum dixisse *regum ideam.* Sed hic ego cum Grut. ex Jureti libris recepi *regum consessum esse:* quod et confirmat Regius, in quo *consessum* scribitur. Sed Gudianus *regnum esse confitetur.* Græv. Magna est hoc loco varietas librorum. Pal. 1. ap. Grut. *Senatum regnum esse confessum.* Ryck. Reg. Q, Berol. Duisb. et Ald. *Senatum Regum esse.* Reg. F, Voss. Fran. (sed hic omisso *esse*) et V. E. cum aliis quatuor olim impressis *Senatum regnum esse.* Magl. *Senatum regnum esse consessum.* Flor. *Senatum Regum consessum esse,* plane ut Regius Grævii, et alii, quos se vidisse testatur Juretus ad Symm. I. Ep. 46. Et hoc cum Grut. Freinsh. et Grævio sequendum putavi, quod etiam omnino convenit cum Plutarchi verbis Græcis. Nec tamen pro certo adfirmare velim ita scripsisse Florum. Varietas scripturæ satis indicat hic aliquid corruptum esse. Et propemodum mihi persuadeo, ignotius atque insolentius aliquod verbum, quam est *consessum,* in quo non facile videntur potuisse aberrare librarii, scriptum fuisse, quod, quum non intelligerent, præterierint. De magnificis adpellationibus ac titulis Senatus Romani multa Juret. l. d. Plutarch. in Romul. p. 44. senatores etiam sua ætate ab exteris ἄνδρας ἡγεμόνας vocatos scribit, ubi pro τοὺς ἐν συγκλήτῳ τελοῦντας non pejus legatur εἰς σύγκλητον.

§. 21 *Quum medicum*] Placet vetus lectio: *quod medicum.* Mox lege: *venale caput regis offerentem,* non *afferentem.* Salm. Pall. om. et v. e. *quod,* et probat Salm. *Fr.* Sic etiam Regg. et Voss. 1. 3. Retinui *quum.* Nam nulla est ratio, cur hic aliter loqui voluerit Florus, ac paullo ante, 'Quum perorante Appio,' et mox, 'Quum Curius,' ut bene Begerus. Et sic habent alii libri.

Medicum] Hanc historiam præter ceteros lege ap. Val. M. 6. 5, 1. et latius ap. Agell. 3. 8. Dictus autem est medicus hic Timochares. Multa Cic. Off. 3. 22. *Cum.* Niciam vocat Quadrigarius ap. Gell. l. d. Vid. Interpp. Æliani ad XII. V. H. 33.

Offerentem] Sic edidit ex Pal. 2. et Gruterus. Alibi est *afferentem,* inepte.

Fr. *Offerentem* etiam Flor. Regg. et Ald. alii *afferentem.* Illud prætuli, quod etiam Heins. probabat. Justin. xxv. 1. 'Qui pacem ei venalem offerrent.'

Curius remisit] De re non ambigitur, circumstantiæ variant: ab utroque Cos. remissum cl. Quadrigarius ap. Agell. 3. 8. auctor est: a toto senatu Valerius Antias, quem alter Valerius sequitur. Alii Fabricio tribuunt: Cic. cit. l. Plutarch. in Apophth. ejus: Frontin. 4. 4, 2. Claud. de Bel. Gild. vs. 270. Livius, 39. 51, 11. indistincte, 'horum patres Pyrrho regi, hosti armato, exercitum in Italia habenti, ut a veneno caveret, prædixerunt.' Æmulatus autem est factum hoc Tiberius Cæsar, referente Tac. 2. A. 88. 3. Vide Piccarti Obs. Historicopoliticas, Dec. 10. cap. 2. adde infra, 2. 17, 17. *Fr.*

§. 22 *Fictilia sua*] Hanc historiam scribunt passim omnes. Lege Val. M. 4. 3, 5. Agell. 1. 44. Plin. 33. 12. Augustin. Civ. 5. 18. Plura in annotationibus Claudiani, ex Juv. Virg. ceteris. *Cam.* Samniticum aurum a Curio contemptum fuisse, Ciceronis quoque Cato adfirmat, et Scriptor de Vir. Ill. maximaque pars scriptorum. Alii eam continentiæ laudem Fabricio adscribunt: sed iterum in eo dissident, quod nonnulli munera Pyrrhi regis a Fabricio contempta fuisse, alii Samnitium liberalitatem a Curio non fuisse receptam referunt. *Fr.*

Rufinum] Historia habetur Epit. Liv. 14. Val. M. 2. 9, 4. Agell. 4. 8. Dicit autem idem Agell. cap. ult. lib. 17. hunc Rufinum fuisse bis consulem, atque antea dictatorem. *Cam.* Ab hoc Rufino ortum Syllæ deducit Plutarch. princ. vitæ. Cujus avaritiam idem Fabricius eleganti dicto taxavit, ap. Cic. de Orat. 2. 66. et Agell. 4. 8. fin. Loquitur de hac censoria nota etiam Ov. F. 1. 208. 'Et levis argenti lamina crimen erat.' Itemque Sen. de Vita Beata cap. 21. 'Sæculum illud, in quo censorium crimen erant paucæ argenti lamellæ:' scripsi autem *erant* pro *erat*, ob rationem, quam promo ad 4. 23, 88. Sic Plin. 18. 6. 'Qui triumphali denas argenti libras in supellectile crimini dabant:' et 33. 11. 'Propter quinque pondo notatum a Censoribus triumphalem senem,' ubi fortassis pro *V.* scribendum sit *X.* Cæterum in cit. Agell. l. vulgo legitur 'quod decem pondo argenti factitaret,' cum legendum sit *facti haberet.* *Facti*, inquam, hoc est, elaborati et in vasa conversi, quale infecto opponitur l. 19. de aur. argent. &c. hoc est, rudi materiæ, l. 87. §. 4. de leg. 3. Alia censoriæ gravitatis exempla lege ap. Plin. 18. 3. et 6. Agell. 4. 20. Liv. 41. 27, 2. Velleium 1. 10, 6. et 2. 10, 1. *Fr.* 'Argentum' pro argento facto sæpe dicunt Jcti et alii. Vid. Salm. Obs. ad Jus Attic. et Rom. c. XXIII. Val. M. II. 9, 4. 'Decem pondo vasa argentea' dicit. Salm. l. d. ibi pro vulgato, 'quod decem pondo vasa argentea comparasset,' jubet legi, *quod ultra decem pondo v. a. c.* Rejicit ejus emendationem Gron. I. de Pecun. Vet. 7. Idemque ad Gell. IV. 1. receptam lectionem Senecæ tuetur cont. Freinsh.: sed ejusdem emendationem loci Gelliani IV. 8. probat. De partic. 'circa' vid. ad cap. 10. n. 5.

§. 23 *Virtute, militia*] Hic sine dubio corrigendum: *Quis ergo miretur his moribus, virtute militum, victorem populum Romanum fuisse?* Ex omnibus libris. *Salm.* V. c. *virtute militum;* sicut et Pal. 3. Quam lectionem restitutam vult Salmasius: Pal. 2. a vulgata stat. Mihi duæ voces istæ glossam sapiunt, et explicationem verborum *his moribus.* Fr. *Virtute militum*] Sic etiam Ryck. subaudiend. autem *hac: his* moribus civium ab omni luxu abhorrentium, et *hac* virtute militum. Gravis error librariorum culpa in contextum hic irrepsit, qui, ut vides, est emendandus. N. Heinsius existimat *hac* reponendum esse, scriben-

dumque *his moribus, hac virtute militum.* Græv. *Militum* etiam Berol. Duisb. Voss. 3. et om. ed. *his moribus militia* Fran. Conjectura Tollii Fortuit. VII. *his moribus ducum, hac virtute militum,* nullius libri auctoritate confirmatur.

Intra quadriennium] Sexennium fuisse adnotat Stadius. Verum est, inter adventum Pyrrhi in Italiam et reditum in Græciam sexennium interfuisse. Sed Florus videtur tantum rationem habere illius temporis, quo Pyrrhus in Italia fuit, et bellum adversus Romanos gessit, qui quatuor anni sunt. Et sic rursus inf. III. 5, 2. Nam circiter biennium in Sicilia egit a Siculis adversus Pœnos evocatus. Bellum Romanorum cum Tarentinis in decimum annum tractum est. Sed Tarentinos aliosque eorum socios in nullo numero habet Florus, ac solum Pyrrhum memorat, qui hoc bello præcipue gravis et timendus Romanis hostis fuit. Quo anno U. C. Pyrrhus in Italiam venerit, rursusque ex ea excesserit, disquirit Dodwell. de Cycl. Diss. x. §. 60. et seqq.

In ditionem redegisse] Alii partim *deditionem,* partim *dedicationem:* nostra lectio restat in Naz. 2. in Pal. 2. ac 3. *Grut.* Consentiunt cum Pal. 2. ac 3. Ryck. Magl. Duisb. Fran. et om. ed. Etiam in aliis Scriptoribus obvius est error *deditio* scribentium pro *ditio.* Vid. Gron. ad Liv. XXVI. 21. et 43. XXIX. 38. et XXX. 7.

§. 24 *Aut*] Melius, mea sententia, *At.* Fr.

Principia belli] Sic ap. Tac. 2. 3, 1. Artabanus 'primo congressu fusus, reparat vires, regnoque potitur.' *Id.*

Totam trementem Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus] Si totam Campaniam populatus erat, ergo et Fregellas, et Lirim absque dubio. Satis itaque dictum esset: *totam Campaniam populatus.* Sed omnino legend. *Victor primo prælio Pyrrhus, tota tremente Campania, Lirim Fregellasque populatus.* Salm. Sic Naz. melius quam ut editi, *totam trementem Campaniam.* Grut. Ryck. *Tota tremente Italia Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus.* Tota Italia tremebat, cum Campaniam, et in illa Lirim et Fregellas, popularetur Pyrrhus, verita ne illico progrederetur et reliquas Italiæ regiones eodem impetu diriperet et vastaret. Non frustra *Campaniam* legitur in omnibus vett. libris. Cum *Italia* scriptorum vitio fuisset amissum, *tota* quoque et *tremente,* ut sensum quendam efficerent, in *totam* et *trementem* fuerunt mutata: sic enim edd. vetustiores: *totam trementem Campaniam,* quod et Naz. præ se fert, et Gud. 3. Sed primus *totam trementem Italiam, Campaniam.* Nullus dubito veram esse lectionem Ryck. libri, quam et ex conjectura viderat Salm. Paullo inferius legend. ex Ryck. et Naz. *et tanta de opulentissimis tot gentibus spolia:* ut monuerunt jam alii: vulgo male: *sed tanta adeo de opulentissimis tot gentibus spolia.* Quid hic quod agat habet τὸ *adeo?* Exgungatur volentibus Musis, et Musarum operis libris vetustis. *Græv.* Quæ hic Viri docti de scriptura libri Naz. dicunt, parum inter se conveniunt. Nam Salm. in libro suo scripserat, *tota tremente Campania.* Ita Naz. Cod. Et melius: neque aliter legendum est. *Totam trementem Campaniam* est in Pall. Regg. Flor. Magl. Duisb. Voss. et v. e. *totam trementem Italiam Campaniam* in Fran. *tota tremente Campania* Berol. Sed sequutus sum lectionem Ryck. etiam Perizonio probatam, et ab Amst. ac Beger. receptam. Et sic in exemplari Plant. in quo, ut et aliis olim excusis, et Camertis Edd. est, *totam trementem Italiam, Campaniam, Lirim,* emendaverat Auditor Lipsii, haud dubie e magni illius Viri sententia. Nec verosimile est vocem *Italiam* temere ab aliquo sine ulla auctoritate librorum scriptorum huc intrusam. 'Lirim'

Freinsh. in Ind. pro urbe accipit, quam et Mela II. 4. fin. in Campania memorat. Potest etiam accipi pro regione circa Lirim fluvium: ut infr. II. 16, 3. 'Toto cecidit Alpheo:' III. 4, 5. 'Minucius toto vastavit Hebrò,' et IV. 12, 9. 'Cæsi sunt in utrisque fluminibus.' Sic 'Sinus Ænianus,' 'Maliacus,' pro terris circa Pontum. Vid. Gron. ad Liv. XXVIII. 5. et XXXVII. 6. Perizon. ad Ælian. II. Var. Hist. 25.

A vicesimo lapide] Numerus rotundus. In Itinerario Antonini spatium inter Romam et Præneste definitur 26. M. passuum, i. e. 26. lapidibus. Strabo lib. V. p. 238. Præneste 200. stadiis a Roma abesse scribit, quæ sunt 25. miliaria. Sed Eutrop. II. 7. de Pyrrho: 'Ad Præneste venit, miliario ab Urbe octavo decimo.' 'Arcem Prænestinam' dicit, opinor, pro montibus Prænestinis, ut sæpe alii, in primis Poëtæ, 'arces' pro jugis montium, et collibus. Nam Præneste a Pyrrho captum fuisse nusquam proditum invenio.

§. 25 *Bis exuto castris*] Secundo et tertio prælio. Sed auget more suo rem in majus. Nam hoc de secundo prælio nemo, quod sciam, prodidit.

Et tanta adeo] Omnes scripti cum prisca editione, quam in consilium adhibuit Gruterus noster, legunt: *et tanta de opulentissimis tot gentibus spolia.* Absque illa dictione, *adeo.* Quam per me tollas licet. *Salm. Sed tanta de op.*] Sic iterum plane Naz. codex. *Grut.* Malim tamen cum aliis, *et tanta.* Fr. Salm. in marg. libri sui scripserat, quidam *sed tanta.* Ita est in Naz. teste Grut. et in Regg. Ceteri sc. et ed. om. *et tanta.* *Adeo* quoque abest a Naz. et Pall., si Grutero credimus; nam Salm. in exemplari suo adnotarat, *adeo* abesse a vet. Naz. et vet. Pal. 1. unde intelligitur in Pal. 2. fuisse. Sed neque ulli alii scripti, neque v. e. id agnoscunt, et delendum esse in margine adnotaverat N. Heinsius. Sed habent illud aliæ omnes antiquæ, item Camertis, Vin. et Plant. Edd. Non possum mihi persuadere Beroaldum et alios, qui olim hunc Scriptorem ediderunt, id in scriptis suis non invenisse. Nam quid de suo inferire voluissent vocem, quæ addita nihil ad sententiam planius meliusque exprimendam facere videbatur? Omnino credo *adeo* in vetustis exemplaribus, quibus illi usi sunt, lectum fuisse. Quod si quis quærat, unde ergo illud ortum sit, conjectura adferri potest a librariis post ultimam literam vocis 'tanta' temere repetitas fuisse quatuor literas, quæ efficiunt *adeo.* Sed cogitent acutiores, utrum verisimilius sit, librarios, quum invenissent scriptum *tant*ADEO*pulentissimis,* existimasse *adeo* repetendum; an, quum scriptum esset *tant*AADEODEO*pulentissimis,* id rejiciendum esse. Multa sunt hujus generis, in quibus sæpe accusantur librarii, ut qui temere geminaverint ea, quæ tantum semel scribenda erant: sed fortassis interdum immerito. Nam si hoc plerumque erroribus scribarum tribuendum est, non facile dici potest, qui tamen fiat, ut literæ ita repetitæ verba efficiant, quæ si sententiam clariorem non reddunt, tamen neque turbant, ut, mea quidem sententia, hoc loco. Magis credo librarios, homines plerumque imperitos, nec aliud quam ductus literarum sequi doctos, sæpius peccasse omittendis literis, quas bis scriptas videbant, quod eas per errorem repetitas, et supervacuas arbitrarentur; quam iis, quæ semel tantum expressæ erant, geminandis. *Adeo* hic quidem sine detrimento sententiæ abesse potuerat; sed tamen sic quoque ponitur infr. IV. 7. 10. quem locum etiam Perizonius hic adnotaverat, et sæpe apud alios Scriptores, ut vel abundare, vel aliarum quarumdam particularum vim habere videatur. Vid. Serv. ad Virg. G. I. 24. Boecler. Chrestom. Terent.

Schult. ad Sen. Controv. IX. et Interpp. Phædri ad I. F. 4.

§. 26 *Nec enim temere ullus pulcrior*] Sed nec temere rejiciendum quod in iisdem scriptis habetur: *Nec enim temere alius pulcrior in urbem aut speciosior triumphus intravit.* Salm. *Alius* etiam Jord. et Frec. Et placet Tollio Fortuit. XXVI. Sed *ullus* est in om. sc. et ed.

§. 27 *Nihil nisi pecora Volscorum*] Vocula una auctior Naz. Cod. *nihil nisi quasi pecora Volscorum.* Sed illa nihil habet heic quod agat, si quid recte judico. Jord. habet: *nihil præter pecora Volscorum.* Sic ille pro *nisi* maluit *præter.* Salm. Naz. *nihil nisi quasi pecora.* Et sane non videtur incommodi sensus, si tantum leviter trajiciatur: ita: *nihil quasi, nisi pecora*: ita *quasi* valeat, fere, propemodum, ut in Suet. Cal. 58. 1. 'Hora quasi septima:' et Tac. 14. 52, 2. 'Magnificentia quasi Principem supergrederetur.' *Fr.* Ex Naz. qui præ se fert *nihil nisi quasi pecora*, N. Heins. colligit Florum scripsisse, *nihil nisi si qua pecora*, ut in proœmio l. II. 'Si qua juventus.' *Græv.* Heins. conjecturæ suæ confirmandæ adscripserat loca Liv. VIII. 39. 'Nihil earum rerum præter captivos, ac si qua cognita ex præda sunt, acceptum:' XXII. 52. ex Mss. 'Præda ingens parta est, et præter equos virosque, et si quid argenti.' Et XXXIII. 10. 'Ibi substitit ad excipiendos, si qui prælio superessent.' Schefferus l. d. legit *nihil nisi quæsita pecora. Vulscorum* Naz. Duisb. Fran. et v. e. V. I. 11. 11.

Si pompas, aurum, purpura, signa] Melior fortasse lectio librorum: *si pompam.* Una siquidem triumphi pompa fuit, qua illa omnia traducta. *Salm. Si pompas*] Salm. in marg. scripserat, *si pompam*, sine nota libri: quod fortassis est e Jordaneis. Florus *pompas* videtur dixisse, vel quod plures triumphi de Tarentinis eorumque sociis acti sunt; vel quod unus de his triumphus longe opulentior, et varietate rerum, quæ in eo præferebantur ac ducebantur, multis superioribus magis conspicuus erat. Hoc probabilius est, eo quod paullo ante tantum unum triumphum memoravit.

Tarentinæque deliciæ] 'Deliciarum' nomine continentur et ea, quæ memoravit, aurum, purpura, signa, tabulæ, et omnia alia, quæ in cultu vitæ magis ad luxum et ostentationem, quam ad usum habentur; inter quæ et supellex magnifica est, in qua delicias ponit Cic. I. Parad. 3. 'Quæro, num ullam cogitationem habuisse videantur aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates.' Lucil. Sat. VI. ap. Non. in *amphitapæ*: 'Pluma, atque amphitapæ, et si aliud quid deliciarum.' Vid. Interpr. Phædr. VI. F. 4. 26. Tarentini autem luxu infames erant. Unde 'Molle Tarentum,' Horat. II. S. 4. 34. 'Coronatum et petulans madidumque Tarentum,' Juv. VI. S. 297. et 'Famosum Œbalii luxum Tarenti,' Claud. Cons. Mall. Theod. v. 158. ubi plura Barth. et Jo. Juvenis de Antiquitate, et Varia Tarentinorum Fortuna lib. IV. c. 3.

§. 28 *Quas timuerat*] Lepidius Naz. *quas ita timuerat.* Grut.

Cum turribus suis] Vide God. Stewechii notam ad Veget. 3. 24. Hoc autem anno, nimirum 479. primum ducti sunt in triumpho elephanti, ut Plin. 8. 6. et Sen. de Brev. Vit. c. 13. *Fr.*

Non sine sensu captivitatis] 'Sensus' hic non ita ut solet accipitur, sed pro intellectu; sicut in illis Plinii, 9. 42. 'Miror, quosdam existimasse aquatilibus nullum inesse sensum.' Et ap. Sen. de Brev. Vit. cap. 13. 'Ille otiosus est, cui otii sui sensus est: hic vero semivivus, cui ad intelligendos corporis sui habitus indice opus est.' Hac notione dicuntur animalia sensu carere, in §. 2. Inst. si quadr. paup. fec. dic. Sic Curt. 6. 2, 25. de Bucephalo: et Agell. 5. 2. Apulei. lib. 3.

'Pro Lucio jumentum, sensum tamen retinebam humanum.' Ov. F. 3, 221. 'Et quasi sentirent, blando clamore nepotes Tendebant ad avos brachia parva suos.' Sentiunt autem etiam animalia κατὰ τὴν ψυχὴν, Aristot. Top. 1. 15, 9. *Id.* Adde huc, quæ de elephantis congessit Lips. 1. Centur. Misc. Ep. 50. et de equis Idem III. Centur. ad Belg. Ep. 56. et Cerd. in Virg. XI. Æn. 90.

CAP. 19 Quæ hoc capite scribit Florus, habentur Epit. Liv. 15. Eutrop. 2. 9, 2. Signanter Oros. 4. 4. Vide Front. 1. 12. 3. *Cam.*

Bellum Picenum] Hic titulus hujus capitis in vulgatis. Sed Picenum non alias temere legi, nisi pro nomine ipsius Provinciæ. Nam Picenum Suburbicarium dici cœpit, ubi in duas provincias ea regio divisa est sub ultimis imperatoribus. 'Picenum' igitur est provinciæ nomen. Ἐθνικὸν inde esset 'Picenicus.' Sed 'Picens,' pro eo, ac 'Picentinus,' dicitur veteribus. Et recte heic optimus Nazarian. scribit: *Bellum Picens.* Sic Plauto 'Campans genus,' pro Campano. Sic vetustissimis 'Lucans,' pro Lucano. Atque inde 'Lucas,' pro eodem, et 'Luca.' Hinc 'Bos Lucans,' vel 'Lucas,' Elephantus dictus priscis Romanis, quod in Lucania primum visus esset. Ex eo per corruptionem appellari cœpit 'Bos Luca,' qui prius appellaretur 'Bos Lucans,' vel 'Lucas.' *Salm. Bellum Picens,* ut 'Bellum Gallum,' 'Bellum Illyricum,' 'Bellum Dacum,' et alia hujusmodi, de quibus Salm. ad Spart. Hadr. c. III. qui et rursus ad Solin. p. 218. contendit h. l. legendum esse *bellum Picens,* non *Picenum,* item Græv. ad Cic. de Sen. c. IV. Ryek. tamen *Picenum.* Veteres Edd. præter primam, *Picente,* et sic adscriptum erat in marg. libri Duisb. Sed tituli capitum non sunt a Floro. In Duisb. recentior manus eos ad marginem libri adposuit: in V. E. autem plane nulli sunt. Vid. supr. ad c. 8.

§. 1 *Qui enim post Tarentum auderent*] Et alia lectio est: *Quid enim post Tarentum auderent.* Sed excusa melior. *Salm.* Nempe ubi fortior et potentior victus est, alii debiliores victorem lacessere metuunt. Ex eod. fonte est, quod inf. 2. 7, 1. dicit: 'Post Carthaginem vinci neminem puduit.' Et illud alterum, 3. 4, 1. ubi quasi mirabundus: 'Post Macedonas, si Diis placet, Thraces rebellabant, ipsi quondam tributarii Macedonum.' Sic inf. 4. 2, 29. *Fr.*

Socios hostium] Nam duobus potissimum modis ex obliquo pax læditur; cum aut nostri socii infestantur, aut hostes adjuvantur. Quod alicubi ap. Liv. 34. 32, 13. Nabidi Quintius objicit. Ipseque Senatus legatis Philippi, ap. eund. Auct. 30. 42, 7. Ita ap. Thucyd. 1. 6, 7. Corcyrenses Cyllenen, ubi erant navalia Eleensium, incenderunt, quod naves pecuniasque Corinthiis præbuissent. *Fr.*

§. 2 *Picentes*] Hi populi quintam Italiæ regionem occupabant: quondam uberrimæ multitudinis, ut 360,000. Picentium in P. R. potestatem aliquando venerint, si verus est Plinius; habitantque inter Rubiconem et Aufidum fluvios ad littora maris Adriatici. Sunt et 'Picentini' Italiæ populi, qui ab ortu Lucanos et Silarim fluvium, a tergo Ausones et Sarnum habent, a latere mare Tyrrhenum. Suntque Picentium coloni, teste Strabone, quorum isti 'Picentes,' illi 'Picentini,' frequentius dicuntur. De Picentibus triumphatum esse ab utroque Consule, Sempron. Sopho, et App. Claudio, Triumphorum series prodit An. U. C. 485. *Stad.* Sueyro in versione Velleii, Picentes interpretatur *los del Principato, segun Collenucio: o, segun otros, de la costa de Amalfi.* Id.

Asculum] Oppidum Picentium Apulorum, situm erat loco natura munitissimo, muro etiam et montibus vix

ulli exercitui penetrabilibus inclusum, teste Strab. lib. VI. hodie *Ascoli* dicitur. *Stad.*

Tremente inter prælium campo] Si credimus Obsequenti, cap. 26. legendum hic est *ante prælium:* ap. eund. fine dicti cap. ' Romani, quorum pauci evaserunt, vicerunt,' videtur excidisse vox *Picentes*, aut *hostes*, aut similis aliqua: ita, *Romani Picentes, quorum, &c.* Vide Oros. 4. 4. quem eodem modo corrigendum putabam. *Fr.* Hæc non sunt in Obsequente, sed in supplementis Lycosthenis; quæ et inf. c. 21. tamquam ab Obsequ. profecta memorat Freinshemius.

Tellurem Deam] Vetustissimus Græcorum Melisseus, Jovis nutritor, Tellurem, Urani uxorem, colere instituit. Lege Lactant. 1. 22. De ejus in Urbe Rom. æde, Plin. 34. 6. Val. M. 6. 3, 1. Multa Augustin. Civ. 4. et Ov. F. 4. Plura Macrob. Saturn. 1. *Cam.* Terram matrem etiam Persæ coluere, Herodot. in Clio: et Scythæ, Idem in Melpomene: et sub nomine ' Herthi ' etiam Germani, teste Tac. Germ. 40. 3. *Fr.* De æde Telluris Donat. de Urb. Rom. III. 6. et Nardin. Rom. Vet. III. 14.

Cap. 20 Hoc bellum scribunt, Epit. Liv. 15. Auctor de Vir. Ill. cap. 4. Eutrop. 2. 9. *Cam.* Meminit ejus etiam Zonaras. *Fr.* *Salentini* in quibusdam veteribus: scripserat in libro suo Salm. Ita Duisb. Fran. Ryck. et Edd. V. B. S. et P. Strabo quoque lib. VI. p. 282. Σαλεντίνους vocat. Et sic scribendum esset, si certa esset origo hujus nominis, quam lib. II. Rer. humanar. prodidit Varro ap. Prob. in Virg. Ecl. VI. 31. Sed vid. cl. Drakenb. ad Liv. Epit. XV.

§. 1 *Brundusium cum inclyto portu*] Lege: *Brundusium inclyto portu.* Nam illud *cum* a sciolis insertum est, cum veteres eo careant. Inf. ' Piræeus portus, sex et amplius muris.' *Salm.* Ennius lib. 6. Annal. ' Brundisium polcro præcinctum præpete portu.' Porro tam de urbe hac, quam tota regione remitto te ad exactissimam sæpius nominati nominandique Merulæ Cosmographiam, 2. 4, 32. *Fr.* *Brundisium* Naz. Voss. 1. Jord. et V. E. Ita semper in vetustiss. quibusque exemplaribus scribi adnotat Torrent. ad Suet. Cæs. XXXIV. Et sic ap. Justin. III. 4. et XII. 2. omnes Mss. Bongarsii, et Codex Duisburg. Add. N. Heins. ad Sil. VII. 576. In Paudect. Florentin. tamen l. I. §. 12. de Exercitor. act. l. 3. §. ult. de Act. emt. *Brundesium*, et l. 122. §. 1. de Verb. obl. *Brentesium*, e Græcis Βρενδέσιον, et Βρεντέσιον. *Cum* abest a Naz. Pal. 2. Voss. 1. 2. Flor. Berol. et Edd. B. S. P. et. J. et delendum esse adscripserat Heins. add. Salm. ad III. 5. 10. Paullo ante Naz. Pal. 2. Duisb. et V. E. *caputque regionibus*, Jord. *caputque his regionibus:* quod non displicet. Sic supr. c. 1. ' Alba tunc erat Latio caput.' Liv. XXIII. 10. ' Brevi caput Italiæ omni Capuam fore.' Virg. VIII. Æn. 65. ' Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus, exit.' Add. Gron. ad Liv. XXIII. 10.

Marco Atilio] Nazarian. *Masilio.* Corrupte pro *M. Asilio; Asilio* pro *Atilio*, ut *Bisuisus* pro *Bituitus.* Multum variant reliqui libri. Alii *Artilio*, alii *Attilio*, Jordanis denique, *Vatilio.* Mendose omnes. *Salm.* *Marco Atilio* rectum est.

§. 2 *Victoriæ pretium*] ' Pretium' pro præmio, ut supr. c. I. n. 12. Vid. Græv. ad Justin. IX. 2.

Pales] De ' Pale' Dea abunde omnes. Lege tamen Ov. F. 4. 719. Plura Serv. Georg. 3. in pr. et Solinus circa princ. *Cam.* Add. Scalig. ad Virg. Cul. vs. 20. et Broekh. ad Tibul. I. 1, 14. In Fragm. Petron. ' Palemque Pastorum gaudere manu.'

Cap. 21 Quod hic scribit Florus, lege ap. Val. M. 9. 1. Auct. de Vir. Ill. cap. 36. Oros. 4. 5. *Cam.* Adde Plin. 34. 7, 2. *Fr.* Item Joan. Antiochen.

in Excerpt. Peirese. p. 788. et Sarisberiens. VIII. Polyerat. 6. eujus loeum observarat Tollius.

Bellum Volsinense] Scribendum: *bellum Volsiniense*, et post *Volsinii*; male in vulgatis *Vossini*, quod et N. Heinsius vidit. *Græv.* Nomen urbis in Liv. VII. 3. et X. 37. et *Volsinii:* gentile V. 32. et IX. 41. *Volsiniensis.* At rursus XXVII. 23. et Epit. XVI. *Vulsinii*, quemadmodum etiam superioribus loeis e Mss. et Fastis Capit. seribendum putabat Sigouius. Sed utrumque reetum esse ostendit Cellar. II. Geogr. Ant. 9. Naz. *bellum Volsiniense*, Pall. *Vulsinense;* deinde Fran. *Vulsinii*, Duisb. et om. ed. præter Ald. *Vulsini*, quemadmodum et seriptus Aurelii Viet. e. 36. Vid. hie Vinetum.

§. 1 *In fide mansere*] At quando vieti aut adeo amiei Romanis? nihil eertius est, quam sequendum Jordanem Bibliotheeæ, *in fidem venere*, pro quo hactenus vulgatæ, *in fidei munere:* eorrupte quidem, sed propius a vero, quam Annæana. *Grut.* Livius tamen, lib. 5. et 10. et Zonar. Ann. tom. 2. (ubi tamen Οὐλσινίους legitur, pro Οὐολσινίους) bellorum cum iis et fœderis meminerunt. Quo tamen non obstante, Gruteri judieium sequor: ideo, quod 'in fidem venire,' idem est, quod 'in ditionem,' 'potestatem;' nee de iis, qui fœdere tantum juncti sunt, apte dieitur, sicut 'in fidem aeeipere.' Præterea putida foret oratio, *Postremi in fide mansere;* signifiearet enim, omnes Italos descivisse a Romanis ante Volsinios. *Fr.* Nihil eertius quam ex Jorn. reseribendum esse, ut primus animadvertit Gruterus, et multis asseruit doetiss. Freinsh. *in fidem venere.* Nam in Jorn. edd. est *in fidei munere*, in Mss. *in fide munere:* vides *m* ex *fidem* proximo vocabulo adhæsisse, inde *e* ex *munere* intercidisse, indeque monstrosam hanc leetionem natam: cum vero nee in illa quicquam esset sanæ sententiæ *munere* in *mansere* refinxerunt, et τὸ *in* infarserunt homines male feriati. Verum est *in fidem venere*, ut ap. Liv. VIII. 2. 'Campanorum aliam eonditionem, qui non fœdere, sed per deditionem in fidem venissent:' et sæpius aliis in loeis. *Græv.* Freculphus quoque IV, 28. *In fidem pervenerunt.* Et Auditor Lipsii exemplari suo adseripserat *in fidem venere.* Vulgata scriptura est in om. sc. et ed. Ex ea Seheff. facit *infidi manere.* Fingit nimirum, Volsiniensesc post impetratam contra servos suos opem a Romanis, immemores beneficii arma adversus eos eepisse, ac diutissime retinuisse, et hoe esse, quod Florus dicit eos 'pœnas dedisse.'

§. 2 *Libertatem a dominis datam, &c. erexerant*] Forte non absurde legeretur, *exercuerunt.* Exercere iram, vietoriam, &c. Latine dicitur. Inf. 2. 16, 3. 'Critolaus libertate, a Romanis data, adversus ipsos usus est.' *Fr.* Legendum eenset N. Heinsius: *qui libertatem a dominis datam in ipsos exercebant.* Val. M. VI. 2. 'L. Philippus adversus eundem ordinem libertatem exereere non dubitavit.' Sic et Liv. XXIII. 2. 'maxime tamen inter eorrupta omnia lieentia plebis sine modo libertatem exereentis.' Sane *erigere in aliquem libertatem* Latinis nihil est: et vidit olim doetiss. Freinsh. qui itidem eonjeeit: *in ipsos exercuerunt.* Græv. Heinsio etiam in mentem venerat *exeruerant.* Nam adseripserat e Plin. VIII. Ep. 7. 'Exeramque in librum tuum jus, quod dedisti;' et remiserat ad Turnebi Adversaria, qui XIV. Adv. 17. tuetur lectionem veterum librorum Suet. Tib. XXXIII. 'Paullatim deinde Prineipem exeruit,' eontra vulgatam *exercuit. Exercuerant* confirmari e Liv., *exeruerant* e Quint. XIII. Decl. 6. 'Exerite libertatem fortibus verbis.' Sed ibi quoque in Ms. Leid. esse *exercete* adnotat el. Burm. ad Quint. IX. Decl. 3. Frec. l. d. *libertate a do-*

minis data contra ipsos se erexerant. Et hoc melius, quam quod vulgatur in Floro. *Se* facile absorberi potuit a postrema litera vocis præcedentis et prima sequentis. Præfero tamen *exercuerant.* Viri doctiss. Marklandus in Epist. Crit. ad Franc. Hare pag. 132. et Wopkens. in Adversar. Crit. in Minuc. Fel. Tom. x. Obs. Misc. receptam scripturam tuentur loco Minucii in Octav. c. XXXVII. de Christiano, qui erecto, forti, et constanti animo adversus minas, tormenta, ac supplicia est, *cum libertatem suam adversus reges et principes erigit.* Facile adsentior Marklando adv. Græv. disputanti *libertatem in* vel *adversus aliquem erigere* aliquid esse, sed Minucio, cujus sermonem tamen hic non reprehendo, non aliis Scriptoribus Latinis. Neque enim scio ulli alii eorum, qui quidem idonei auctores Latinitatis habentur, vel in argumento non dissimili de libertate et constantia Sapientis, vel in alio versanti hoc aliquid esse, hoc est, quemquam ita loqui; quod eum ostendisse vellem. Crederem etiam Wopkensio Minucium hic imitatum fuisse sermonem Flori, si e pluribus illius locis constaret eum lectione Flori delectatum fuisse, et eum sibi imitandum proposuisse. Hæc mihi videntur dubitationem aliquam posse injicere, an ex verbis Minucii satis certa ratione efficiatur in Floro retinendum esse, quod in om. sc. et ed. est: quam hoc quoque nonnihil auget, quod, si ita credimus, hoc genus loquendi utique alio sensu in Floro, alio in Minucio accipiendum est.

Translataque in se Rep.] Quod fere accidere solet, ubi diversi ordinis, aut nationis, aut religionis adeo, viri, magistratus irrepunt. Sensim enim alios aliosque suæ factionis adlegendo, cum vires adquisivere, oppressis diversa sentientibus, suæ potestatis Remp. faciunt. *Fr.*

§. 3 *Duce Fabio Gurgite*] Ducem belli Vulsiniensis Fabium Gurgitem fuisse, præterquam apud Florum, nusquam me legere memini; nam Fabium etiam, quem sine cognomine Zonaras prodit, in oppugnatione urbis Vulsiniorum occisum esse refert. Consulem deinde, qui Vulsiniensium mancipia expugnata in potestatem redegit, non nominat; eum verisimile est fuisse M. Fulvium, qui consul de Vulsiniensibus triumphum egit, A. U. C. 489. Scriptor de Vir. Ill. cap. 36. imperatorem hujus belli Decium Murem vocat. prælio victos, inde obsessos, expugnatos, et summo cruciatu enecatos esse, urbemque eversam, idem Zonaras prodidit. *Stad.* 'Fabium Gurgitem' vocat etiam Obsequens, cap. 27. qui tamen mendosus in voce *Volsiniensium,* pro qua male ibi *Volsciensium.* Id. Non Obsequens, sed Lycosthenes Fabium Gurgitem vocat, qui haud dubie e Floro cognomen addidit. Zonaras quidem VIII. 7. Fabium Cos. sine cognomine Ducem hujus belli memorat: sed Sigonius et Pighius in Commentar. ad A. U. 488. probabiliter disputant, eum Fabium Gurgitem et hoc anno III. Consulem fuisse. Add. hic Vinet. et Schot. ad Aur. Vic. c. XXXVI.

CAP. 22. §. 1 *Exarsit ac ferbuit*] Editi a Vin. *fervuit.* Quod idem est. Naz. *exarsit et acferbuit: acferbuit* pro *adferbuit.* Legend. igitur: *exarsit et adferbuit:* 'adferbescere' contrarium τῷ 'deferbescere,' quod est ap. Comicum, 'defervescere adolescentiam.' Basileæ editi, quorum editioni præfuit ventosus atque ampullosus corrector, præferunt *ac fremuit,* ineptissime. Videri tamen non nemini posset, Naz. Cod. scripturam eo inclinare, ut potius legatur: *exarsit ac ferbuit.* Sane antiquarium illius exemplaris sæpe observavimus duas lectiones ponere solitum, cum variantiam in libro unde describebat, reperisset. Sic h. l. cum quidam libri haberent, *et ferbuit,* alii *ac ferbuit,* utramque ad-

posuit γραφὴν, *et ac ferbuit.* Profecto fervorem hunc adolescentiæ idem Florus *fretum* appellavit in fine hujus libri: ' Talis pace belloque populus Romanus, fretum illud adolescentiæ, id est, secundam imperii ætatem habuit.' Palam est, ' fretum ' heic ab eo nova notione usurpari pro fervore. At ' fretum,' etiam cum pro mari accipitur, Grammatici quoque a fervendo deducunt. *Sal.* V. e. *ac viruit,* perperam: nam id præcesserat, restatque alterum in Pal. 2. ac 3. nam 1. *et ac ferbuit:* factumque statim, *adferbuit,* maluissem *ecferbuit* ut notaret *efferbuit.* Grut. Malebat N. Heius. *quodam flore virtutis exarsit ac efferbuit:* ' effervere ' enim Virgil. aliisque non semel usitatum esse. *Græv.* Berol. et Duisb. itidem ut V. E. *ac viruit. Fremuit,* quod Salmasius videtur existimasse Basileæ primum ortum esse, jam ante legebatur in aliis omnibus Vett. Edd. *Et fremuit* Fran. *ac fervit* Voss. 2. Scheff. putat legendum, *qua maxime vicit quodam flore virtutis, et exarsit ac efferbuit.* Nam quærit qua ratione flos dicatur excandescere et effervescere. Non intelligo quid velit. Florus non ' florem,' sed ' populum Rom. flore ' quodam virtutis exarsisse ac ferbuisse dicit.

Ita quæ inerat] Pertinet huc Licinius, tit. de stupratoribus; ex emendatione Bongarsii ad Justin. I. 10, 1. ' Agreste illud a priscis conditoribus robur.' Ceterum, quod auctor seditionum harum causam facit, agrestes populi novi mores, nec satis adhuc subactos et mites; refutant illæ, quæ florentissimis temporibus accidere, nec pauciores istis, et asperiores multo: quarum ipse Florus inf. 3, 14. &c. meminit: et Val. M. lib. 9. toto cap. 7. *Fr.* Salebrosa et perplexa est oratio, nec satis apparet, quomodo particula *ita* hanc periodum connectat cum superiore. Omnia planiora essent, si legeretur, *qua ut maxime viruit...ac ferbuit; ita quæ...* sed non juvant hanc conjecturam libri veteres. Om. sc. et ed. habent *itaque.* Hoc referri potest ad vocem præced. ' adolescentia,' ut dicat Florus, etsi in ea flore quodam virtutis exarsit, tamen adhuc agreste quiddam et indomitum spiravit. Verum ita quoque imperfecta est sententia, nec cohæret oratio: nam desideratur *quæ,* ac dicendum fuerat, *quæ quiddam spirabat indomitum.* In Edd. Vineti et Commelin. Gruteri locus ita distinguitur: *Itaque inerat quædam adhuc ex pastoribus feritas: quiddam spirabat indomitum.* Sed hoc valde abruptum est. Camertis, et aliæ vett. Edd. omn. præter primam, omisso *inerat,* habent: *Itaque quædam adhuc ex pastoribus feritas quiddam spirabat indomitum.* Hoc quidem intelligi potest, sed adversatur omnibus scriptis. In Plant. primum invenio *ita, quæ inerat, quædam,* quod deinde Freinsh. et alii secuti sunt. Non dubito, quin locus sit corruptus. Fran. *Itaque inerat quædam ex pastoribus feritas, quæ quiddam.*

§. 2 *Postumium*] Vide Liv. 4. 50. Idem postea accidit Q. Pompeio: testes Val. M. citato l. Velleius, 2, 20, 2. Liv. Epit. 77, 4, et fere Catoni, ap. Dion. in Excerpt. Vales. pag. 641. *Fr.* Add. hic Rupertum.

Lapidavit] Sylvius ad Cic. pro Sull. c. v. putat non dici ' lapidare aliquem,' pro, lapidibus obruere, lapides in aliquem conjicere. Hoc ei concedi potest, si de optimis illis, quos aureæ ætatis Scriptores vulgo vocant, loquitur. Nam Liv. ' lapidavit,' et ' lapidatum est ' semper dicit pro, lapidibus pluit. Sed non est dubium deinde *lapidare* cœpisse dici ea significatione, qua id non dici putabat Sylvius. Suet. Cal. c. v. ' Quo defunctus est die, lapidata sunt templa.' Add. Petron. c. XCIV. et CXIV. et Voss. Lib. VII. de Vit. Serm. Quin et jam Scriptor de Bel. Hispan. c.

XXII. ' Concursu facto eum, qui legatos jugulasset, lapidare, et ei manus intentare cœperunt.'

Noluit vincere] Immo ' non vincere tantum noluit, ut Fabianus exercitus, [Liv. 2. 43, 9.] sed vinci voluit,' Livius, 2, 59, 2. Adde Dionys. 9, 60. et Val. M. 9, 3, 5. *Fr.*

Quod, duce Volerone] Libri om. scriptum habent: *Valerio Nerone.* Haud scio utrum ab Antiquario, an ab Auctore, hic error. Potuit sane in hoc nomine aliter concipiendo memoria labi Auctor, ut sæpe in aliis lapsum deprehendi. Volero autem Publilius hic tribunus plebis vocabatur. Sed Florum absolvit, et culpam in librarium transmovet, quod moris ei non est, pluribus aliquem appellare nominibus. Aliquando solo nomine utitur, interdum vel prænomine, ut in hoc Volerone, et inf. cum ' Spurium ' tantum nominat, ex solo prænomine, qui Spurius Mælius erat. *Sal.* Restituit locum, teste Camerte, Cuspinianus, cum antea mendosus esset. Historiam habet Liv. 2, 55, 5. seqq. Dionys. 9. 47. Sed hoc etiam postea accidit, cum jam longe abesset a pastoribus; nam et Pisonis Cos. fasces fracti sunt, Dio lib. 36. et Bibuli, Appian. de Bel. Civ. 2. *Fr.* Conspirant in vitiosam scripturam om. sc. etiam Vineti, et edd. præter Ald., in qua est *Volerone.* Et sic emendandum etiam Pighius monuerat in Annal. ad A. U. 354. Nam homini nomen erat ' Volero Publilius.' Vid. Pigh. ibid. et Sigon. ad Liv. II. 55. Salmasius non satis caute Tribunum pl. vocat, qui tum privatus erat, sed sequentibus comitiis Trib. pl. factus fuit. Liv. II. 55. et 56.

Detrectantibus] De hac voce Budæus ad l. 7. D. Ad Legem Jul. de adulter. Freinshemius in Ind. etiam ap. Liv. III. 49. pro eo, quod vulgo editur, ' nunc retractantem arripi,' legendum censet *detrectantem.* Sed intercedit Gron. ad Liv. prolatis locis Livii, Colum. et Cic. in quibus est ' retractare ' pro, detrectare. Idem ostendit Salm. ad Spart. Hadrian. c. XII. et Get. c. IV. Et sic *retractare* pro, recusare, non velle præstare, quæ dicta ac pacta sunt, ap. Virg. Æn. XII. 11. ' Nihil est, quod dicta retractent Ignavi Æneadæ, nec, quæ pepigere, recusent.' Dubito tamen an etiam alicubi *retractare* per errorem potuerit scribi, pro *detractare,* quemadmodum veteres hanc vocem scripsisse observant Pier. ad Virg. III. G. 57. et Broekh. ad Propert. II. 2, 11. et ad Tibul. I. 7. 44. Et sic h. l. Ryck. Voss. 3. ed. B. S. et P. *detractantibus:* add. infr. III. 5. 3. III. 6. 12. et IV. 2. 9. Nam *d* et *r* sæpe permutantur, ut infr. III. 19. 7. *detrahi* et *retrahi,* in Suet. Tib. XXI. *edit* et *erit,* et in eod. Vitel. XII. et in Justin. XXXVIII. 9. *deprehendere* et *reprehendere.* Et ' retractare ' alioqui fere est, de integro ac diligentius tractare. Vid. Berneg. ad Tac. Germ. c. XXII. Mox *quod adversarentur* Ryck. Fran. Voss. et om. ed. *qui advers.* Reg. 2. *Exulatio,* quo mox utitur Florus pro exsilio, nondum usquam alibi inveni; et non videtur optimæ notæ esse, etsi se analogia tueri potest. *Multavit* hic et alibi semper est in plerisque scriptis. *Multavit* et *mulitavit* et *mulctavit* inconstanter in Duisb. Fran. et v. e. In Pand. Flor. ubique scribitur *multa* et *multare,* quam scripturam vulgo probant Viri docti. Sed vid. Gron. ad Plaut. Stich. III. 1. 19.

§. 3 *Coriolanum*] Quem Themistocli comparat Cicero Bruto, cap. 10. Plutarch., in Parall. Alcibiadi. *Fr.*

Colere agros jubentem] Nescio unde alterius Pal. Cod. orta lectio, quæ habet: *colere ortos jubentem.* Nisi quod manifesto falsam pronuntiare licet. Opinor, hoc illum velle. Per secessionem plebis, agri inculti man-

serant. Inde annonæ caritas. Cujus levandæ gratia frumentum primo ex Etruria venit, quo plebs sustentata est. Deinde et ex Sicilia magna vis frumenti advecta. Quo tempore agitatum in senatu dicitur, quanti plebi daretur frumentum. Hoc faciebant ad plebem premendam, ut, hac injuria coacta, jus pristinum patribus redderet, quod secessione extorserant, conditione oblata laxandi annonam. Tum plebis inimicus Coriolanus, in oratione, quam habuit in senatu, inter alia, hæc verba fecit: 'Audeo dicere, hoc malo domitos ipsos potius cultores agrorum fore, quam ut armati per secessionem coli prohibeant.' Inde Noster hoc loco posuit: *Coriolanum, colere agros jubentem.* Salm. *Colere agros jubentem*] Quod per seditiones primo, (Liv. 2, 34, 2.) mox frumentarias largitiones, omittebatur. Cui posteriori causam neglectæ agriculturæ Tacitus etiam, 12, 43. imputat: et Augustus ap. Suet. in Vita, cap. 42. *Fr.*

Nec minus] Male fecisse Coriolanum judicat Cic. Nam, 'ut parentum sævitia, sic patriæ, ferendo ac patiendo lenienda est.' Historiam lege ap. Liv. 2, 39, &c. Dionys. 8, 12, &c. Val. M. 5, 4. 1. Ad hujus forte exemplum, 'Populus Muciam, Sex. Pompeii matrem, minis adegit, ut legationem ad eum susciperet:' Appian. de Bel. Civ. lib. 5. *Fr.*

Nisi quod] Pro, sed tamen, veruntamen, ut infr. IV. 8. 3. Sal. Jug. XCV. 'Otio luxurioso esse: tamen ab negotiis nunquam voluptas remorata, nisi quod de uxore potuit honestius consuli.' Vid. Riv. ad Jugurth. LXVII. et Stewech. de Partic. Ling. Lat. 'Exarmare' proprie, armis spoliare: translate, adimere omnia, quæ vim nocendi habent, infirmum ac debilem reddere; quod variis modis fieri potest. Vid. Bud. ad l. 2. D. de Leg. Rhod. de jact. et Barth. ad Claud. de Laud. Stilic. III. 353. Sic *exarmatos* Vell. II. 17. opponit *integris* ex emendatione N. Heinsii, quam rectam esse puto: 'Romani victis adflictisque ipsi exarmati, quam integri universis civitatem dare maluerunt.' Hinc etiam sæpe pro mitigare, placare, exorare. Petron. c. CV. 'Jam Giton mirabili forma exarmaverat nautas.' Ubi vid. cl. Burm.

§. 4 *Sed hic melior, obsessis in capta urbe consuluit*] Correctores sapit hæc lectio. Nec aliud sane datur augurari, quam ab eorum commento esse. Aliter quippe scriptum exhibent omnia exemplaria, in quibus, ut in veteri editione, legere est: *Hic melior in capta urbe consenuit.* Quid illis in mentem fuerit, qui sic mutaverunt, non video. Nam nihil absurdius aut ineptius. Non consuluit obsessis Camillus, sed cum jam auro recessum suum venditassent Barbari, jamque Romani obsidione liberati essent ex pacto, quod cum Gallis pepigerant, supervenit Camillus aurum adpendentibus, et statim occasione data in Barbaros irruit, eosque urbe expulit. Sed demus, eum obsessos aliquatenus adjuvisse, quid illis fiet, aut quo referentur, quæ sequuntur: 'Et mox supplices de hoste Gallo vindicavit?' Quomodo hæc exponemus? Quid igitur vult scripta lectione Auctor? Hoc; nisi fallor. Dixit, principes clarissimos aliquot, qui adversati erant voluntati plebis, exilio multatos esse. Duos recenset nominatim, Coriolanum et Camillum, qui id passi sint. Et Coriolanum quidem, ut injuriam vindicaret, arma patriæ intulisse, quem vix mater lacrymis suis exarmaverit. At Camillum meliorem, consenuisse in capta a se urbe, Veiis nempe, quo exulatum concesserat, et unde postea tamen ultor suis civibus advenit, quos de hoste Gallo vindicavit. Ceterum quod ait, Camillum in capta urbe consenuisse, non ad moram aut longum tempus exulationis referendum est, sed mœstitiam,

tædium, languoremque et iners otium, quæ senio afficiebant hunc virum. Homines amantes, ut ait ille, καὶ ἐν ἤματι γηράσκουσι. Præterea hoc sumptum e Liv. qui lib. v. de Camillo exule, cum audisset, Romanos intra Capitolium a Gallis compulsos, ita scribit: ' Qui mœstior ibi fortuna publica quam sua, cum Diis hominibusque accusandis senesceret, indignando mirandoque ubi illi viri essent, qui secum Veios Faleriosque cepissent.' Inde igitur sumpsit Annæus, quod hic ait, Camillum in urbe capta consenuisse, mœrore nempe ac tædio et indignatione, non ætatis exactæ vitio. Hinc ' senium ' sæpe Latini pro re ingrata et odiosa dicunt. Fatendum tamen est, non idem dicere Florum, etsi idem fortasse dicere voluit. Nam cum dicat, Camillum in capta urbe consenuisse, quis non intelligat, ibi extremum ætatis tempus consumpsisse ac senectutem exegisse? Atqui falsum est, tantum temporis in exilii loco contrivisse Camillum, ut dici queat ibidem consenuisse. At recte Livius, cum inquit, ibi Camillus mœrore ac tædio, Diis hominibusque accusandis ob res patriæ afflictas, senesceret. Senescebat, inquam, ibi Camillus, cum illa pateretur, quæ homines ante diem senio mature afficiunt, aut, ut Græci Poëtæ loquuntur, ὠμῷ γήραϊ διδόασι. At non consenuit. *Sal. In capta urbe consenuit*] Lectio hæc trium Pall. itemque v. e. quam etiam Salmasius probat; quapropter recipiendam non dubitavi. *Fr. Sed hic melior obsessis in capta urbe consenuit*] Secutus sum codicem Ryckianum in quo non legitur *obsessis*, nec in Regio et altero Gudii: quod ex Naz. pridem notavit etiam Salmasius, cui hic obtemperari verum erat. Non enim obsessis Romanis melior erat, sed Coriolano, qui injuriam patriæ vindicaturus erat armis. Camillus vero magno tulit animo exilium, et reipublicæ, cum illius tempora desiderarent ejus operam et consilium, non defuit. *Consenuit* vero est h. l. quod et Salm. vidit, exilium plenum senii et tædii egit in illa urbe: sic et γηράσκειν ap. Hesiod. et 'esse senio' ap. Comicos. *Græv.* Toll. Duisb. et Voss. plane ut libri Salmasii, Grut. et v. e. omissa voce *obsessis*. Reg. F *sed hic melior in capta urbe consuluit*. Reg. Q *Sed hic melior obsessis in captam urbem consenuit*. Fran. *sed hic melior in capta urbe consuevit*. Vulgata scriptura videtur defendi posse ex eo, quod Plutarch. in Camil. et Liv. v. 43. scribunt, Camillum partem exercitus Gallorum obsidione Capitolii relicta per finitimos populos prædantem auxilio Ardeatium magna clade adfecisse. Nam ea re potest dici consuluisse obsessis, quod ita vires hostium minuebantur. Sed non dandus est locus quæsitis interpretationibus contra libros scriptos. Et tamen ne horum quidem scriptura difficultate caret. Nemo ignorat ' senium ' sæpe dici pro mœrore, tædio, ac squallore, et ' senescere ' et ' consenescere ' pro, mœrore ac tædio consumi, idque docuerunt etiam Casaub. ad Pers. I. S. 26. et VI. S. 16. Gron. ad Liv. XXIX. 33. et Schult. ad Sen. Controv. XI. Verum non æque apertum est, in qua *urbe capta* exsilium plenum mœroris egerit Camillus. Nam quod Salm. ' captam urbem ' exponit Veios, id refellitur e Plut. in Camil. Liv. v. 43. et 46. Aur. Vic. c. XXIII. et App. in Excerpt. Peiresc. p. 549. qui omnes Camillum non Veiis, sed Ardeæ exsulasse tradunt. Veniebat in mentem, ' captam urbem' de Roma posse accipi, hac sententia: Camillus melior fuit Coriolano: nam quum hic Urbem capere et hostibus tradere voluerit, Camillus contra eam captam hostibus eripuit, et in ea deinde consenuit, quum Coriolanus in illam non redierit. Sed hanc interpretationem non patiuntur sequentia. Nam Camillus primum dicitur in ur-

be capta consenuisse, ac deinde cives suos de hoste vindicasse. Hoc quum videret Rupertus, locum ita emendandum putavit: *Sed hic melior supplices de hoste Gallo vindicavit, et mox abscessuros in captam urbem continuit.* Existimat enim Florum eo respicere, quod refert Liv. in fin. Lib. v. Camillum urbe liberata prohibuisse, ne Pop. Rom. Veios migraret. At hoc est secare nodum, non solvere. Non video, quomodo *consenescere*, quod omnes prope Mss. habent, hic aliter exponi possit, quam ex sententia Salm. et Grævii; aut quomodo 'capta urbs' de alia, quam Veiis accipi possit. Si erravit in eo Florus, quod Camillum Veiis exsulasse putavit: socium, et fortassis auctorem erroris habet Lucanum, qui v. 27. idem scribit: 'Tarpeia sede perusta Gallorum facibus, Veiosque habitante Camillo, Illic Roma fuit.' Liberari posset ea culpa, si deleta præpositione *in* liceret scribi *melior obsessis capta urbe* (nempe Roma) *consenuit.* Sed eam habent omnes libri.

De hoste vindicavit] Sic III. 21. 19. Quint. Decl. VII. 'Nisi de te vindicor.' Vetustiores magis dicunt 'ab aliquo vindicare.'

§. 5 *Cum Senatu quoque*] Hanc historiam scribunt Livius, in fine quinti: et Auctor de Vir. Ill. cap. 23. Trita sunt, quæ scribunt Eutrop. et Oros. *Cam.*

Vehementius æquo bonoque] Sic editio Vineti, nec aliter v. e. aut Pall. tres: quomodo etiam invenerat in Ms. suo amicus noster Lips. uti videre est libro ejus II. cap. 19. Elect. *Grut.* Nec tamen absurda videtur impress. lectio, *vehementius de æquo.* 'Siquidem,' inquit Auctor inf. cap. 26. num. 5. 'nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, honorum decora, et insignia, vindicavit' plebs Romana, eaque omnia, postrema certe, certamina de æquo et bono erant. Quo respectu Florus inf. 3. 14. 3. de Graccho: 'Sive æquo et bono motus, ne,' &c. *Fr.* Frustra Freinsh. defendere conatur lectionem Vett. Edd. Scripti om. et v. e. omittunt *de:* neque id intrudendum est in h. l. Recte Lips. interpretatur, acrius, quam æquum bonumque esset. Est formula vulgo obvia. Terent. Adelph. I. 1. 39. 'Niminm ipse est durus præter æquumque et bonum.' Et Phorm. IV. 3. 32. 'Si tu aliquam partem æqui bonique dixeris:' quæ sumta videtur ab JCtis, apud quos 'æquum' et 'bonum' summo, sive stricto, juri opponitur. Cic. pro Cæcin. c. XXIII. Bud. ad l. I. D. de Justit. et Jure, et Panciroll. Thesaur. Var. Lect. II. 1. Ryck. liber sine copula *vehementius æquo bono*, ut Plant. Menæch. IV. 2. 10. et non semel Cicero, qui etiam 'æqui boni facere' dicit. Vid. Bud. l. d. Et sic in formula: 'Quantum æquius melius,' de qua Briss. Lib. v. Form. p. 372.

CAP. 23 Hæc discordia accidit Olymp. 71. Auctor Eusebius, Lib. Temp. De qua Liv. 2. 32. &c. Dionys. 6. 37. &c. Val. M. 8. 9, 1. Auctor de Vir. Ill. cap. 18. Eutrop. 1. 11. Oros. 2, 6. Augustin. Civ. 2. 18. et 3. 17. Appian. de Bel. Civ. lib. 1. Plura Pompon. l. 2. de O. J. Fenestella, tit. 25. Lege Ov. F. 3. 663. *Cam.* Cic. ap. Priscian. lib. 6. 'decimo sexto' post Reges exactos anno hæc accidisse auctor est. Isidorus, 9. 4. 'sexto.' *Fr.* Isidorus, si non corruptus est, errat. Sed illud potius puto: v. Comment. Fastor. ad A. U. 260.

§. 1 *Fœneratorum*] 'Fœneratores' Latinis dicuntur homines pecuniosi, qui aliis pecunias sub usuris legitimis et civilibus credunt. Is quæstus uti per se non inhonestus est, ita nec nomen fœneratoris. Sed hoc propter avaritiam multorum, modum lege positum in fœnerando excedentium, et acerbitatem in exigenda pecunia credita,

etiam in malam partem sumitur, et odiosum est. Unde Cic. I. de Off. 42. inter quæstus, ' qui in odia hominum incurrunt,' numerat ' quæstum fœneratorum.' Et socii Catilinæ ap. Sall. Cat. XXXIII. de violentia, crudelitate, et sævitia fœneratorum queruntur. Vid. Salm. de Usur. p. 542. Gron. IV. Obs. XXIV. et Græv. ad Cic. l. d. et ad v. Epist. Fam. 6. Eo tempore autem, de quo hic agit Florus, fœnus ex libidine locupletum agitabatur. Tac. VI. A. 16. et Sigon. II. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. quem et de sævitia fœneratorum in terga civium, et Legibus ad eos coërcendos latis, lege Lib. I. cap. 6. ejusdem operis. Liber Ryck. *ab impotentiā*, et mox *plebe*, fortassis pro *ab impotentia*, et *plebes*. Nam et hoc veteres dicebant pro *plebs*. Infr. c. 25. et 26.

Sacrum montem] Quoniam Jovi fuerat consecratus. Auctores Festus, Appian. Augustin. Civ. 2. 18. ubi plur. *Cam.* Adde l. 2. §. 20. de O. J. Alterius sacri montis meminit Justinus, 12. 7, 7. et alterius iterum, 44. 3, 6. alterius item Antigonus, Hist. Mirab. 144. Sed isti nihil ad hunc nostrum. *Fr.* Plebs restituta concordia ab hoc monte discedens eum Jovi consecravit: unde postea ' Sacer' dictus est. Festus in *Sacer mons*. Est ergo prolepsis, quum plebs in Sacrum montem secessisse dicitur, ut Diomed. de Art. Gramm. Lib. II. p. 439. Piso ap. Liv. II. 32. hanc secessionem in Aventinum factam prodit; quem sequitur Sall. Jug. XXXI. ubi vid. Ciaccon. et Ursin.

Tribunos] De his vide Polletum Historia Fori, lib. 3. cap. 5. *Fr.* Et Lips. aliosque, qui de Magistratibus Roman. scripserunt.

Menenii Agrippæ] Naz. Cod. scribit, *Mænenii*. Sed primam in ' Menenius' breviant Poëtæ Latini. *Sal.*

§. 2 *Fabula*] Hanc narrant Val. M. 8. 9, 1. et Auctor. de Vir Ill. c. 18. Liv. ubi supra. Val. autem M. vocat hunc ' Valerium,' non ' Menenium,' ' Agrippam.' Meminit Agell. 17. 21. *Cam.* Huc etiam respexisse videtur Antoninus Imp., de vita sua, ' ut unus alterum juvaret in suo opere, eo nati sumus, ut manus, ut pedes,' &c. *Fr.*

Opere fungentibus] Perperam alter Pal. *opera fugientibus*. Sal. Alter Pal. *opera fugientibus;* possit fieri, *opera fungentibus*, quomodo dicitur ' fungi munera,' ap. Tac. 3. 2, 1. et Suet. Aug. 35. 4. item ' fungi officia,' ap. eund. Tac. 4. 38, 1. &c. *Fr.* Ryck. *opera fungentibus*. *Immunem* recte opponit *opere fungentibus*. Nam ' immunis' est, ut Festus, et Non. ' qui munus non præstat.'

A sejunctione rediisse] Idem optimum exemplar legit; *sevinctione*. Quam vocem et alibi hoc sensu offendi, pro separatione ac segregatione, cui contrarium vinctio et vinculum. *Sal.* Non multum abit, quod est in Ryck. *seuinttione:* quamquam hoc etiam potest esse *sejunctione*. Vox *sevinctio* quam auctoritatem habeat, non scio: quæ, si qua est, tamen non tanta esse potest, ut insolens verbum hic locum habere debeat. Et magis putem in Naz. *seuinctione* scriptum fuisse pro *seiunctione*. Nam *vinctus* et *junctus* infinitis locis permutari dudum a multis observatum est. Vid. quæ eruditiss. Collega noster Arnold. Drakenb. adnotavit ad Sil. VIII. 487. *Moribundus a sejunctione* dicit, ut Cic. XV. Fam. 17. ' Mortuus a latronibus,' ' a cruditate.' Mox libri Salmasii, Ryck. Berol. Magl. Duisb. Fran. et om. ed. *redisse:* v. ad cap. 3. fin.

Quando sensissent, quod....irrigarentur] Si Sanctio, aliisque Viris doctiss. credimus, dicendum fuerat, *quando sensissent se irrigari*. Sed adsentior Perizonio ad Sanct. Min. III. 14. 16. et aliis, quos laudavi ad Opusc. de Latiuit. JCtorum p. 352.

Cap. 24 Secunda discordia accidit A. 302. ab U. C. Lege Solin. cap. 2. Euseb. Lib. Temp. Eutrop. 1. 12. Dionys. dicit, Olymp. 82. hoc est, annis ab A. U. 300. expletis. Lege ipsum, 11. 31., &c. Liv. 3. 44., &c. Val. M. 6. 1, 3. Auct. de Vir. Ill. cap. 21. Oros. 7. 13. Augustin. Civ. 3. 17. *Cam.*

§. 1 *Duodecim tab.*] De Duodec. Tab. quando, et a quo editæ, Dionys. ubi supr. Agell. lib. 17. cap. ult. et lib. 20. cap. 1. Sæpissime habetur earum mentio in libris Digestorum, signanter tit. de O. J. Plura Fenestella: tit. 29. Scriptæ autem fuerunt ab Hermodoro Ephesio, cujus statua fuit Romæ in Comitio. Auctor Plin. 34. 5. *Id.* Reliquiæ Legum XII. Tabul. a multis congestæ, et commentariis illustratæ sunt. Sed unus instar omnium esse potest Vir summus, et literarum humaniorum, ac Juris peritiss. Jac. Gothofredus, in aureolo libello, cui Titulum fecit 'Fontes quatuor Juris civilis in unum collecti.'

Regio quodam furore] 'Furorem' de malis civibus, discordiarum ac bellorum civilium auctoribus, sæpe dicunt Latini. Vid. ad III. 12, 7. Decemvirorum furorem 'regium' vocat, quia id agebant, ut Regum instar perpetuam sibi dominationem retinerent. 'Decemvirale regnum' vocat Claudius Imp. ap. Gruter. Inscr. 502. Horat. ap. Liv. III. 39. 'Decem Tarquinios.'

§. 2 *Juris quod ipse composuerat*] Ita Pompeius ap. Tac. 3. 28, 1. 'suarum legum auctor idem ac subversor:' vid. Liv. 3. 5, 5. 'Leve est sua consulta ac decreta tollere,' &c. inspice totum locum. Contra consilium Lævini ap. Liv. 26. 36, 2. 'Si quid injungere inferiori velis, id prius in te ac tuos si ipse juris statueris, facilius omnes obedientes habeas:' et monitum Claudiani: 'In commune jubes si quid, censesve tenendum, Primus jussa subi,' &c. Verum oppido pauci sunt, quibus vel aliorum consensus, (ut Lycurgo ap. Justin. 3. 2, 8.) vel ipsorum conscientia testimonio sit, (ut Cæcinnæ, ap. Tac. 3. 33, 2.) 'se, quæ in publicum statuerent, domi servavisse.' Adde Val. M. 6. 18. Tac. 3. 55, 8. 3. 33, 2. item Agric. 19. 2. *Fr.* Verba Flori pertinent ad caput Legis XII. Tab. quo cautum erat, ut, si de libertate alicujus controversia esset, vindiciæ secundum libertatem darentur, non secundum servitutem, i. e. ut possessio illius, de cujus libertate agebatur, usque ad exitum judicii penes eum maneret, qui in libertatem vindicabat, non, qui in servitutem. Vid. Sigon. I. de Judic. 21. et Jac. Gothofr. ad Tab. VI. Leg. XII. Tab. Contra hoc caput Appius vindicias dederat secundum servitutem; cujus decreti causam exponunt Liv. III. 44. et seqq. Dionys. XI. 31. Pompon. l. 2. §. 24. D. de Or. Jur.

§. 3 *Ab Aventino*] Obscurus est nimia brevitate. Nam verba hanc sententiam habere possunt, Decemviros se in Aventinum recepisse, atque inde a plebe detractos esse. Et sic videtur accepisse Ampelius, qui, 'Virginius,' inquit, 'Appium et totam ejus factionem in Aventino circumvenit, effecitque ut abdicato Magistratu accusati, atque damnati variis suppliciis punirentur.' Sed Florus fortassis hoc voluit dicere: plebem occupato Aventino ab eo, tamquam arce quadam, in Decemviros conversam vi armisque adhibitis eos in ordinem redegisse. Verum sic quoque non recte rem exponit. Nam plebs primum Aventinum insedit, et quum nihil proficeret, inde se in montem Sacrum contulit, atque ita demum Decemviri coacti fuerunt se Magistratu abdicare. Et ex iis soli Appius et Oppius in carcerem conjecti, reliqui in exsilium acti sunt. Liv. III. 56. et seqq. *Fr.*

Cap. 25 De hac tertia discordia late Liv. lib. 4. Meminit Augustinus, Civ. 3. 17. ubi plura annotavimus. *Cam.* De connubiis inter patricios et

plebem Sigon. I. de Ant. Jur. Civ. Rom. 9.

§. 1 *Ut plebeii cum patriciis*] Repone vet. lect. *ut plebes cum patriciis jungerentur.* Ita Nazarian. Recentiores: *plebs.* Id. Naz. *Tertiam seditionem excitavit*, pro *incitavit.* Seq. cap. *Ut plebes quoque magistratus crearentur*, legitur in eod. Naz. et verum est. *Sal.* Reg. *ut de plebe cum patriciis.* Græv. *Incitavit* est in Voss. 2. et 3. in ed. Vineti et Commelin. Gruteri, ac deinde recentiorib. quibusdam.

In monte Janiculo] In Janiculo, connubiorum promiscuorum caussa, tumultum fuisse Canuleio duce, auctorem, præter Florum, haud facile invenias. Certatum quidem eam ob causam seditiose inter patricios et Trib. pl. contentionibus variis ex Liv. constat: secessisse autem plebem in Janiculum propter æs alienum, post graves et longas seditiones, A. U. C. 467. invenio, atque a Q. Hortensio dictatore inde deductam, eumque legem tulisse in Esculeto, ut quod plebs jussisset, omnes Quirites teneret, nec aliam tertiæ secessionis causam auctores recensent. *Stad.* Janiculum montem in hac historia nominat etiam L. Ampelius. *Fr.* Sed is cum Floro errat. Schefferus putat hæc glossatoris esse, ac deleri posse, cum præsertim non conveniant historiæ ceterorum. Si quid judicio illius tribuendum est, idem dici debet de loco Ampelii. Sed probabilius mihi videtur, quod dixi.

Cap. 26 Hanc quartam discordiam lege ap. Liv. versus fin. 6. et Val. M. 8. 6, 3. et Auct. de Vir. Ill. cap. 20. *Cam.* Queritur etiam de ea aliisque Tribunorum facinoribus, Q. Tull. ap. Fratr. de Leg. 3. 8. *Fr.*

§. 1 *Plebeii*] V. e. *plebis*, ut forte scribendum sit, *plebes*, pro, plebs; mutataverintque, qui nolebant conjungi singularem numerum cum voce 'crearentur:' et vero *plebes* clare extat in Pal. 1. ac 2. *Grut.* Idemque monuit Salm. *Fr.* Vid. ad cap. præc. Regg. Voss. 2. et Magl. hic quoque *plebes.* Berol. et Duisb. *plebis.* Ryck. *plebei.* Voss. 3. *plebi.* Fran. *de plebe.* Non solum 'plebs,' sed etiam 'plebes,' et 'plebis' in nominat. singul. dicitur. Vid. Tanaq. Fabr. et Gud. ad Phædr. IV. F. 5.

§. 2 *Sulpicio patricii sanguinis dederat*] Ryck. *Sulpitio patricii sanguinis declarat;* forte, *elocarat.* Græv. Nisi tamen potius scriptum fuerat *declerat*, pro *dederat*, atque inde *declarat.* Nam *d* in libris veteribus sæpe distrahitur in *cl.*

Alteram plebeio Stoloni. Hæc quodam tempore] In Naz. est: *alteram plebeio Stolo. Quodam tempore quod lictoriæ virgæ sonum, &c.* In altero etiam Pal. habetur: *alteram plebeio Stoloni quodam tempore.* Nec agnoscunt pronomen *hæc.* Non dubito reponere: *alteram plebeio Stoloni, quæ quodam tempore, quod lictoriæ virgæ sonum.* Sal. *Stoloni. Hæc*] Camers ex vetusto codice corrigit: *Stoloni, qui quodam tempore, quod ejus uxor lictoriæ, &c.* non male, si ex vetusto codice. Ampelius male confundit duos hos Fabii generos in unum 'Sulpicium Stolonem.' *Fr.* Perizonius non improbabat emendationem Salmasii, sed tamen malebat *Stoloni: qua.* Verum ita in fine hujus periodi aliquid supplendum relinquetur, puta, *Stolo*, vel *maritus ejus:* quod satis durum est, et adversatur Livio, e cujus narratione VI. 34. liquet, verba Flori, 'injuriam non tulit,' non ad Stolonem, sed uxorem ejus referenda esse. Idem opponi potest scripturæ, quam ex vetusto Cod. profert Camers. Eam quidem recepit Begerus; sed mihi non posse ferri videtur. Nam quid hoc est, *qui quodam tempore....injuriam non tulit?* Saltem dicendum fuerat, *qui, quod quodam tempore....injuriam non tulit.* Deinde etiam in seqq. hiulca et ἀσύνδετος est oratio: nam certe requirebatur, *et a sorore satis insolenter*

irrisa fuerat. Nondum video, cur a scriptura librorum, qui vulgatum exhibent, recedendum sit.

§. 3 *Lictoriæ virgæ sonum*] Tangit morem hunc Plin. 7. 30. *Fr.* De hoc more Lips. 1. Elector. 23. Petron. c. LXV. quum lictor triclinium intrans ad comissationem valvas illius percussisset, 'Ego,' inquit, 'majestate conterritus Prætorem putabam venisse.'

§. 4 *Itaque nactus tribunatum, honorum*] Vere putat N. Heins. hic excidisse voculam aliquam, et scripsisse Florum: *Itaque nactus tribunatum maritus, honorum et magistratuum consortium.* Græv. Perizon. conjecturam adscripserat: *Itaque nactus St.* i. e. *Stolo, tribunatum.* Suspicatus scilicet fuit, *Stolo* duabus literis scriptum fuisse, et has inter easdem duas excidisse.

§. 5 *In his ipsis seditionibus*] M. Antonius in causa Norbani ostendit, sæpe populum fuisse concitatum justis de causis. Cic. vide de Orat. 2. 48. *Fr.*

Nunc pudicitiam] Vera est altera Camertis explicatio, de Virginia hoc accipiendum. Nam ad pœnam Vestalium quod attinet, eam propter nulla unquam seditio fuit. *Fr.* De duplici significatione vocis 'vindicare' est supr. ad c. 9. n. 1. Salm. e Pal. 1. adnotarat *nunc natalium.* Sed aliter Grut. *Nunc* præferebat Perizon. quod si placeret, Gruterus etiam quarto iterandum putabat, *nunc honorum decora, &c.*

§. 6 *Nullius*] Pro, nullius alterius rei. Vid. ad III. 10. 13. et Freinsh. in Ind.

In pretium ejus] Id est, quæ pretium libertatis esset; qua, tamquam pretio, libertatem venderet. Buchner. de Commut. Rat. Dic. I. 22. ubi plura hujusmodi. Flor. II. 18, 4. 'In legitimi fœderis pretium jussi arma deponere.' Justin. XI. 12. 'Sed Alexander in pretium captivarum regnum omne, non pecuniam petit.' Sed ibi Gron. e Ms. Bongars. putat expellendum *in.* Is locus in scripto Duisburgensi ita legitur: *Sed Alexander aliis remissis epistolis omne regnum, non pecuniam petit.*

Ut in magno] Liv. 45. 24, 8. 'Nulla est civitas, quæ non et improbos cives aliquando et imperitam multitudinem semper habeat.' Sall. Cat. 51. 30. 'In magna civitate multa et varia ingenia sunt,' &c. Porro recte se habet hujus loci lectio; nec adsentio Camerti, qui corrigebat, *jam in magno.* Vide, si lubet, Indicem voce *Ut.* Fr. 'Interim' pro, interdum. Tac. 1. A. 4. 'Qui Rempubl. interim premant, quandoque distrahant.' Mela III. 6. 14. 'Septem minimum, interim plures messes ferunt.' Hæc Perizon. ad oram libri sui. Add. Freinsh. in Ind. et Pric. ad Apul. IX. Met. p. 194. Voss. idem judicat de hoc usu vocis 'interim' quod de 'subinde' pro, identidem, de quo vid. infr. ad II. 10.

§. 7 *Spurium Cassium agraria lege; Mælium largitione*] Ita scripsit non Florus ipse, sed rescripsere correctores. Indicium facit primum vetus omnis lectio, quæ aliter habet. Deinde mos perpetuus Flori, homines unico nomine appellantis. Sic igitur ex libris optimus habet Naz. *Largitione Cassium, agraria lege suspectum regiæ dominationis, præsenti morte multavit.* Nec aliter exhibet Pal. 2. At in 1. scribitur: *Sp. Cassium agraria lege suspectum regiæ dominationis.* Quam sprpturam corruptissimam esse liquet ac mancam. Altera illa minus vitiosa. Non tamen in ea comparet Mælii nomen, quod heic locum habere debet. Jam illud certum est, Florum heic distinguere Cassium a Spurio. Sic enim paulo post infert: 'Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit.' Ergo Spurius illi proprie dicitur, qui Spurius Mælius prænomine ac nomine dictus. Atqui non de hoc supplicium pater suus sumpsit, sed de

Cassio, cui Spurio etiam prænomen fuit. Male itaque Florus noster, cum uterque Spurii prænomen habuerit, alterum tantum hac nota significat. Quod ad lectionem quidem ejus integrandam attinet, ordo quo usus est, et priscæ lectionis vestigium, ita eum scripsisse ostendunt: *Spurium largitione, Cassium agraria lege, suspectum regiæ dominationis, præsenti morte multavit. Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit. Hunc, Quintii dictatoris imperio, in medio foro magister equitum Servilius Ahala confodit.* Nihil verius hac lectione. In qua tamen duplex hallucinatio Flori notanda est. Prima, quod unum ex his Spurii prænomine insignem proprie appellat, cum uterque sic vocatus sit. Altera, quod Mælio tribuit, quod Cassio competebat. Non enim de Mælio, sed de Cassio supplicium patrem sumpsisse memoratum est. *Sal.* Loci hujus emendatiorem scripturam a se esse, ait Camers. *Fr.* Nec hic deflectit ab optimo Naz. Ryckianus. Uterque: *largitione Cassium agraria lege suspectum dominationis regiæ præsenti morte multavit.* Nullus dubito vere Salmasium emendasse: *Spurium largitione, Cassium agraria lege suspectum regiæ dominationis.* Græv. Vulgatam primum in Ald. inveni. Non possum adquiescere in emendatione et sententia Salmasii. Vocem 'largitione' ante 'Cassium' e plurimis et optimis Mss. ponendam esse, facile illi largior. Sed non video causam cur eidem 'Spurium' præponi, et hoc nomen de Mælio intelligi velit. Nam quod dicit, Florum distinguere 'Cassium' a 'Spurio,' quum mox infert, 'Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumsit,' eumque errasse, qui Mælio tribuat, quod in Cassium conveniebat, id nullam rationem habet. Cur enim hæc verba non ita potius interpretabimur, ut Floro cum aliorum omnium narratione conveniat? Non potest negari multos esse Flori errores in historia: sed quum certum sit hunc locum esse mutilum, non potest ex eo tam gravis sententia, qualis est Salmasii, in illum ferri. Et propemodum incredibile est, eum in tam nota ac celebri historia ita potuisse aberrare, ut Mælium a patre supplicio adfectum scriberet, quod omnes alii de Cassio prodiderunt. Confirmat quidem Salmasii sententiam de errore Flori V. E. in qua paullo post ita legitur, *ac de Mellio supplicium pater ipsius sumpsit.* Sed hoc parvi pendo, ac suspicor *Mellio* ibi e margine in contextum translatum occupasse locum vocis *Spurio.* Cujus suspicionis hoc argumentum habeo, quod Begerus adnotat, in Berol. Cod. verbis *ac de Spurio* in margine adscriptum fuisse *Mellio:* quod ab homine historiæ imperito profectum fuisse palam est. Omnino malo existimare hic excidisse aliquid ante vocem 'largitione,' quam cum Salmasio Florum tam turpis erroris insimulare. Quid autem illud sit, non facile dictu est; nisi quod ex Ampelio, qui Florum sæpe describit, suspicari possumus scriptum fuisse, *Mælium largitione, Spurium Cassium agraria lege.* Sic enim ille: 'Marcus Mælius frumentaria largitione cum uteretur (ita recte Freinshemius pro videretur) jussu Quintii Cincinnati Dictatoris a Magistro equitum in Rostris occisus est. Spurius, cum agrariis legibus factione dominationem pararet.' Nam quod dicit Salmasius, 'Spurium' ideo pertinere ad Mælium, quod perpetuus mos Flori sit homines unico nomine appellare, id nihil est, et e multis locis Flori refelli potest. Sic vel huj. Lib. cap. 11. 'Gn. Marcius Coriolanus,' 'Lucius Quintius,' 'Marcus Minucius:' c. 13. 'Lucius Valerius:' c. 16. 'Caius Minucius,' et c. 20. 'Marcus Atilius.' Et eodem modo sæpe alibi. Illud fortassis aliquem movere queat, quod, si legatur *Mælium largitione, Spurium*

Cassium agraria lege, pronomen 'hunc' in his, quæ proxime sequuntur, non recte videatur referri ad Mælium, cujus nomen in illa conjectura priore loco ponitur: quum potius dicendum fuisset 'illum.' Sed dudum observarunt docti, quum de duobus sermo est, 'hic' etiam ad remotius, et 'ille' ad propius pertinere, de quo monuerunt Budæus in Comment. Ling. Græc. Gron. III. Obs. 16. et Stewech. de Partic. Ling. Lat. Non est quidem hic in priore membro 'de illo,' sed 'de Spurio.' Verum id parum referre arbitror, et non minus recte vel sic 'hunc' de Mælio posse accipi, quam si scriptum fuisset 'de illo.' Nec dubito quin etiam apud alios bonos auctores inveniantur exempla nominis proprii pro altero horum pronominum positi. Ita sane Liv. XXXII. 5. 'Philippum....nunc sociorum, nunc etiam popularium animos' timentem, 'ne et illi ad spem amicitiæ Romanorum deficerent, et Macedonas ipsos cupido novandi res caperet.' Pro *suspectum* etiam existimo legendum *suspectos*. *Suspectum* ortum videtur e libris, in quibus solus Spurius Cassius et Lex Agraria memoratur.

Agraria lege] Livius, 32, 38, 6. legem hanc numerat inter 'faces novantibus res, ad plebem in optimates accendendam.' *Fr.* De Legibus Agrariis Sigon. II. de Ant. Jur. Ital. 2.

Largitione] L. Ampelius: 'Frumentaria largitione cum videretur' (leg. *uteretur*) quo loco duos Mælios agnoscit. *Fr.* Immo agnoscit unum tantum M. Mælium, cui Livius Spurio prænomen facit; alterum Spurium, qui non Mælius, sed Cassius est. Mire quoque Ampelii locum non corrigit, sed corrumpit, Rupertus ad Pompon. I. de Orig. Jur. 5.

Præsenti morte] Vid. Græv. ad III. 1. 6.

Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit] Pro vero adfirmat, de no adeo dubitatum est, ut alteram opinionem certiorem adstruat Livius. Postquam enim meminit, auctorem ejus supplicii fuisse patrem, statim addit, invenisse apud quosdam, idque propius fidem esse, a quæstoribus Fabio et Valerio diem illi dictam perduellionis, et judicio potius publico populi, quam patris privato, damnatum. *Sal.* Variant tamen Auctores. Vide Liv. 2. 41, 10. et Dionys. 8. 91. Florum autem verum dicere, aut veri certe simile, credam, nota patriæ potestatis severitate, quam etiam Brutus, supr. 1. 9, 8, 10. Torquatus, 1. 14, 2. Aul. Fulvius, ap. Sall. Cat. 39. 5. aliique, de quibus Val. M. toto cap. 8. lib. 5. in filios exercuere. Sed et alias tali ex causa, 'si filius patrem, aut pater filium occidisset, sine scelere, etiam præmio adficiendum omnes constituerunt:' ait JCtus in l. 35. de Religios. Nimirum altissime inserat animis eorum, quod Justinus, 41. 5, 10. ait; 'Patriæ potius, quam liberis,' aut parentibus, 'consulendum.' *Fr.* Animadversio Salmasii non congruit cum iis, quæ superiore adnotatione posuit. Ibi dicit Florum hæc scripsisse de Mælio: hic de eo, de cujus supplicio variare Auctores prodit Livius. At is non Mælius, sed Cassius est. Beger. ex Ald. edidit *ac de Cassio quidem* contra om. sc. et al. edd.

Quinctii Dictatoris imperio] Vide Liv. 4. 14. Valerius M. 6. 3, 1. Cic. pro Domo, cap. 38. addunt, etiam domum ejus dirutam, areamque 'Æquimelii' appellationem traxisse. *Fr.* Imperio Dictatoris occisum etiam est in Epit. Liv. IV. et Ampelio. Ex ipso Liv. IV. 14. id non apparet.

Servilius Ahala] Quem pro præmio liberatæ Reip. exilium ab ingratis civibus tulisse scribit Val. M. 5. 3. *Fr.* Ryck. *Ala* Voss. 3. et quædam Edd. vett. *Hala*. Xylander quidem ad Plutarchi Brutum, ubi Ἄλας dicitur, defendit *Ala*. Sed rectum esse *Ahala* e Fastis, Nummis, et veteribus

libris Livii ostendit Sigon. ad Liv. Epit. IV.

§. 8 *Incivilius*] Quid sit 'civilis' et 'incivilis' exponunt Freinsh. in Ind. Torrent. ad Suet. Cæs. LXXV. Casaub. ad ejusd. Aug. LI. et N. Heins. ad Vell. II. 31.

Ab illa, quam def. arce dejecit] Damnati enim de Tarpeio monte præcipitabantur. Acron. 6. 1. Serm. Horatii. *Cam.* Agellius tamen 17. 21. Nepotem laudat, qui Manlium verberando necatum scripserit. Adjectas mortuo notas, Liv. 6. 20, 12. Sex. Pomp. Herodes Atticus ap. Agell. 9. 2. auctores sunt: 'alteram publicam, quod cum domus ejus ex populi jussu ob defensum Capitolium in arce fuisset, ubi postea ædes atque officina Monetæ, latum ad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret,' domusque ejus diruta est, bona publicata. 'Gentiliciam alteram, ne quis ex ea gente Marci prænomine vocaretur,' ita ut vocabulum quoque illud cum ipso deformatum atque sepultum videretur. Nam quod ille, qui de Viris Ill. Plinii Secundi titulo circumfertur, scripsit, gentilitatem Manlii ejurasse, ne quis postea cognomine 'Capitolino' uteretur, ἀνιστορησία est: constat enim ex Coss. Annalibus, Capitolinorum cognomina in Manliani gente deinceps frequentissima fuisse. *Stad.* De notis his Spanh. de Numism. Diss. X. De dejectione de saxo P. Faber 1. Semestr. 8.

§. 9 *Fretum illud adolescentiæ*] Nova hic notione 'fretum' pro fervore posuit. Sic enim supr. dixit: 'Hæc est secunda ætas populi Romani, et quasi adolescentia, qua maxime viruit, et quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit.' Idem hoc loco repetens, 'fretum adolescentiæ' vocat, et secundam imperii ætatem. Fretum itaque a fervendo. *Sal.* Adolescentes concito mari comparat, 'quorum,' ut ait Lactantius, 'cum sit ætas lubrica, frenari ac regi debet.' 'Tempus' enim a Bruto Collatinoque Coss. in App. Claudium Q. Fulv. Coss. 'viris armisque incitatissimum,' in libri exordio adolescentiæ comparavit. Et ista quidem *Cam.* Mihi vero semper suspecta fuit ista lectio: nec enim qui cohæreat apte, video, nec qui bonus exinde sensus enasci possit. Si liceret mutare: *Tale domi ac foris, tale pace belloque, P. R. fatum illud Adolescentiæ habuit;* jam commodior sensus est: Tali fortuna, dum adolescit, P. R. domi militiæque usus est. Vitatur præterea duriuscula illa repetitio τοῦ *fretum;* et illa, non nimis apta huic loco comparatio, quam Camers affert. Cur enim fretum Adolescentiæ Romanæ conferre libeat, quæ non ita, ut singulorum hominum, vitiis obnoxia fuit? nec eo respexit Auctor, cum istam comparationem institueret; sed ad illud tantum, quod ista ætate hominis robur et corporis firmitas convalescit, et animus insuper rerum gerendarum cupientissimus est. *Fretum* autem si comparare potuisset voluissetve Florus, rectius Infantiæ Pop. Rom. tribuisset. Sic M. Philosophus apud Herodian. 1. 8. 'Videtis filium,' &c. 'primas nunc adolescentiæ metas ingredientem,' καὶ δεόμενον ὥσπερ ἐν χειμῶνι καὶ ζάλῃ τῶν κυβερνησάντων. *Fr.* Fretorum æstum maximum esse scimus ex iis, qui de freto Gaditano, Siculo, et aliis scripsere. Igitur dubito, an non hic Auctor repetat mentem suam cap. 22. §. 1. supra: 'Quasi adolescentia, qua quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit.' Sane agnosco hic comparationis elegantiam. *Rup.* Etiam Dionys. Vossio in mentem venerat fortassis *fatum* legendum esse, pro *fretum.* Sed libri nihil variant in hac voce, et satis commodæ sunt interpretationes Camertis, Salm. et Ruperti. Est quidem metaphora paullo durior et insolentior; sed tamen etiam Lucretius *freta ætatis* dixit, pro fervore adolescentiæ, lib.

IV. vs. 1024. 'Tum quibus ætatis freta primitus insinuantur, Semen ubi ipsa dies membris matura creavit.' Vid. Turneb. XXVI. Advers. 13. Et sic *fervor* et *fervidus* de illa ætate. Horat. I. Carm. 16. 22. 'Me quoque pectoris Tentavit in dulci juventa Fervor.' Idem IV. Carm. 13. 26. 'Juvenes fervidi.' Et Art. P. 115. 'An adhuc florente juventa Fervidus.' Terent. Adel. I. 2. 72. 'Sperabam jam defervisse adolescentiam.' Et Cic. pro Cœl. XVIII. 'Quorum quum adolescentiæ cupiditates defervissent.' Freinshemii conjecturam *tale* adjuvat nonnihil liber Ryck. in quo est *tali domi ac foris, tali bello paceque.* Sed nihil tentandum arbitror. Florus *talis* videtur dicere de ingenio ac moribus Populi Rom. secunda hac ætate. Schefferi conjecturas *tulis p. b. P. Romanus fere tum, illud a. habuit*, et *P. Romanus fere totum illud a. h.*, examinent, quibus lubet.

Totam inter Alpes] Parum vere: nam etiam plus centum annos post hæc tempora, atque etiam post bellum Punicum primum, cum Gallis, Liguribus, aliisque populis in Italia bellatum est. Romani hac ætate eam partem Italiæ subegerunt, quæ peculiari appellatione Italia dicebatur. Vid. supr. cap. 18. n. 1. 'Fretum' κατ' ἐξοχὴν pro freto Siculo dici hic adnotaverat Ryckius, ut infr. II. 2. Sic Cæs. I. Civ. 29. et Cic. II. ad Att. 1. ubi Corrad. et Græv.

LIBER II.

Cap. 1 Pro notitia hujus primi capitis, quod locum proœmii obtinet, lege Appian. in operis prologo, qui, post enumerationem terrarum, quas Romani subegerunt, sic inquit: 'Harum tantarum innumerarumque nationum, quum tanta sit magnitudo, Italiam tamen magno labore, ac vix quingentis annis stabilem sibi reddidere,' &c. Ibidem præterea enumerat fere nationes omnes, quæ Rom. paruerunt. Lege Dionys. in princ. Prim. Antiq. Rom. *Cum.*

§. 1 *Bona fide*] Hoc sæpe dicitur pro, vere, serio, exacte, sine controversia. Freinsh. in Ind. Jurisconsulti 'bonam fidem' opponunt fraudi, dolo, malitiæ, et simulationi. Hinc videtur sumtum, ut omnia, quæ vere, serio, accurate, et sine ulla simulatione fiunt, 'bona fide' fieri dicantur. Vid. Bud. ad l. II. §. 12. D. de Act. emt. Interpp. Petronii ad c. XI. et Schult. ad Sen. præf. Lib. V. Controv.

Si qua juventa] In vetustiss. et optimo Naz. lego, *Juventas.* Quomodo scripsisse Florum non dubitem. Veteres Glossæ: 'Juventas, ἥβη.' *Sal.* Ryck. Reg. F, Florent. Magl. Voss. 1. et Ed. Beroal. *juventas.* Reg. Q et Fran. *juventus.* Beroal. Duisb. Voss. 2. 3. et v. e. *juventa.* Similiter variant libri in Proœm. Lib. I. n. 7. Vid. ad I. 7. 8.

§. 2 *Itaque (mirum et incredibile dictu)*] Omnes libri, Nazarianus, et duo Pal. *Ita, mirum et incredibile dictu, qui prope quingentis annis domi luctatus est.* Sal. Nec mirum, nec incredibile: 'semper enim facilius crescit dignitas' aut potentia, 'quam incipit,' &c. Seneca, Epist. 10. ex P. Syro. 'Prima enim dominandi spes in arduo: ubi

ingressus fueris, adsunt studia et ministri;' Tac. 4. 7, 4. Hoc etiam, ubi privatis artibus imperia moliuntur; multo magis cum manu agi cœptum est, ubi 'prima victoria' solet 'instrumentum' esse 'sequentis,' ut bene Justin. 1. 1, 8. Ita Catilina, in Orat. ad suos satellites, ap. Sall. 20. 7. 'Tantummodo incepto opus est; cetera res expediet.' Pertinet huc, quod ap. Plut. An seni sit ger. Resp. cap. 13. 'Lampis navicularius interrogatus, quomodo divitias consecutus esset? respondit: Magnas non difficulter, parvas cum ærumna et tarde,' et quæ ibi sequuntur. Verbis istis, 'mirum atque incredibile,' utitur etiam Sulp. Severus Hist. Sacr. lib. 2. p. 161. fortassis hinc mutuo sumptis, ut solet. *Fr.*

Qui prope quingentis annis] Legitur in eod. Naz. *qui prope quingentis annis qui sequuntur, Africam, Europam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragravit.* Quæ mutila sunt. Nam integra et vera aliorum Codd. editionumque scriptura: *qui prope quingentis annis domi luctatus est, adeo difficile fuerat dare Italiæ caput, his ducentis annis, qui sequuntur.* Hanc juventam et robustam populi Romani ætatem hoc loco ducentis annis determinat, ad Cæsarem usque Augustum. At in prologo operis huic robustæ imperii maturitati ducentos quinquaginta annos assignat: 'Hinc ad Cæsarem,' inquit, 'Augustum ducenti quinquaginta anni, quibus totum orbem pacavit.' Et certe a Romulo ad Cæsarem Augustum septingentos annos numerat. Ex his ducentos quinquaginta annos ætati dat, quæ sub regibus, quam infantiam imperii ponit. Deinde a primis consulibus, usque ad App. Claudium et Quint. Fulvium, consules, ejusdem adolescentiam per ducentos annos patere facit. Sic anni quadringenti et quinquaginta exeunt. Restant ducenti quinquaginta usque ad Augustum, quibus totum orbem pacasse dicit, ut septingenti fiant. Nec scio cur heic ducentos tantum assignet. Quod tamen etiam infra repetit in Anacephalæosi libri tertii, ubi tertiam hanc ætatem populi Romani transmarinam, qua Italia progressus arma toto orbe circumtulit, ducentis annis rotundis definit. Horum quippe superiores centum, sanctos, pios, et aureos, sine scelere et flagitio fuisse dicit. Postremos alteros centum in Cæsarem et Pompeium, sequutumque hos Augustum, ut claritate rerum bellicarum magnificos, ita domesticis cladibus miseros et erubescendos. Ita parum sibi constat Noster. Certe idem utrobique dicere debuit. Simile porro est quod heic perhibet, quingentis prope annis domi luctatum esse populum Romanum. At in prologo dixerat, prope ducentos quinquaginta per annos circa ipsam matrem cum finitimis luctatum fuisse. Hoc est, domi. Nam tota Italia, quam intra illos quingentos annos subegerunt Romani, non ipsorum proprie domus fuit. Non mirabitur lector, si ἀκρίβειαν aliquando majorem in hoc Auctore nos requirere fateamur. *Sal.* Vid. ad Proœm. Lib. I. n. 7. Scribæ Cod. Naz. eadem fuit causa erroris, quæ Ryck. I. 7, 7. *dictu quippe quing. a.* Ryck. Fran.

His ducentis annis] Immo annis LIII. et ne iis quidem totis. *Fr.* Ita Polyb. I. 1. ubi vid. Casaub.

Peragravit] Hæc vox habet significationem celeritatis. Liv. XXX. 17. 'Numidiam omnem egregia victoria peragratam.' Et XXXII. 13. 'Obvias urbes raptim peragravit.' Vid. Manut. ad Cic. pro Marcell. c. II.

CAP. 2 Punicum bellum I. inceptum est anno 3. 128. Olymp. Dionys. 1. 8. Manifestus error in omnibus Solini codicibus impressis hucusque, quibus asseritur, Punicum bellum I. fuisse anno 389. ab U. C. Melius

Agell. cap. ult. lib. 17. 'Anno,' inquit, 'post Romam conditam CD. ferme et XC. Coss. Appio Claudio, cui cognomentum Caudex, Appii illius Cæci fratre, et M. Fulvio Flacco, bellum adversus Pœnos primum cœptum.' Oros. 4. 8. Liv. in princ. tricesimi primi, dicit, bellum 1. inceptum anno 488. ab U. C. Plin. 33. 3. 'Argentum,' inquit, 'signatum est anno Urbis CCCXXCV,' &c. 'Q. Fabio Cos. quinque annis ante primum bellum Punicum.' De hoc bello 1. Punico Epit. Livii, 16. et seqq. Eutrop. 2. 3. Oros. 4. 8. Augustin. Civ. 3. 18. Auct. de Vir. Ill. cap. 37. et seqq. Appian. in Libyco. Meminit sæpe Val. M. ut suis locis citabitur. *Cam.* Præcipue legendus Polyb. lib. 1. et ex Poëtis Silius, lib. 6. *Fr.* Quo anno Urbis hoc bellum inchoatum sit, vid. ap. Pigh. et alios in Comment. Fastor. ad A. U. 489.

§. 1 *Incendio*] De incendiis silvarum Casaub. ad Suet. Tib. VI. Fran. *ꝑplatus*, fort. pro *perpopulatus.*

§. 2 *Opulentissimam in proximo prædam, quodammodo Italiæ suæ abscisam ac revulsam*] Hæc præda Sicilia est, quam Italiæ abscisam mari ac revulsam, cum olim continens illi terra esset, inter omnes convenit. Nescio quomodo tamen haud satis concoquo, prædam eam dici abscisam ac revulsam Italiæ, cum aut Siciliam nominari, aut terram, magis conveniret, quæ revulsa et abrupta diceretur Italiæ suæ. Sed talium cacozeliarum plenus iste, qui, dum elegantias affectat, sæpe in hoc vitium incidit. *Sal.*

Abscisam] Q. I. *abscissam*, quod aptius videtur; violentius enim quid loquitur Florus, ut ex seqq., 'et quasi revulsam,' apparet. *Fr. Abscindere* et *abscidere*, *abscissus* et *abscisus* ubique in libris vetustis permutantur. Vid. Burm. ad Vell. II. 66. Gron. ad Sen. de Constant. Sap. c. I. et Pareum in Lex. Crit. 'Abscisus' recte dicitur ab 'abscidere,' quod est ab 'abs' et 'cædo,' idque ostendit Pareus ex hoc Martialis III. 66: 'Abscidit vultus ensis uterque sacros:' quod propter secundam syllabam longam non potest esse ab 'abscindo.' Et sic in Epigram. quod C. Jul. Cæsari tribuitur, 'Abscidit tenerum lubrica testa caput.' Et *abscidere caput* Mss. Brandeburg. Valerii M. ut Vorstius adnotat ad Val. M. IX. 4. 3. et IX. 13. 2. *Abscisam* hic habent Berol. Duisb. Fran. Voss. et v. e. Nec aliter in Naz. et Pall. fuisse puto: nam Salmasius ex iis nihil monuerat ad Edit. Commel. in qua est *abscisam;* nec Grut. qui deinde quoque sic edidit, ullam varietatem scripturæ memoravit. Sed mihi magis placet *abscissam* quod est in aliis. Nam antiquos in hac re potius usos verbo 'abscindo' intelligi potest e poëtis, qui *abscidit* secunda brevi dicunt. Virg. Æn. III. 418. 'Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes.' Horat. I. Carm. 3. 21. 'Nequidquam Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili Terras.' Nec aliter Ov. et Val. Flaccus, quorum loca ad Horatium laudat Vir summæ eruditionis Ric. Bentleius. Nam ille I. M. 22. 'Nam cœlo terras, et terris abscidit undas:' hic II. 615. 'Has etiam terras, consertaque gentibus arva, Sic, pelago pulsante, reor, Neptunia quondam Cuspis, et adversi longus labor abscidit ævi, Ut Siculum Libycumque latus.' Mela II. 7. 120. 'Sicilia, ut ferunt, aliquando continens, et agro Brutio annexa, post freto Maris Siculi abscissa est.' Itaque videndum est, an etiam ap. Stat. et Val. Flaccum de eadem re loquentes retinenda sit vetus lectio *abscissum*, pro *abscisum*, quod reponendum censet Heins. ad. V. Flacc. I. 827. In Statio quidem III. Silv. 2. 61. *abscissum* retinet Bentl. l. d. Ceterum de re ipsa, quam tangit Florus, plura possunt legi apud eos, quorum loca adferunt Interpp.

Virgilii in Æn. III. 414. et Justini ad IV. 1. Tan. Faber I. Epist. 14. observat Eustathium ad Dionys. Perieg. v. 476. avulsionem Siciliæ ab Italia conferre in ætatem Acasti, quem Jocastum alii vocant, Fil. Æoli. Æolus autem Hellenis Fil. Deucalionis Nep. non multo minus 300. annis ante excidium Trojæ vixisse traditur.

Ut quatenus nec mole jungi] Ita doctiss. viri correxerunt. Omnino recte. *More* pro *mole* vitiose scriptum erat. Inde illud *more* in *mare* mutarunt imperiti scribæ. Sic infra libro tertio, *gravi mole*, pro *gravi more*, reposuimus, quo loco habebant editi *gravi timore*. In vita Probi ubi legitur: 'Dejectis in altum navibus,' *naribus* aut *maribus* habent membranæ. Ex quo etiam fecimus, *molibus*. Vereor tamen ne adhuc aliquid requirendum sit ad sanitatem loci plenius reducendam. Certe Naz. cod. aliud quid tentandum suadet, dum sic legit: *Ut quatenus nec mare, et nec mole jungi nec pontibus possit, armis belloque jungendum et ad continentem suam revocandum bello videretur*. Fallor utique aut scripsit Auctor: *Ut, quatenus mare nec mole jungi, nec pontibus posset, armis belloque jungendum, et ad continentem suam bello revocandum videretur*. Mare discidium fecit ac divortium inter Siciliam ac Italiam, continentemque terram interrupit. Quatenus ergo nec mole jungi nec pontibus poterat illud mare, bello armisque jungendum, et ad continentem suam revocandum, Romano visum est. Melius etiam fortasse legeretur: *Ut, quatenus mare nec mole jungi, nec pontibus posset, armis belloque jungenda et ad continentem suam revocanda bello videretur*. Non enim recte dicatur 'mare ad continentem suam revocari.' At belle hoc dicas de ipsa Sicilia, quæ olim mari abrupta et continenti suæ revulsa, mox in continentem suam, unde abscisa olim fuit, revocanda bello et armis, quatenus mare, quod intervenerat, ponte aut mole jungi nequiret. Certe alii Codd. hanc correctionem firmare videntur, qui habent: *jungendam* et *revocandam*. Salm. *Mole*] Retinui conjecturam Viri ingeniosiss. Simeonis Bosii; etsi Mss. Vin. et libri cusi, *mare;* quod hic minus convenit; quamvis restet idem in Pal. 2. ac 3. nam 1. servat *mare et nec mole*. Grut. *Ut quatenus nec mole jungi*] Venuste ex vestigiis Naz. Cod. qui scribit, *ut quatenus nec mare et nec mole jungi* N. Heins. hunc locum sanavit, dum sic legendum esse docuit: *ut quatenus nec mari injecta mole jungi*. Vell. II. 33. 'Lucullum ob injectas mari moles Xerxem togatum vocare assueverat:' et sic alii passim. Sane cod. 1. reg. *nec mari jungi*. 3. vero, *nec mari mergi*. Græv. Pall. libri Vineti, et Voss. 1. 2. *nec mare jungi;* sed in altero e Voss. correctum *mari;* quod est in aliis scriptis, e. v. et J. Heins. adscripserat multa loca veterum, in quibus est 'jacere moles,' Cæs. I. Civ. 25. Horat. III. Carm. I. Curt. IV. 2. 3. et 4. et Amm. Marcell. XXI. 41. Bosii conjectura, quam memorat Gruterus, est ap. Vin. ad h. l. *Gravi timore* non est in libro III. Flori, ut Salm. scribit, sed I. 18, 12. *Quatinus* Ryck. et Fran. vid. I. 5, 2. Scheff. legit *nec mole mare jungi posset, nec pontibus*, et deinde *jungendum* et *revocandum*. Hoc ferri posset, si etiam ostendisset recte dici 'mare ad continentem suum revocari,' quod negat Salm. Nec magni momenti ad mutandam receptam lectionem est, quod putat non Latine dici 'prædam jungere:' nam Floro 'prædam' esse Siciliam apertum est.

Armis belloque] Similis cupido Alexandrum stimulabat, ap. Curt. 7. 7, 14. 'Quæ tam longo intervallo natura videtur diremisse, una victoria subito committere.' *Fr.*

Jungenda] Naz. habet, *jungendum;* et mox, *revocandum:* alter Pal. *jun-*

gendam, et *revocandam:* quam veram lectionem puto, ut referatur ad ‘ prædam,’ præsertim cum præcesserit, ‘ adeo cupiditate ejus (prædæ) exarsit,’ necessario igitur sequentia de eadem re interpretanda. *Fr.* Ryck. quoque et Voss. 2. *jungendam* et *revocandam.* Præferenda puto usitata singularibus.

Ad continentem suum] Hanc lectionem magis probavit Grut. noster. Aliud mihi videtur, et magis placet quod habent nostri : *continentem suam.* Nam, continens cum dicitur, semper intelligitur terra. Mela et Plin. integre expresserc, et ‘ continentem terram ’ dixere. De quo nos alibi. *Salm. Continentem suum*] Ita malui cum Vin. Mss. et v. e. quam quod ipse edidit, aliique ante eum, *suam:* visitur id quidem etiam in Pal. 3. sed superscripta statim est altera lectio quæ restat et in 1. ac 2. *Grut.* Om. sc. et ed. præter Ald. *suum.* Non potest negari ‘ continens ’ hac significatione fere semper in fœminino poni, per ellipsin substantivi ‘ terra,’ vel ‘ regio :’ nam et sæpe juncta invenias ‘ continens terra,’ vel ‘ regio.’ Itaque Heins. ad Vellei. I. 3. non solum h. l. probat *suam*, sed etiam in Curt. IV. 2. princ. legit, ‘ Habebatque Rex castra in continenti, a qua urbem angustum fretum dirimit,’ pro vulgato *a quo.* Sed Freinsh. in Ind. Curtii, et Burm. ad Vell. l. d. putant etiam suppleri posse *solum.* Et recte quidem. Nam cur minus liceat dicere ‘ continens solum,’ quam ‘ continens imperium,’ ‘ agmen,’ ‘ scriptum,’ et ‘ continentia tecta?’ quæ sunt ap. Liv. et Cic. Sed in Floro accusativus ‘ continentem ’ non patitur suppleri substantivum neutrius generis. Unde vel, agrum, vel, si quid aptius excogitari potest, supplendum est. *Suam* invitis omnibus libris admitti non potest. Salmasius quidem paullo ante ad verba, ‘ ut quatenus,’ tamquam e Naz. posuit *suam:* sed in chirographo ejus erat *suum.* Et ita in eo legi constat e Grut. De loco Livii XLIV. 28. ‘ Qui propiores continenti litori erant,’ vid. ibi Gron. et Periz. ad Sanct. Min. IV. 4. 55.

Bello] Non dubito quin ex superiori linea hoc verbi hæserit, præsertim cum nec in Naz. quem Salm. citat, compareat. Expungas igitur, per me licet. *Fr. Bello* et in Naz. est, ut intelligi potest ex iis, quæ Salmasius paullo ante adnotavit, et in exemplari suo scripsit, et in aliis om. sc. et ed. Sed tamen adsentior Freinshemio.

§. 3 *Sed ecce, ultro ipsis viam pandentibus fatis*] Libri nostri meliores : *Et ecce se ultro viam pandentibus fatis.* Probo quidem illud *et*, pro *sed.* At syllabæ *se*, locum non invenio. Nisi forte legendum *eccere*, quod pro *ecce* usurpasse quosdam notat vetus Glossarium : ‘ Eccere, ἰδού.’ *Salm. Sed ecce ultro*] Pal. 2. ac 3. nec non rejectitiæ edd. : *Sed ecce se ultro ipsis viam, &c.* Naz. vero exemplar : *Et ecce se ultro, &c.* ut putem restaurandum : *Et ecce, ceu ultro ipsis viam pandentibus fatis, nec occasio defuit:* nihil enim vulgatius, quam unam literam semel exprimi, bis tamen legi. *Grut.* Nec dubito de correctione ; nam solet ita Florus, quamvis frequentius voce ‘ quasi ’ utatur. Vide Indicem in *Quasi.* Fr. *Sed* etiam habent alii om. sc. et ed. Nec tamen huic orationi bene convenit. *Se* abest a Ryck. Florent. Fran. Voss. 2. et Edd. Junt. et Ald. Præfero Gruteri conjecturam Salmasianæ. Nam quum Florus sæpe alibi dicat ‘ ecce,’ non facile credi potest, eum hic voluisse uti obsoleto et rancido vocabulo comico *eccere.* Sed fortassis supervacuum est *se*, et ortum a scriba, qui alio dictante pro *ecce* scripserat *ecse;* e quo deinde conlatis aliis exemplaribus potuit fieri *ecce se.* Schefferus, *Sed hæc sese ultro*, (scil. offerebant, præbebant) *ipsis viam pandentibus fatis. Nec o. d.*

Fœderata] Ita etiam Scipio apud Liv. XXX. 31. Polybius lib. I. c. 10. et 11. nihil hujusmodi memorat, et III. 26. non obscure reprehendit Romanos, qui Mamertinis, scelestis hominibus, auxilium tulerint. Vid. Casaub. ad Polyb. I. 10. et 11. *De Pœnorum potentia* Voss. 3. et Ryck. vid. I. 23. 1.

Affectabat enim] Melius ex iisdem libris: *Affectabat autem ut Romanus, ita Pœnus, Siciliam.* Salm.

Et eodem tempore] 'In libris veteribus memoria extat, quod par fuit quondam vigor et acritudo amplitudoque Pop. Romani atque Pœni: neque immerito existimatum. Nam cum aliis quidem populis de unius cujusque Republica, cum Pœnis autem, de omnium terrarum imperio decertatum est:' Agell. 10. 27. *Fr.*

§. 4 *Specie quidem*] Vide supra, 1. 11. 1. *Id.*

Sollicitante præda] Diodor. 23. 2. *Idem.*

Tanta tamen in virtute fiducia est] Camertis ed. *(quanquam territaret novitas rei, tanta t. i. v. f. est):* vetustiores totam periodum nulla parenthesi secant, unde certius apparet, voculam istam *tamen* ab inepti glossatoris manu accessisse, qui, cum vox 'quanquam' præcessisset, necessario hanc subjiciendam putaverit. Similia glossemata infr. etiam, 2. 14, 4. et 4. 3, 4. extrivimus. Siquidem igitur me audis, ita scribe; *(tanta in virtute fiducia est!)* et nimio elegantior erit sententia. Talem autem fiduciam se quoque in militum suorum virtute habere Alexander testatur, ap. Curt. 9. 2, 25. 'Vestram virtutem, rerum quas gesturus sum, vadem prædemque habeo. Quamdiu vobiscum in acie stabo, nec meos nec hostium exercitus numeravero.' *Fr. Tamen* est in om. sc. et ed. Si quid mutandum sit, malim trajectis vocibus legere *tamen (tanta in virtute fiducia est) ille.*

Vereque terrester] Τῷ ὄντι ἠπειρώτης, et ex illis populis Homericis, οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν. Sic terrestrem heic maritimo opponit. Ita 'terrestre iter' dicitur, quod terra fit, non mari. Ille rudis, ille pastorius populus, ac vere terrester. Alias terrester etiam γηγενῆ notat et terra natum, quales se haberi volebant rudes et casci populi illi, quorum ignorabatur origo. *Salm.*

§. 5 *Appio Claudio*] Qui 'Candex' inde appellatus. Vide Sen. de Brev. Vit. cap. 13. et ibi Lips. Meminit ejus Suet. Tib. 2. 3. Diod. 23. 2. *Fr.* Add. Casaub. ad Polyb. I. 11.

Primum fretum ingressus est] Naz. cum veteri editione: *Primum fretum tum ingressus est.* Illum *tum* παρέλκειν non est dubium, si distinguimus, ut est in editis: *Appio Claudio Consule primum fretum tum ingressus est.* Sed mutanda omnino cum hac lectione distinctio, ac legendum: *Ille rudis, ille pastorius populus vereque terrester, ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur, Appio Claudio Consule. Primum fretum tum ingressus est.* Appio, inquit, Claudio Consule ostendit ille, antea terrester tantum populus, nihil interesse virtutis, terra an mari dimicaretur. Tum primum fretum quippe ingressus est. Appii Claudii consulatum, quasi principium firmatæ ætatis ac robustæ maturitatis in populo Romano, notavit, quo Italia progredi ausus, et e terra sua exire, maritimus repente factus, transmarinis provinciis domandis toto orbe arma circumferre cœpit. *Salm.* Flor. et Fran. *fretum tunc i. e.* Ceteri om. sc. et ed. *fretum tum i. e.* Sed libri Vin. non videntur habuisse *tum:* et vix dubitari potest, quin temere repetitum sit ab ultima syllaba vocis præcedentis. Haud scio, an Salm. hæc perperam distinguat. In vett. Codd. hic nova periodus, et quasi sectio quædam videtur inchoata fuisse a verbis 'Appio Claudio.' Hoc ex eo colligo, quod Jordanes post

narratum bellum cum servis Vulsiniensium historiam hujus belli ita orditur, et cum superioribus connectit: *Domita subactaque Italia populus Rom. Appio Claudio Consule primum fretum ingressus est.* Item ex eo, quod in Reg. Q verba 'Appio Claudio' plane separabantur a superioribus, quæ quasi præfationis loco posuerat scriba, et post 'dimicaretur' scriptum erat, *Primum caput de bello Punico.*

Fabulosis infame monstris] Veteres Jordanei libri: *fabulosis famæ monstris æstuque violentum.* Τὰ πάλαι μυθολογούμενα καὶ φημιζόμενα intelligeret. Sed omnino recta est librorum Flori scriptura. Scyllam porro et Charybdim designat, Siculi maris fabulosa monstra. *Salm.* Scyllam intelligit et Charybdim, omnibus notas. Videri tamen possit Justinus lib. 4. cap. 1. Liv. Ep. 16. *Fr.* Apud Liv. XXIX. 17. Locrensium legati: 'Pestis, ac bellua immanis, quales fretum quondam, quo ab Sicilia dividimur, ad perniciem navigantium circumsedisse fabulæ ferunt.' 'Fabulosum' dici non quod totum falsum et commenticium est, sed in quo veri aliquid inest fabulis mixtum ostendit Tan. Faber ad Justin. II. 6.

Illam ipsam ruentis æstus violentiam] Huic quoque loco salutiferam attulit opem N. Heinsius, non tolerandum censens *ruentis æstus*, tanquam Latio inusitatum loquendi genus, sed *furentis æstus* legendum esse, ut ap. Virg. 'Furit æstus arenis,' nec aliter Curtius lib. IV. cap. 2. 'Exæstuare semper fretum, quoque arctius volutatur inter insulam et continentem, hoc acrius furere.' Hæc Vir excellentiss. prioribus in litteris ad me datis. In posterioribus vero sic de hoc loco disputat. Nunc minimum abest, quin præferam alteram, quæ postea in mentem venit, conjecturam, arbitrerque additis duabus litteris *ferventis æstus* reponendum esse. Ita enim passim de freti Siculi æstu scriptores. Justinus initio libri IV. 'Fremitum ferventis æstus' dixit de hoc ipso mari. Naso Met. XIV. 'Rhegion ingreditur ferventes æstibus undas.' 'Æstu fervet pelagus' ap. Cic. III. de oratore, sic et 'Fervor maris' apud eundem de provinc. Consular. et 'Æstus ferventissimus' Plinio H. N. XXXI. 3. *Furere* et *fervere* conjunxit Sil. lib. XIV. v. 144. 'Euboici non per scopulos illisa Caphareo Euripi magis unda furit, pontumque sonantem Ejicit angusto violentior ore Propontis, Nec fervet majore fretum, rapiturque tumultu Quod ferit Herculeas extremo sole columnas.' Mea sententia *ferventis* omnino reponendum est. *Græv.* Heinsius pro priore conjectura adscripserat e Justin. XLIV. 4. 'Inter furentes æstus, ac reciprocantes undas.' *Ferventis* probabat cum Grævio Tollius, et edidit Begerus. Et sic etiam Plin. II. H. N. 97. 'Utpote quum plura exempla sint in tranquillo mari, nulloque velorum impulsu, tertio die ex Italia provectorum Uticam æstu fervente.' Neque tamen omnino negare velim Latine dici posse 'æstum ruere.' Nam Virg. in descriptione æstus dicit *pontum ruere ad terras*, Æn. XI. 624. 'Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam.'

Pro munere amplecteretur] Explicat, et addit Jordanes, 'Quod velocitas navium mari juvaretur.' Quæ Flori si quis verba esse credit, profecto fallitur. *Sal.*

§. 6 *Hieronem*] Polyb. 1, 11. *Fr.* Hoc varie traditum est. Vid. Casaub. ad Polyb. l. d. *Syracusanum Regem* dicit, ut C. Nep. Hann. c. X. 'Pergamenus Rex Eumenes,' Liv. XXVIII. 43. 'Agathocles Syracusanus Rex,' Virg. Æn. III. 51. 'Threicius Rex,' et alii similia ap. Muncker. ad Hygin. Fab. CXCI. *Syracusarum regem* Pal. 1.

§. 7 *Duillio*] Varie scribunt *Duil-*

lius, Duellius, Duilius, Bilius. Vid. Ciaccon. ad Column. Rostrat. Pigb. in Annal. ad A. U. 493. et Schott. ad Aur. Vict. c. XXXVIII.

Tum quidem ipsa velocitas] Non negabit, verius esse, *cum quidem velocitas*, qui Flori imbiberit genium, et ejus loquelæ assueverit. Ab omnibus Flori libris vox abest *victoriæ*. Jordanis scripti Codd. *et victoriæ*, scriptum habent. Et sane vocem *victoriæ* recte abesse nullus negem. Nec præter solitum levis Jordanes, qui illam adtexuit. Pro *auspicium*, etiam *auspicio* legerim: *cum quidem ipsa velocitas classis comparatæ, auspicio fuit.* Etsi *auspicium* rectum esse non nesciam. Ait Florus rem auspicatam illam fuisse Romanis, et bene ominatam, quod tam velociter classem comparaverint; ipsi antea τῶν ναυτικῶν ἄπειροι. Qui mihi igitur assentiendum putabit, *victoriæ* statim deleverit. *Salm.* Auctoribus Gruteri libris, et Salmasio, vocem *victoriæ*, quam I. q. habent, omisi. *Fr. Tum quidem ipsa velocitas*] Ryck. *cum quidem ipsa velocitas*, uti legendum esse monuit Salm. Sed distinctio est etiam mutanda: *Duillio Cornelioque Consulibus etiam mari congredi ausus est, cum quidem ipsa velocitas classis comparatæ victoriæ auspicium fuit.* Deest *victoriæ* in Ryck. quoque, ut in aliis omnibus Mss. In Jornandis tamen libris non frustra reperitur, nec tam a Jornande adtexta, quam ex ipsius Flori, qui tum extiterunt, codicibus hausta, sensu illam vocem exigente. Classis tam celeriter comparata fuit omen victoriæ. Sic cap. 6. huj. lib. ‘ Omenque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile victa est Hispana Carthago.’ Celeritatem hanc miratur quoque Plinius et similia subjicit exempla lib. XVI, 39. ‘ Mirum apud antiquos primo Punico bello classem Duillii Imperatoris ab arbore excisa LX. die navigasse. Contra vero Hieronem Regem CCXX. naves effectas diebus XLV. tradit L. Piso. Secundo quoque Punico bello Scipionis classis XL. die a securi navigavit. Tantum tempestivitas etiam in rapida celeritate pollet.’ *Græv. Cum quidem* etiam est in Naz. Pall. Toll. Duisb. Voss. et om. ed. præter Ald. Fran. *cui* pro *cum*. *Victoriæ* in solis Regg. et Ald. e Jordane. Non temere est, quod plerique libri ita consentiunt in omittenda hac voce. ‘ Augurium,’ ‘ auspicium,’ ‘ omen,’ ‘ præsagium’ frequentissime ponuntur addito aliquo adjectivo, ut ‘ triste,’ ‘ lætum,’ vel genitivo, v. g. ‘ victoriæ,’ ‘ mali,’ ‘ cladis.’ Itaque et hic facile addi potuit *victoriæ* ab aliquo, qui videbat eam vocem sententiæ hujus loci convenire. Et tamen id non omnino necessarium erat, quum ex argumento et serie narrationis satis intelligi possit, Florum loqui de auspicio victoriæ. Nam et alibi hæc absolute dicuntur. Virg. Æn. III. 537. ‘ Quatuor hic primum omen equos in gramine vidi.’ Et Æn. XII. 854. ‘ Inque omen Juturnæ occurrere jussit.’ Val. M. I. 5, 4. ‘ Omen ipsa fecit.’ Suet. Aug. c. ‘ Id quoque magis præsagium, quam mentis diminutio fuit.’ Et Vesp. V. ‘ Nunciabantur et ex Urbe præsagia.’ Begerus et Amst. hic quidem receperant *victoriæ;* sed id mihi ex auctoritate plurimorum librorum, et aliorum Doctorum post Ed. Grævii, excludendum visum fuit. Distinctio, quam ponit Grævius, etiam in Duisb. et quibusdam Edd. est. Scheffero placet *auspicium fecit.*

Sexagesimum diem quam] Non minus admirabilis Scipionis celeritas, in eadem re, qui ‘ ita institit operi, ut die quadragesimo quinto, quam ex silvis detracta materia erat, naves instructæ ornatæque in aquam deductæ’ sint: Liv. 28, 45, 19. *Fr.* Est elliptica locutio, etiam Livio et aliis usitata. Vid. Jac. Gron. ad Liv. XXVIII. 16. et Perizon. ad Liv. XLI. 16. qui subtiliter rationem hujus

ellipseos exsequitur ad Sanct. Min. II. 9. 5.

In anchoris] Liv. XXXII. 32. ‘ In proram navis in anchoris stantis.’ Cæs. III. B. C. 28. ‘ Nostræ naves contra Lissum in anchoris constiterunt.’ Et *ad anchoram stare* Liv. XXV. 25. ‘ Qua, propter vim tempestatis, stare ad anchoram in salo Romana classis non posset.’

Conversæ in naves] Alludit ad ἑτεροιούμενα et μεταμορφώσεις Poëtarum. *Rup.* Sed hoc Declamatoris est, nec ferendum in Historico.

§. 8 *Prælii fama mirabilis*] Libri Flori: *fama.* Jordanei: *forma:* et melius. Nec aliter scriptum reliquit Florus, et ita recte jam obtinere voluerunt Viri docti. *Salm. Forma*] Secutus sum Lipsii conjecturam, quam prodit lib. 2. Elect. cap. 19. ante editi, *fama*, a qua scriptura non abeunt tres Pal. *Grut.* Lipsianam quoque Jordanes exhibet; et, ni fallor, Livius, 9. 11, 4. ita loquitur, quamvis apud eum vulgo: ‘ Ea vero fortuna, iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum.’ Nam sensus inibi aptior: *Ea vero forma.* Sic idem, 4, 33, 2. ‘ Forma insolitæ pugnæ Rom. parumper exterruit.’ *Fr. Forma* est in Magl. Regg. et Voss. 3. in aliis om. sc. et ed. *fama.* Hæc etiam alibi permutantur. Vid. Heins. et Burm. ad Val. Flac. I. 100. Recte Viri Docti hic reposuerunt *forma.* Curt. IX. 4. ‘ Nova forma pugnæ erat.’ Livii vulgatam scripturam, quam hic mutatum it Freinsh., tuetur J. Fr. Gronov.

Longe illis nauticæ artes] Sic Pall. om. sic Vin. Mss. et miror, cur eis ipsemet non auscultaverit. Lipsius certe id arripuit, d. capite 19. indicio Ms. sui: nec aliter ed. v. Aliæ: *Longe illis plus nauticæ artis*, male. sic Virg. Æn. 12, 52. ‘ Longe illi Dea mater erit,’ &c. Imo sic Noster inf. 2, 6, 34. *Grut.* Vide, si lubet, Indicem. *Fr.* Cum Pall. et Vin. libris consentiunt omnes alii sc. et ed. Illustrarunt hoc genus loquendi Salm. ad Flor. II. 6. 34. Interpp. Cæs. ad I. B. G. 36. Broekh. ad Tibul. I. 5. 2. et alii ap. Drakenb. ad Sil. Ital. XVII. 80. Paullo alia forma Cæsar I. B. C. 79. ‘ Nam tantum ab equitum suorum auxiliis aberant, quorum numerum habebant magnum, ut eos superioribus perterritos præliis in medium reciperent agmen, ultroque eos tuerentur.’

Detorquere remos] Audio doctissimum Virum rescribentem *detergere.* Sed cum renitantur omnes libri, cum veteres excusi, tum calamo exarati, fortasse nihil mutandum. Jordanis scripti: *remos detorqueri.* Nec aliter videtur scriptum reperisse in Flori exemplaribus, quibus usus est. Græci in eadem re verbo παρασύρειν utuntur, quod convenit cum verbo *detorquere.* Posset tamen vitium videri vetus, *detorguere* pro *deterguere;* ut ‘ voster,’ ‘ revolsus,’ et similia: inde literulæ mutatione *detorquere* factum: et hoc verius puto. *Salm. Detorquere*] Ita Pall. om. et v. e. Lipsius rescribit *detergere*, quod non improbat Gruterus, Salmasius etiam sua conjectura juvat; dum enim veterem lectionem adducit, subjungit: ‘ Posset tamen vitium videri vetus, *detorguere*, pro *deterguere*, ut ‘ voster,’ ‘ revolsus,’ et ‘ similia:’ quod non acutius magis quam verisimilius mihi videtur; quapropter vix temperavi mihi, quin illud *detergere* in textum reciperem, præsertim cum proprium rei sit verbum, quo et alii optimi auctores utuntur, quos in Indice retulimus. *Fr. Longe illis nauticæ artes, detorquere remos*] Nihil certius emendatione Lipsii scribentis: *detergere remos:* Nihil, inquit, proderant Carthaginiensibus artes nauticæ, quas optime callebant; quæ artes illæ nauticæ fuerint subtexit, *detergere remos, ludificari fuga rostra.* Est proprium loquendi genus ‘ detergere re-

mos,' cum nimirum in præternavigando hostilis navis remos frangerent, ac navem hac ratione inutilem prælio redderent, ut pridem observarunt docti Viri. 'Ludificari rostra fuga' est, eludere levi flexu impetum navis hostilis, quæ in latus adversarii rostro fertur. Has artes tam brevi tempore didicerunt postea Romani, ut Carthaginienses ipsos antecellerent, si fides Floro, quem vide in fine hujus capitis. *Græv.* Retinuissem *detorquere*, quod in om. sc. et ed. inveni, nisi constaret Latinos in ea re semper uti verbo 'detergere,' ut ostenderunt Freinshem. in Ind. et ii, quos laudat Drakenburg. ad Sil. Ital. XIV. 382. *Ludificari hostem* veteres in descriptione pugnarum sæpe dicunt de his, qui non conserunt stabilem pugnam, sed modo incurrendo, modo se recipiendo hostem fatigant: v. Wass. ad Sallust. Jug. LIV. Hoc genere pugnandi maxime utebantur equites. Liv. XXIII. 47. 'Infestis hastis concitarunt equos: dein libero spatio inter se ludificantes sine vulnere pugnam extrahebant.' Silius VII. 644. 'Varie nunc lævus in orbem, Nunc dexter levibus flexo per devia gyris Ludificatus equo.' Eadem erat ratio præliorum navalium, quæ equestribus comparat Florus in fin. hujus cap. ubi vid. Freinsh. et in Ind. v. *Navis*.

§. 9 *Ferreæ manus*] 'Ii manus ferreas atque harpagones paraverant:' Cæsar. de Bell. Civ. 1. 57. 'Asseres ferreo unco præfixi, harpagones vocant milites:' Livius, 30, 10, 13. 'Ferreæ manus, harpagonas vocant:' Curt. 4, 2, 12. Manifesta autem est utriusque appellationis ratio, 'manus' a prehendendo, 'harpagones' a rapiendo, attrahendo; quo nomine etiam appellatur uncus, quo e puteo quid extrahitur: qua de re loqui autumo l. 12. §. 21. de Instr. Leg. ubi tamen *arpagones* et *amas* legitur, male, pro, *harpagones* et *hamos*. Græcis ἁρπάγη, Hesychius. *Fr.* De his, et aliis machinis navalibus Scheffer. de Milit. Nav. II. 7.

Machinæque aliæ] Jordanis libri veteres: *machinæque validæ*. Quod minus rectum est. *Salm.* His verbis circumscribit corvos, quos depingit Polyb. 1, 22. Non enim ferreæ manus et corvi idem sunt, quod vel ex Curtio intelligere liceret, citato modo loco, 4, 2, 12. 'Ferreæ manus, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata:' iterum, 4, 3, 24. 'Corvos et ferreas manus.' Et 4, 3, 26. 'Corvi vero et ferreæ manus.' Machinarum autem talium inventionem Tyriis videtur tribuere Curtius citatis locis. Plinius tamen harpagonas Periclis inventum esse scribit, 7, 56. f. Inconsideranter Appianus, de Bell. Civ. lib. 5. pag. 739. Agrippam inventorem facit. *Fr.*

Ante certamen multum ab hoste derisæ] Ita, cum Annibal omne serpentium genus in fictiles lagenas conjici, easque in hostiles Eumenis naves mitti jussisset, ridicula ea res hostibus visa, fictilibus dimicari: sed mox senserunt, quam sine causa riserint. Vide Justin. 32, 4. Eo modo perhibentur etiam Americani risisse armaturam Hispanorum, cum sclopeta non nisi cominus usui esse crederent. *Fr.* Eodem modo apud Cæsarem lib. 2. Gall. 'Ubi vineis actis, aggere exstructo, turrim procul constitui viderunt, primum irridere ex muro, atque increpitare vocibus, quo tanta machinatio ab tanto spatio instrueretur? quibusnam manibus, aut quibus viribus, præsertim homines tantulæ staturæ,' &c. 'tanti oneris turrim in muros se collocare confiderent? Ubi vero moveri et appropinquare mœnibus viderunt, nova atque inusitata specie commoti, legatos ad Cæsarem de pace miserunt.' Sic suo malo irridebant Annibalem fictilibus pugnantem: vide Justin. XXXII. 4. *Græv.* Vid. Polyb. I. 23.

Liparas] Bochartus I. Chan. 27. e Stephano, Strabone, Obsequente c. LXXXIX. et hoc loco Flori, et Vinetus hic e Liv. XXI. 49. observarunt, insulam unam e Liparæis, quæ frequentius in singulari 'Lipara' dicitur, interdum a Græcis et Latinis numero plurali dici 'Liparas.' Addit Doctiss. Oudendorpius ad Obseq. l. d. Ampelium, Capite de Ducibus et Regibus Carthaginiens. 'Cornelium Consulem apud Liparas cepernnt,' et Oros. VI. 18. 'Agrippa inter Mylas et Liparas adversus Democharem et Pompeium navale prælium gessit.' Tamen nonnihil dubito, an Florus 'Liparas' nove dixerit pro omnibus insulis Liparæorum, non pro una earum 'Lipara.' Non exacte definitum invenio locum pugnæ; sed e Polybio I. 23. colligitur, eam factam inter Mylas et has insulas. Et sic Ampelius Cap. de tribus Punicis Bellis, *Liparas insulas* numero multitudinis dicit, non *insulam:* 'Duillius Consul apud Liparas insulas.' In Orosio quoque hæc vox fortassis eodem modo est accipienda. Nam Pompeium inter Mylas et Naulochum victum esse scribit Suet. Aug. XVI. Mylæ autem haud procul aberant ab insulis Liparæorum.

Mersa et fugata] *Mersa aut fugata*, iidem libri: et magis probem. *Salm.*

§. 10 *Duillius Imperator*] Memoriam hujus victoriæ Duillianæ consecravit Populus Romanus posita columna, rostris captarum navium ornata, in foro, de qua Plin. XXXIV. 5. Quintil. Inst. I. 13. Sil. Ital. VI. 664. Basis ejus eruta fuit Romæ, superioribus hujus sæculi annis, quam hic damus. Est hoc omnium Latinæ linguæ monumentorum antiquissimum, ex quo videre licet, quænam illius ætatis fuerit loquendi scribendique ratio. Expositionem ejus vide apud Ciacconium; qui singulari libello hunc titulum illustravit, quamvis et alii eruditi in illa exponenda desudarint. *Græv.* Brevem ejus explicationem vide infra, post finem Libri Quarti.

Unius diei triumpho] Optimæ membranæ: *unius die triumpho:* ἀρχαϊκῶς. 'Libra die somnique pares. . . . .' Vide Gell. 9, 14. *Salm.* Plura de hujusmodi genitivis legi possunt ap. Serv. et Pier. ad Virg. I. G. 208. Riv. et Manut. ad Sall. Ju. LII. et XCVII. Torrent. ad Horat. III. Carm. 7. 4. et Voss. II. de Anal. 19. Et sic vetus scriptura Pandectarum Florent. in l. 4. §. 2. de in diem addict. dissimilem esse hanc speciem partus specie. Ubi, non scio quam bene, jam olim emendatum erat *speciei.*

Per vitam omnem] Cato ap. Cic. de Sen. cap. 13. 'C. Duillium M. F. qui Pœnos primus classe devicerat redeuntem a cœna senem sæpe vidi puer; delectabatur crebro' (sive, ut Lipsius mallet, *cereo*) 'funali, et tibicine, quæ sibi, nullo exemplo, privatus sumpserat,' &c. vide etiam Ammian. 26. 8. Val. M. 3. 6. 4. Plin. 34. 5. Tac. 2. 49. 4. Hieron. lib. I. adversus Jovinianum. Porro de vocabulo *jussit*, quo Florus hoc loco utitur, est, qui dubitat, Vir non obscurus, putatque legendum, *sensit:* sed vulgata lectio satis firmatur citato Ciceronis loco. Præterea novum non est, ut qui præclare quid gesserat, aliquem honorem suo arbitrio sibi sumeret; ita 'Coruificius tantum sibi ob servatos a se milites tribuit, ut Romæ, quoties foris deinde cœnaret, elephanto domum revectus sit:' Auctor Dio, lib. 49. paullo post princ. *Fr.* 'Hæc ideo triumphum referebant, quia faces et funalia in eo usurpata, itemque tibicines ad sacra in Capitolio peragenda, et qui cum aliis ejus generis præibant.' Ita Lips. Centur. IV. Misc. Epist. 3. Scio usitatum fuisse veteribus in lætitia publica accensis adpensisque luminibus gaudium testari; nec facile in his dissentiendum est a Lipsio,


·C·D.....M·F·M·N·C....L·.....
.....S AN·O .....
.....D·EXEMET·LECIONES·R.....
AXIMOSQVE·MACISTRATOS·I.....
.....OVEM·CASTREIS·EXFOCIONT·MACEI.....
..CNANDOD·CEPET·ENQVE·EODEM·MACIS..
MNAVEBOS·MARID·CONSOL·PRIMOS·C.....
CLASESQVE·NAVALES·PRIMOS·ORNAVET·PAL.
CVMQVE·EIS·NAVEBVS·CLASEIS·POENICAS·OM.....
SVMAS·COPIAS·CARTACINIENSIS·PRAESENTE...
DICTATOREDOL...OMIN·ALTOD·MARID·PVC.....
...NQVE·NAV....ET·CVM·SOCIEIS·SEPTER...
.....OSQVETRIREMOS QVENAVEIS·X:...
.....OM·CAPTOM·NVMEI ↀ ↀ ↀ DCC
.....TOM·CAPTOM·PRAEDA·NVMEI
CAPTOM·AES
QVE·NAVALED·PRAEDAD·POPLON.....
.....CARTACINIENSI·N.....NVOS·L.....
.....FI.....CAPT.....

totius antiquitatis peritissimo. Sed tamen nondum scio ullius probati Scriptoris testimonio demonstratum esse, vulgo omnibus triumphantibus prælata fuisse funalia. Suet. quidem Cæs. XXXVII. scribit, Cæsarem triumphantem adscendisse Capitolium 'ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus.' Sed suspicor in triumpho Cæsaris ideo lumina adhibita fuisse, quod fortassis axis currus, quo vehebatur, diffractus, adscensum in Capitolium moratus, vel quod pompa propter multitudinem rerum, quæ transvehebantur, in serum diei et post occasum solis producta fuerat, antequam Capitolium adscendere posset Cæsar, ita ut necessario accendendæ fuerint faces præluceudi causa. Nam hoc est 'ad lumina,' ut rursum Suetonius Calig. XLV. 'Ad lumina reversus,' de quo Græv. ad Suet. Domit. XVI. Duillius autem sibi ob eam causam hunc honorem videtur usurpasse, quod moris erat peracto epulo triumphali eos, qui triumphaverant, facibus præeuntibus domum deducere: vid. Dion. Lib. XLIII. p. 224. Lipsii conjecturam in Cicerone rejiciunt Dausq. ad Sil. Ital. VI. 668. p. 284. et Gron. III. Obs. 6. Vir non obscurus, de quo hic Freinsh. est Barthius XXXIV. Adv. 9.

§. 11 *Præ tanta victoria leve hujus*] Leviter trajecta vox *hujus*, quam ita restituimus: *Præ tanta hujus victoria leve prælii damnum fuit.* Præ victoria hujus Duillii, leve damnum fuit prælii, altero Consule intercepto. Hoc omnino verum est. Puto etiam distinctione mutata scribendum: *Præ tanta hujus victoria leve prælii damnum fuit, alter consulum interceptus Cornelius Asina.* Salm. Pall. tres repetito pronomine, *præ tanta hujus victoria leve hujus prælii damnum fuit.* Grut. Et sic Ryck. Duisb. Fran. Voss. 2. 3. edd. vett. præter Ald. Perizonius adscripserat, fortassis delenda esse verba *hujus prælii:* nam Cornelius jam ante prælium interceptus fuerat. Non male abessent, si liceret per libros scriptos.

Fuit. Alter] Malim ita distingui: *fuit alter*, ut intelligatur: ipse Cos. fuit damnum; elegantiore sensu. Vide infr. 4, 2, 81. *Freinsh.* Quia τὸ 'fuit' post sequitur denno, N. Heins. conjicit forte Florum scripsisse: *Præ tanta victoria leve hujus prælii damnum, alter consulum interceptus Cornelius Asina.* Mss. Reg. et unus Gudii *præ tanta hujus victoria leve prælii*, ut volebat Salmasius: sed nihil muto. *Græv.* Add. Græv. ad I. 12. 2. Mox Is. Vossius distinctione ante 'fuit' posita legebat, *oppressus, fuit perfidiæ Punicæ documentum.* Begerus recepit conjecturam Heinsii, quod mihi non visum fuit faciendum contra omnes tam scriptos, quam editos libros; etsi eam non improbo.

Cornelius Asina] Naz. liber: *Asina Cornelius:* uterque Pal. cum vetustis Jord. libris, *Sagina Cornelius*, habet. Sed verum hujus Consulis cognomen *Asina.* Sal. *Asina Cornelius*] Sic bene Pal. tres, non ut editi, *Corn. As.*; amant enim scriptores cognomen præponere; nihil frequentius Tacito, nihil Velleio, nihil aliis. *Grut.* Unde autem cognomentum istud Corneliæ genti hæserit, vide apud Macrob. Saturn. 1. 6. *Fr.* Hic quoque Salm. et Grut. non idem scribunt de libris Pall. *Asina Cornelius* e Naz. probarat etiam ad marginem exemplaris sui N. Heins. Et sic Ryck. Toll. Voss. et om. ed. præter Ald. in qua, ut et in Regg. est *Cornelius Asina.* Fran. *a sententia Cornelius.* Cognomina sæpe præponi nominibus gentiliciis jam olim ostendit Manutius ad Cic. II. Ep. Fam. 8. Liv. IV. 14. 'Ahala Servilius:' VI. 18. 'Cincinnatus Quintius:' XXX. 1. 'Pætus Ælius:' XXXIV. 5. 'Coriolanus Marcius.' C. Nep. Att. XVIII. 'Marcellus Clau-

dius,' et 'Scipio Cornelius.' Perizon. Animadv. Hist. c. III. p. 133. putat, Scriptores vetustiores Liv. Cic. et C. Nep. tum fere cognomina præponere nominibus gentis, quum omittunt prænomen. Huic observationi obstant loca quædam veterum, ut Sall. Jug. XXVII. 'L. Bestia Calpurnius.' C. Nep. Hann. IV. 'L. Paullus Æmilius:' et Script. de Bel. Afr. 'C. Crispus Sallustius' ap. Manut. ad Cic. VI. Ep. Fam. 8. Sed tamen in Sallustio et Nepote variat scriptura, et cognomina a quibusdam exemplaribus absunt. In Scriptore de Bell. Afric. fortassis edd. vett. habent *C. Crispus Sallustius.* Sed in omnibus, quas vidi, est *C. Sallustius Crispus,* c. VIII. et XXXIV. Nomina gentilicia itidem prænominibus interdum præponi adnotavit Gronov. ad Liv. III. 1. XXIX. 21. et XXX. 1. Et ad L. Sen. Epist. XL. De cognomine nomini gentilicio præposito idem ad M. Sen. Suasor. VI. in fin.

Qui, &c. fuit] Gruterus mallet abjici voces istas, tanquam a glossa: optimum judicium. *Fr.*

Simulato colloquio] Qua ratione plures etiam decepti. Ariarathes Cappadox, ap. Justin. 38, 1, 9. Artavasdes Armenus, ap. Plutarch. Anton. 67. Tyranni Athenienses, ap. eund. Justin. 5, 10, 9. Kanutus, quem inter sanctos postea retulerunt, ap. Krantzium, Sueciæ lib. 5. cap. 17. quod propemodum etiam Manlio usuvenisset, ap. Liv. 38, 25. et Cæsari, ap. ipsum de Bell. Gall. 1. 46. et Hadingo Danorum regi, ap. Saxonem Sialandum, Hist. Dan. lib. 1. p. 16. m. Adde inf. 3, 11, 9. et Liv. 32, 32, 10. Cornelium quod attinet, Polybius, 1, 21. aliter rem narrat, quamvis alii cum Nostro consentiant, ut Appian. in Libycis. Val. M. 6, 6, 2. &c. *Id.* Add. Polyæn. VI. 16. 5.

Perfidiæ] Quæ in proverbium abiit; quod recenset Erasmus, 1, 8, 28. et Gilbertus Cognatus in append. adagio 35. Simile ei est 'Græca fides,' de quo Erasmus, 1, 8, 27. *Fr.*

§. 12 *Dictatore*] Temere hic a Floro adscribitur dictaturæ A. Atilii Calatini, quod consulatui ipsius tribuendum erat A. U. C. 494. Dictator enim ipse Calatinus suffectus est, in locum M. Claudii Gliciæ, (sive potius Ilyciæ, ut hodie apud Sueton. Tib. 2, 8. legitur) qui scriba fuerat, coactusque abdicaverat, A. U. C. 505. atque in ipsius dictatura nihil memorabile gestum invenio, etsi primus dictator fuerit, qui extra Italiam imperium habuerit. *Stad.* Possit aliquis suspicari scribendum *ducatore:* de qua voce vide Stewech. in Veget. 1, 13. et in Frontin. 2, 1, 4. (quo tamen loco *dictatores* retineam); item Bulengerum de Imp. Romano, titulo de proximis. *Fr.* Non possum probare hanc rationem defendendi errorem Flori. Non potest ostendi vocem 'Ducator' a paullo vetustioribus scriptoribus usurpatam. Nam Tertullianum et eo posteriores nihil moror. vid. quæ adnotavi ad Opusc. de Latinit. Veter. JCtorum. Stewechium, qui eam vocem in Frontinum contra omnes libros intruserat, merito reprehendunt Tennulius et Keuchen.

Agrigento] De locis his omnibus ceterisque Siciliæ, vide descriptionem Siciliæ, quam Phil. Cluver. edidit. *Fr.* Agrigentum captum est a L. Postumio, Q. Mamilio Coss. quatuor annis ante primum consulatum Calatini. Polyb. I. 17. seqq.

Drepanis] Ita v. e. et scripti, præter Reg. Q, in quo est, *Drepane,* pro *Drepano,* quod aliæ Edd. habent. Græci τὸ Δρέπανον, et τὰ Δρέπανα dicunt. Et sic interdum Latini. Servius in Virg. III. Æn. 707. 'Cato pluraliter hæc 'Drepana' dicit.' Et Mss. Livii XXVIII. 41. 'ab Drepanis.' Calatinum in primo Consulatu cum Sulpicio Collega Hippanam, Mytistratum, Camarinam et Ennam, in se-

cundo Panormum cepisse auctor est Polyb. I. 24. et 38. Dictaturam illius non memorat, credo, quod nihil in ea memorabile gessit, ut Zonaras VIII. 15. et Dio Lib. XXXVI. p. 16. scribunt. Aurelius Victor de Calatino c. XXXIX. 'Enna, Drepano, Lilybæo hostilia præsidia dejecit, Panormum cepit.' Sed verosimile est propter continuos trium Atiliorum Consulatus, et victorias, res ab iis gestas confundi. Vid. Pighium ad A. U. 496. Cognomen hujus Atilii in Zonara l. d. et cap. 14. perperam editur Κολλατῖνος, et cap. 11. Λατῖνος, pro Καλατῖνος.

Panormo, Eryce] In Nazariano *Eryco:* In Pal. 2. *Eryca*, et fortasse verum est. Ἐρύκη, urbs Siciliæ. Latine *Eryca*. Nos *Eryco* tamen retinemus. 'Erycus' pro, Eryx. *Sal.* Ryck. liber æque ut Nazar. *Erico*. Græv. *Eryco* hic, et ad II. 12. 5. non placebat Nic. Heinsio, et recte, ni fallor. Begerus tamen putavit sibi licere ita edere. *Panhor mericeli Lybeo* Voss. 2. Ἐρύκη, quam hic memorat Salmasius, est quidem urbs Siciliæ; sed non ea, de qua hic agit Florus, cui Ἔρυξ nomen est. Vid. Holsten. ad Stepb. in Ἐρύκη et Ἔρυξ.

Detraxit] Liv. XXVIII. 41. 'Ab Drepanis atque Eryce detraxisse Amilcarem, quam Italia expulisse Pœnos atque Annibalem, malis?' et XXX. 20. 'Hæc accusans, querensque, ex diutina possessione Italiæ est detractus.'

§. 13 *Circa Camerinensium*] Naz. Pall. Ryck. Regg. Duisb. Fran. Voss. 2. et v. e. *circa Merinensium saltum*. Voss. 3. *circa Metinensium*. Vid. Salm. ad I. 13. 17.

Calpurnii Flammæ] De hoc Plin. 22, 6. Liv. 22, 60. 10. et ejus Epit. 17. L. Ampelius: 'Trecenti sub Calpurnio Flamma contra Pœnos: qui in Siciliensi saltu mortuo exercitu,' &c. legerim, *moritur*. M. Cato, ap. Agell. 3, 7. 'Q. Cæditium' vocat; cl. Quadrigarius 'Laberinum.' Caute igitur Frontin. Strateg. 4, 5, 10. 'Is, cujus varie tradidere nomen.' Dissentiunt etiam in militum numero. Ceterum ante hunc, salvis etiam militibus suis, exercitum Rom. Decius liberavit, Liv. 7, 34. &c. Plin. 22, 5. *Fr.*

Infestum et insessum ab hostibus tumulum] In mentem aliquando venerat, *infestum* hoc loco ex variante lectione natum. Hujus mentis mihi auctor Jord. qui ita hunc locum ex Floro retulit: *Qui lecta trecentorum manu insessum hostibus tumulum occupavit*. Nunc agnosco nihil ex Flori verbis esse tollendum. Non tantum insessus ab hostibus ille tumulus, sed etiam infestus et iniquus fuit Romano. Epit. Liv. Auctor lib. XVII. eamdem hanc rem narrans: 'Attilius Calatinus consul, cum in locum iniquum a Pœnis circumsessum temere duxisset exercitum, M. Calpurnii tribuni militum virtute et opera evasit.' Notandum porro, non insessum ab hostibus dicere illum tumulum, sed circumsessum, in medio quippe hostium situs, ad quem, eruptione per medios hostes facta, capiendum contendit Calpurnius, ut Pœnos in se converteret, et spatium daret cetero exercitui evadendi. Quod non solum ex illo Epitomes loco noscimus, sed etiam ex altero Livii, lib. XXII. ex oratione Manlii Torquati, ubi hæc verba: 'Sicut nobis adolescentibus priore Punico bello Calpurnius Flamma trecentis voluntariis, cum ad tumulum eos capiendum, situm inter medios hostes, duceret, dixit, Moriamur, milites, et morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones.' Non igitur insessus ab hostibus ille tumulus, ut heic vult Florus, sed circumsessus, nec detrudandi hostes ex eo loco fuere, quem non occupaverunt, sed his perruptis vacuus fuit capiendus. Ideo infestum et iniquum dixit illum tumulum, quia eum hostes circumsedebant. *Sal.* *Infestum* a var.

lectione esse putat. Vir doctus in Obs. Misc. Vol. III. p. 134.

§. 14 *Ac sic*] Videntur esse a glossa hæ duæ voces. *Fr.*

Superfuit] Agell. 3, 7. ex Catone; 'Eum inter mortuos defatigatum vulneribus atque spirantem, quod sanguen defluxerat, coguovere; eum sustulere, isque convaluit, sæpeque post illam operam Reip. fortem atque strenuam perhibuit.' Ubi tamen, pro *post illam*, rescribendum putem, *post illa*, hoc est, postea; nisi quis ita malit; *sæpeque post illam operam, &c.* ut sit sensus: Exhibuisse sæpe Reip. utilem operam, post illam, nempe de qua sermo erat. *Id. Superfuit et supervixit*] Alterutrum redundare merito censet N. Heins. et forte *superfuit* eradendum. Dein idem Vir illustris non longe post scribendum censet *serpente latius bello Sardiniam eique annexam Corsicam invasit:* quia *τὸ in* non extet in codice omuium optimo Naz. *Græv.* Lipsii auditor in Edit. Plantin. cancellaverat *supervixit.* In Gellio jam ante H. Stephanus ediderat *post illa.* Hoc adeo non impune ignoravit optimus ac doctissimus Freinshemius, ut Vir celeberr. Jac. Gronov. sibi temperare non potuerit, quo minus ad Gell. l. d. curam ejus vanam vocaret, et non sine indignatione exclamaret; 'Hoc scilicet ignorabant illi proceres literarum, qui Anno 1632. ævum agitabant.' Sed possem profecto, si opus esset, non paucos enumerare, qui suas emendationes vel ab aliis præceptas, vel dudum in vetustis exemplaribus lectas fuisse nesciverunt, et tamen merito inter principes literatorum suæ ætatis habiti sunt, et semper habebuntur. *Hoc illo illustrior noster* Reg. Q. *Hoc illustrior videtur quod* Ryck. Forte *nr;* unde deinde *vr*, pro *videtur*, oriri potuit.

Licet nihil scripserit sanguine] Hallucinatio Flori, qui Leonidæ imprudens attribuit quod erat Othryadis. Nihil enim sanguine scripsit Leonides, cujus saltem restet memoria in veterum scriptis. Sed ab omnibus id de Othryade proditum, Poëtis et πεζογράφοις. Anthologiæ tertio: Ἄρσενι δ' Ὀθρυάδαο φόνῳ κεκαλυμμένον ὅπλον Καρύσσει, θυρέα Ζεῦ Λακεδαιμονίων. Idem in aliis epigrammatis legimus. *Licet nihil inscripserit sanguine*, scriptura est Jord. Codd. Vulgo *scripserit* in Floro legitur, ut Florus scripsit. *Salm. Licet nihil scripserit sanguine*] Camers et Stadius putant Leonidæ tribui, quod Othryadis proprium erat. *Grut.* De Othryade Pausaniam vide 157, 10. Aliter ap. Sen. Consol. ad Marciam 1, 1, 4. 'Cordus libros suos sanguine scripsit.' Me quod attinet, nunquam adduci possum, ut credam ab Auctore potius esse quatuor illa verba, quam ab insulso glossatore. Demus enim potuisse errare in historia Florum, demus etiam voluisse, ut supra 1, 10, 8. ubi Aruntem Tarquinium videtur adulterum facere, ut melius quadret istud: 'quasi adulterum ad inferos usque sequeretur;' at largiri nunquam potero, adeo insulsam sententiam fuisse subjecturum: egregium enim acumen illud et dignum propter quod mutetur in historia aliquid, *licet nihil scripserit sanguine!* quasi hoc novum esset aut insolens, supervivere expeditioni hominem, qui sanguine nihil scripserit. *Freinsh.* Probat sententiam Salmasii, Camertis, et Stadii Grævius in Præfatione, atque insuper addit, importune hic inculcari Leonidam, et stulte cum illo conferri Calpurnium Flammam. Sed hoc quoque sibi defendendum suscepit magnus ille Flori Patronus Begerus, et ita quidem, ut non solum Florum ab omni culpa eximat, sed eam omnem in reprehensores illius conferat. 'Emoriar,' inquit, 'si locum intellexit Grævius.' Adde, quod consequens est, et ante Grævium, Camers, Stadius, Salm. et Freinshe-

mius. ‘ Florus Calpurnium Flammam hic non tantum Leonidæ comparat; sed et Othryadi: illi, quod occupato colle hostem sustinuerit; nam hoc et Leonidas fecerat: huic, quod expeditioni supervixit, non minus ac Othryades. Ut autem non similitudo tantum cum Leonida et Othryade pateret, addit, Calpurnium Flammam Leonida multo illustriorem fuisse, quod supervixerit, scilicet ut Othryades: ab Othryade autem eo distare, quod nihil scripserit sanguine.’ Non est operæ pretium his refellendis diu immorari, quæ adeo inepta sunt, ut vel recitasse ea, sit refutasse. Numquam suis argutiis effecerit hic homo, ut quisquam, cui sanum est synciput, credat verba Flori, ‘ quod superfuit, ac supervixit,’ de Othryade accipienda esse, de quo in superioribus nulla erat facta mentio. Si quis nunc vel Latino vel alio quocumque sermone scribens ita loquatur, ut Florum loquutum vult Begerus, non dubium est, quin eum pro stipite et mortalium omnium insulsissimo, qui nec quid dicat, nec quid dicendum sit, ipse sciat, habituri sint non docti modo, sed etiam omnes, qui vel communi sensu præditi sunt. Equidem nondum sciebam Begerum tam Lynceum fuisse, ut solus ea, quæ omnium aliorum oculos effugerant, et nusquam erant, tamquam in clarissima luce posita videre potuerit. Sed si in Nummis et Marmoribus suis ita omnia vidit, ut in Floro Othryaden, vereor, ne multa in iis viderit, quæ neque ibi, neque usquam alibi sunt. Nec recte institnit comparationem inter Calpurnium et Othryaden. Nam Calpurnius vulneribus curatis post illa sæpe Reipubl. utilem operam præstitit: Othryades autem supervixit ille quidem pugnæ, sed mox post erectum, et sanguine suo inscriptum tropæum, vel e vulneribus, vel sua manu obiit: vid. Herod. I. 82. Stob. Serm. VII. et Suid. in Ὀθρυάδης. Quod autem scribit Begerus, ‘ se emoriturum, si Grævius locum Flori intellexerit,’ de eo nihil habeo, quod dicam; nisi nec rem literariam, nec famam Begeri multum detrimenti capturam fuisse, si ante emortuus fuisset, quam ei in mentem venerat, hæc et alia hujusmodi ad Florum scribere. Florum non posse absolvi erroris, si hæc ita scripsit, vidit etiam Vir nunquam sine laude memorandus, et Begero multo oculatior, J. Fr. Gronovius, qui in Diatribe ad Statium c. XLII. hanc emendationem proposuit, *hoc illustrior noster, quod expeditioni tantæ superfuit, licet nonnihil scripserit sanguine.* Nempe ostendit *scribere* sæpe poni pro, pingere, ut apud Stat. III. Silv. I. 95. ‘ Scripto viventes lumine ceras,’ et Theb. XI. 514. ‘ Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro:’ aliosque, quorum loca ibi laudantur. Itaque existimat, si legatur, *licet nonnihil scripserit sanguine,* his verbis idem indicari, quod Cato dicit ap. Gell. III. 7. ‘ Calpurnium vulneribus defatigatum atque spirantem, quod sanguen defluxerat, cognitum.’ ‘ Scribere’ dici pro, pingere, etiam Barthius observavit ad Statium. Sed tamen mihi non satis liquet, an ex eo, quod Statius, Plinius, aliique dicunt, ‘ arva sanguine scribere,’ et ‘ imagines scribere,’ recte confici possit, eum, qui multis vulneribus acceptis sanguine perfusus est, itidem posse dici ‘ aliquid sanguine scribere.’ Judicabunt acutiores. Ego prope eo inclino, ut cum Freinshemio putem, hæc verba a quocumque alio, quam a Floro esse: nam incredibile mihi videtur eum potuisse ignorare celeberrimam historiam Leonidæ, quæ, non minus quam Othryadæ, inter præcipua argumenta Declamatorum erat, ut Lucianus auctor est in Rhetor. Præcept. ac nescivisse Leonidam neque tropæum posuisse, neque id sanguine suo inscripsisse. Quod autem Cal-

purnium cum Leonida comparat, id non magnopere reprehenderim. Nam et hoc ante fecerat Cato ap. Gell. l. d. Clar. Withofius Encænior. Criticor. lib. I. cap. 1. culpam omnem a Floro in Interpretes illius transfert, qui non senserint nomen *Othryadæ* excidisse ob similitudinem præcedentium literarum in nomine 'Leonidæ,' et Florum scripsisse dicit, *Thermopylarum et Leonidæ, ac Othryadæ famam adæquavit....licet nihil scripserit sanguine. Licet scripserit sanguine* Pal. 1. et in marg. *sumpserit* eadem manu.

§. 15 *L. Cornelio Scipione*] Effossa Romæ ad portam Capenam est inscriptio, A. Ch. 1616. huc pertinens: Honc, oino ploirume. cet. Vid. infra. Quæ explicantur in vita Peiresk. quam scripsit Gassendus. *Freinsh.*

Serpente latius bello, in Sardiniam] *In* abest omnibus libris. Jordanes etiam legit: *Sardiniam eique annexam Corsicam transit.* Quidam libri: *Cossuram.* Sed *Corsicam* verum est. Sequitur: *ubi et sic Caralæ urbis excidio incolas terruit.* Infruniti correctores *Caralam* hic, et urbem quam nescio sibi somniarunt. Sed illos homines missos faciamus, quorum nobis *οὐ λόγος οὔτ' ἀριθμός.* Optimæ et vetustissimæ Divi Nazarii membranæ, hac etiam in parte corruptæ leviter sunt, sed ita, ut non arduum sit ex illis conjicere veram lectionem. Habent autem: *Olbiæ hic Baleriæ urbis.* Unde verissimam conjecturam eruo: *Olbiæ hic, ibi Aleriæ urbis excidio incolas terruit.* Hic, in Sardinia nimirum, Olbiam urbem expugnavit. Ibi, nempe in Corsica, Aleriam excidit. Ait, Romanos, serpente latius bello, ex suburbana tum provincia in Sardiniam, eique adnexam Corsicam, transisse, et in hac insula Olbiam, in illa Aleriam cepisse. Olbia Sardiniæ urbs. Stephanus varias urbes hoc nomine recensens, ἕκτη, inquit, Σαρδοῦς. At Aleria Corsicæ. In Corsica a Ptolemæo recensetur Ἀλερία κολωνία. Apparet, colonos in eam urbem a Romanis deductos, postquam a Lucio Cornelio expugnata fuit. Notat Epit. Liv. Auctor, 'L. Cornelium Consulem contra Sardos et Corsos et Hannonem Pœnorum ducem feliciter pugnasse.' Quod de hac victoria, et urbium in Sardinia Corsicaque suprascriptarum excidio intelligendum. Vide quanti sit momenti bonos et fideles libros inspexisse. Absque illo Nazariano forte æternum hic locus in mendo jacuisset. Nam ceteri omnes libri, hac parte profligatissimi, nihil fere opis dabant ad extricandam veritatem. In priore Palatino legitur: *Ubi et hic Halen et urbis.* Posterior ita scriptum præfert: *Ubi et hic Baleriæ urbis.* Vetus editio, *ubi et hic. Halenæ.* Correctores porro ex his fecerunt: *Ubi et sic Caralæ urbis.* Proclivius erat facere: *Ubi et sic Valeriæ urbis.* Nam Valeria urbs in Sardinia. Ptolemæo Οὐαλερία πόλις in ea insula ponitur. Sed omnino vera lectio, quam supra reposuimus. Flori codices etiam corrupti fuisse videntur ætate Jordanis, in cujus libris ita descriptum offendi: *Olbiam ibi Aleriæ urbis.* Verius puto, cum sanam in his lectionem reperisset, nec intellexisset, ita mutasse. *Salm.* Alii *in Sardiniam*, sed lectionem nostram om. Pall. v. e. et assensus Gruteri firmant. Nomina vero regionum, ut urbium, sæpe construi Auctoribus, notat Bernegg. ad Justin. 14. 5, 9. *Freinsh.* *In* neque scripti ulli habent, neque editi, præter Ald. et Heinsio quoque delendum videbatur. *Annexamque ei* Pal. 1. Voss. 2. 3. *adnatamque ei* Ryck. *Cossuram* Pall. Magl. Berol. Duisb. Voss. 1. (sed supra script. vel *Corsicam*) 2. et v. e.

Corsicam transit] Corsicæ Aleriæque devictæ extat monumentum, quod vetustate proxime accedit ad Duillianum, inscriptio ad portam Capenam effossa: HONC OINO PLOIRVME. COSENTIONT. R. DVONOR. OPTVMO FVISE. VIRO LVCIOM. SCIPIONE FILIOS BARBATI CONSOL. CENSOR. AIDI-

LIS. HIC FVET A HEC CEPIT CORSICA. ALERIAQVE VRBE. DEDET. TEMPESTATEBVS. AIDE MERETO. Hoc est: Hunc unum plurimi consentiunt Romæ Bonorum optimum fuisse virum, Lucium Scipionem. Filius Barbati, Consul, Ædilis hic fuit. Hic cepit Corsicam, Aleriamque urbem. Dedit tempestatibus ædem merito. Pluribus hunc lapidem veterrimum illustrarunt Jac. Sirmond. et Hieron. Aleander. *Græv.*

§. 16 *Ubi et sic*] Verissimam opinor esse lectionem Lipsii, quam ad Sen. Consol. ad Helviam, nota 84. profert: *Ibi Olbiæ et hic Valeria* (vel *Aleria*) a qua nec Salmasius ad Solin. p. 29. A. longius abit, nisi quod mavult: *Olbiæ hic: ibi Aleriæ:* sed eodem sensu exponit. *Fr. Olbiæ hic, ibi Aleriæ Urbis excidio*] Sic reposui ex emendatione certissima Salmasii, qui secutus vestigia veterrimorum codicum verissime hunc locum suæ restitnit integritati. Sunt hujus lectionis indicia quoque in Ryck. *Ubi et hic Valeriæ urbis excidio.* Nimirum ex ignoto *Olbiæ,* cum forte intercidisset, fecerunt *ubi.* Correctores id dein interpolarunt, et perverterunt. Vetustissima inscriptio temporum istorum indubiam reddit hanc emendationem, quam ipsis Flori verbis subjeci. Sed tamen mallem: *ibi Olbiæ, et hic Aleriæ urbis excidio:* quia veteres libri et editiones: *ubi et sic Caralæ urbis.* Olbia enim est Sardiniæ oppidum, Aleria vero Corsicæ: quamvis non ignorem 'ibi' non semper respondere remotiori, ut nec 'hic' viciniori, ut sciscunt Grammatici. *Græv.* Libri Vineti, *ubi et sic Balariæ,* et *Balearíæ.* Tollius e lib. Flor. nihil adnotarat ad Edit. Græv. 1680. ita ut in eo videatur fuisse *Olbiæ hic, ibi Aleriæ:* e Berol. *ubi et hæc,* e Magl. *ubi et hic,* et adseripserat, *Aleriæ* fuerat in his Mss. Duisb. *Ubi et hic halerie.* Voss. 1. *ubi et hic Haleriæ.* Voss. 2. *Olbiæ hic Baleriæ.* Voss. 3. *hic Valeriæ.* V. E. *ubi et hic halene.* Fran. *ubi et hic Calarc.* Regg. *ubi et hic Caralæ.* Is. Vossii liber scriptus *Olbia hic baleria.* Emendationem Salmasii probat etiam Holsten. ad Stephan. in Ὀλβία. Perizonius malebat, *ibi Olbiæ, hic Aleriæ,* quemadmodum fere et Grævius. Hoc verum esse arbitror. Quum ex *Olbiæ* factum fuisset *Ubi et,* deinde *ibi* abjectum fuit, tamquam perperam scriptum pro *ubi. Hic* autem ponendum esse ante *Aleriæ,* liquet e libris scriptis, in quorum aliis plane ita legitur, in aliis autem pro eo est *sic,* et *hæc.* Reliqui tamen, quod ediderat Grævius ex sententia Salmasii. *Aleriæ* porro, non *Valeriæ* scribendum, recte ex Inscriptione vetusta ostendit Græv.

Mari Pœnos expugnavit] Diu est, cum suspectum habui hoc verbum, *expugnavit.* Quid enim est, *mari Pœnos expugnare?* Nec Latina est, nec proba loquutio. Nazarianus non plana via veritatem ostendit, sed digitum ad eam prorsus intendit, scribendo, *repugnavit.* Quod ego statim arripui ac scripsi, *repurgavit.* Elegans porro nec protritum loquendi genus, *Pœnos mari et terra repurgare,* cum tamen potius dicendum videretur, *mare ac terram Pœnis repurgavit.* Sic lib. IV. etsi in re dissimili ac diversa, 'aurum venis repurgare' dixit. Hæc scripseram, cum et veteres Jord. Codd. consulendos duxi, in quibus plane reperi: *adeoque omni terra et mari Pynos purgavit.* Quæ scriptura vehementer sententiam meam stabilivit. Sed *purgavit* in Jord. falsum est. Nam *repurgavit* omnino scribendum, id est, tanquam purgamenta rejecit. *Sal.* Naz. *repugnavit.* Jordanes *purgavit,* sed lectio vulgata optima est. *Grut.* Adi etiam Indicem nostrum, si lubet. *Fr.* Huic loco non tam salutares manus admovit Vir maximus, quam ei, qui modo præcesserat. *Expugnavit* non est reformandum in *repurgavit,* repugnantibus antiquis libris. Ryck. *adeoque omnes terra marique expugnavit.* Expugnari non tantum urbes

dicuntur, sed et homines, cum debellantur, et vi ejiciuntur ex locis, quæ tenuerunt. Justin. III. 4. de Partheniis: 'Diu per varios casus jactati tandem in Italiam deferuntur, et occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituunt:' occupata arce incolæ expugnantur, hoc est, de possessione urbis et arcis deturbantur. Id. XII. 8. 'Inde Adrestas, Gesteanos, Præsidas, Gangaridas, cæsis eorum exercitibus, expugnant.' Idem alibi: 'Post multos deinde annos expugnati.' Sic etiam hoc loco omnes Pœni terra marique sunt domiti et expulsi, terra quidem cum Sicilia, Sardinia, Corsica ejiciuntur, mari vero cum victis classibus, et amissis portubus insularum, quos tenuerant, non auderent illa maria navigare. N. Heinsius tamen e Jornandis vestigiis scribendum putat: *adeoque omnes terras maria Pœno repurgavit.* Sic 'repurgare iter' Liv. XLIV. 4. Curt. VI. 6. 'Ac primo repurgari jubet quicquid ingredi possunt.' Id. lib. IV. cap. I. 'Hortum repurgare.' In illo *terras maria, et* subintelligitur. Sic Liv. XLI. 3. 'Terra mari trepidatur.' Auctor Octaviæ vs. 484. 'Nutuque terras maria subjecit tuo.' Ap. ipsum Florum 'Compedibus catenis religavit:' lib. III. c. 19. et lib. IV. c. 2. ut emendabam, 'Vellet tamen auctos honores, opes.' Hæc ὁ πάνυ. *Græv.* Salmasius conjecturam suam repetit ad Tertul. de Pall. p. 172. eamque non obscure probat Gronov. ad Herod. II. 11. Sed adsentior Grævio rectum esse quod in om. sc. et ed. est, *expugnavit.* Pro *terra marique,* quod erat in Reg. Q et ed. Amst. ex aliis sc. et om. ed. vet. restitui *terra, mari,* quemadmodum etiam Gruterus, Freinsh. et Græv. ediderant. Liv. XLIV. 22. 'Qua terra, mari, subvehantur commeatus.'

§. 17. *M. Atilio*] Ultra ea quæ supradicti scribunt, lege Agell. 6, 3. et 4. Auctor. de Vir. Ill. cap. 40. August. Civ. 1. 15. Val. M. 1. 1, 14. et 9. 2, 1. ext. Frontin. 2. 3, 10. Lege Sil. 6. 301. et Horat. Carm. 3, 5. Cic. Off. 1. 13. et in Paradox. Plura congessimus Civitatis 1. 15. et 24. *Cam.* Hunc Regulum sæpius eximie prædicat Seneca. *Fr.* Add. Columell. I. 4. Naz. Duisb. Ed. V. et B. *Atilio,* quod admisi: nam ita hoc nomen in lapidibus et nummis scribitur. Et sic supr. I. 20.

Navigabat bellum] Sic et Cic. Vid. Freinsh. in Ind. Plin. Paneg. XII. ap. Rupertum: 'Quum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat.' Stat. VII. Theb. 808. 'Bellum fluitans,' pro navali. Burm. ad Petron. CXXIII.

Qui ipso Punico maris nomine] Restituenda lectio vetus: *Punici maris nomine.* Nam male in veteri editione *Punico* legebatur. Meliores libri constanter *Punici* retinent. Jordanes: *qui in ipso Punici maris nomine.* Sal. Non esse temere N. Heinsius observavit, quod ap. Jorn. legitur: *qui in ipso Punici maris nomine deficerent.* Naso: 'Nomine in Hectoreo pallida semper eram.' Sic alibi idem aliique poëtæ. *Græv.* *Deficere* absolute pro, animum despondere, abjicere. Cæsar II. B. C. 31. 'Neque tanti timoris sum, ut ipse deficiam.' Auctor Bell. Afr. c. XI. 'Ne illi propter suorum paucitatem et hostium multitudinem metu deficerent.' Similiter Petron. c. LXXVI. et Suet. Vitel. XV. Alibi sæpe 'animo deficere.' Ita Cæs. VII. B. G. 30. I. B. C. 19. II. 43. et III. ult.

Tribuno Mannio] Nomen hujus Tribuni ita varie conceptum in scriptis libris, ut arduum sit aliquid certi ex illa varietate statuere, libris præsertim Livii deperditis, unde hæc sumpta. Nazarianus: *Nautrio.* Pal. duo: *Naurio.* Jord. libri: *Natio.* Forte *Nautio.* Nautiorum familia nobilissima. Sed otii penuria prohibet plu-

ribus hæc discutere, quod alias, si Deus faverit, facere statui. *Sal.* Libri Vin. *Nannio* et *Naurio.* Reg. F, Toll. Fran. et Duisb. *Naurio.* V. E. *Maurio.* Voss. *Nautrio.* Ryck. plane ut volebat Salmasius, *Nautio.* In his nihil certi est; sed ut supr. I. 20. libri quidam habent *Macilio* et *Matilio* pro *M. Atilio;* ita et hic *Mannio,* quod est in Reg. Q, et vulg. potuit scribi pro *M. Annio.*

Navigandi fecit audaciam] Hoc loquendi genus non est quod nonnemo admiretur, et suspectum habeat. Sic *facere dolorem* Cic. Epist. ad Octavian. 'Nulla enim remedia quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quæ sunt salutaria.' Idem ad Att. IX. 8. 'Sed augeo commemorando dolorem, et facio etiam tibi.' Sic 'mirationem facere:' II. de Divinat. *Græv.* Liv. XXI. 56. 'Aliis timor hostium audaciam ingrediendi flumen fecit.' Id. XXIX. 34. (quem locum adnotarat N. Heinsius,) 'Quum timoris simulatio audaciam hosti faceret.' *Districta* hic habent plerique sc. et om. ed. pro quo scribendum est *destricta,* ut in Voss. 1. et 2. auctoribus Viris doctiss. qui semper 'destringere' et 'destrictus' dicendum volunt, quum de gladiis ac telis sermo est. Ad eos, quos laudavit Drakenb. ad Sil. XVII. 164. add. Lambin. ad Cic. III. in Catil. I. et ad Horat. I. Carm. 35. vs. 39. Græv. ad Cic. II. Off. 7. et III. 31. In Pandect. contra sæpe scribitur *destringere,* pro *distringere,* i. e. distrahere: v. Brisson. de V. S.

§. 18. *Ventis remisque*] Pal. 3. ac 2. *mox de ventis remisque,* 1. *mox dein deventis:* superscriptumque *denique.* Sed fingendum potius erat *mox deinde ventis.* Grut. Ita Jordanes. Salm. quædam adscripserat, quæ non satis legi poterant; sed videbatur voluisse *mox dein ventis.* Ryck. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et om. ed. *de ventis.* 'Ventis remisque' proverbium, pro omni conatu et festinatione. Idem est 'remis velisque.' Vid. Erasm. in proverb. *Remis velisque,* et Modium Novantiq. Lection. Epist. XLI. Cic. XII. Ep. Fam. 25. 'Atque inde ventis, remis, in patriam omni festinatione properavi.' Possent ibi suspecta esse hæc, *omni festinatione,* tamquam interpretationis causa adscripta. Sed nihil tentandum arbitror contra libros vett.

§. 19 *Clypea*] Ryck. *Clupeia.* Livio, aliisque 'Clupea.' Vid. Cellar. IV. Geog. Ant. 4.

Quasi arx et specula] Quæ et tuebatur loca vicina, et prospectum in mare præbebat, utpote in colle posita. 'Specula' pro loco edito, e quo prospectari possunt omnia circumjecta, obvium est apud Florum et alios: v. Freinsb. in Ind. Cic. IV. Ep. Fam. 3. Virg. VIII. Ecl. 59. IV. Æ. 586. et Catul. Carm. LXVIII. vs. 32. *Procurrere* sic quoque Virg. V. Æ. 204. 'Infelix saxis in procurrentibus hæsit.' Mela III. 2. 'A Garumnæ exitu latus illud incipit terræ procurrentis in pelagus.' Et Min. Fel. c. IV. 'In altum procurrentibus petrarum obicibus:' ubi vid. Gronov. 'Trini laterum procursus.' Av. Festus de tribus promontoriis Siciliæ ap. N. Heins. ad Ov. XIII. Met. 724. quo loco idem *excurrere* dicit Ovidius: 'Intrant Sicaniam: tribus hæc excurrit in æquora linguis.'

§. 20 *Nec cum hominibus, sed cum monstris quoque*] Reg. Q et Jord. *Nec cum hominibus modo, sed:* quod adripuit Aldus, ac deinde secuti sunt Camers et Stad. Est a correctoribus, qui ignorabant in his sæpe desiderari 'modo,' 'solum,' 'tantum,' ut dudum docuerunt Ant. Augustin. II. Emendat. I. Cujac. IX. Obs. 17. et XIV. 11. et Scalig. ad Varr. III. de R. R. 9. Add. Gronov. ad Liv. XXVIII. 11. Idem ostendit Stewech. de Partic. Ling. Lat. e Cic. pro Sext. c. XV. pro Planc. c. II. et IV. in Verr. 61. Duo-

bus posterioribus locis variant libri. Sed in ultimo malim cum Grut. illos sequi, a quibus abest *modo*, quam cum Turnebo, Lambino, et Græv. eos, qui id agnoscunt.

Miræ magnitudinis serpens] De qua Agell. 6. 3. Val. M. 1. 8, 19. ext. Plin. 8. 14. cxx. pedum longitudinis fuisse, pellemque ejus et maxillas usque ad bellum Numantinum, hoc est, 115. annis, Romæ in templo durasse testatur, eamque balistis tormentisque, ut oppidum aliquod, expugnatam. *Stad.* Vide Liv. Epit. 18. Obsequent. cap. 29. Adonis Chronic. sub anno 4446. *Fr.*

Bagradam] Ita libri Vineti, Toll. Duisb. Regg. et v. e. Ryck. *Bargadam.* Fran. *Bragradam.* Voss. *Bragadam*, quod etiam in Naz. et Pall. videtur fuisse: nam Salmasius ad Edit. Gruteri, in qua est *Bragadam*, nihil ex iis adnotaverat. Bochart. Chanaan. I. 24. scribit, nomen hujus fluvii, quod aliis est 'Bagrada,' in Pompon. Mela, Silio, et Floro esse 'Bragada.' In Melæ plerisque Mss. se invenisse *Bragada*, in quibusdam etiam *Bagrada* adnotavit ad Melam. I. 7. Perizonius: et *Bragada* ibi fere habent Edd. veteres. Silii libri vulgati itidem *Bragada*, pro quo N. Heins. ad Sil. VI. 141. e scriptis reposuit *Bagrada.* Vid. Cellar. Geog. Ant. IV. 4.

§. 21 *Quum terrorem nominis sui*] Vetus quidam liber: *terrorem in omnes sui circumtulisset.* Quæ minime mihi arridet lectio, nec mutatam velim, aut rejectam, quæ edita est, cum et melior sit, et plures habeat fautores libros vetustissimos. *Sal.*

Aut cecidisset, aut haberet in vinculis] Jord. legit: *aut cepisset.* Cui consentiunt omnes Flori calamo scripti libri. Quam, qui volet, etiam lectionem asserat. Mihi ut non respuenda videtur, ita nec vulgata mutanda. Nam credibile est, non alios habuisse in vinculis Regulum, quam quos ceperat. Nisi dicimus, multos, quos ceperat, dimisisse, et ita locum haberet illa Jordanis et librorum veterum γραφή. Sane consensum hunc librorum parvi pendere non possum, nec dubito quin verior sit lectio, *cepisset.* Sic enim hæc procedunt: *cum magnam vim juventutis, ducesque ipsos, aut cepisset, aut haberet in vinculis.* Prius ad prius refertur, secundum secundo convenit. Ita enim accipiendum, ac si scripsisset: Cum magnam vim juventutis cepisset, ducesque ipsos haberet in vinculis. Multos ex juventute captivos abduxerat, ducesque habebat in vinculis. Solos duces in vinculis habitos significat. *Sal.* Hist. de Bell. Afr. cap. 26. 'Principes civitatum aut interfici, aut in catenis teneri.' *Fr.* Ryck. non recedit ab aliarum membranarum scriptura, quæ constanter omnes, *ducesque ipsos aut cepisset*, quod belle tuetur Salm. 'Magna vis juventutis,' sunt multi milites. 'Juvenes' sæpe milites dici olim Viri docti monuerunt. *Græv.* In vulgata scriptura non pejor, ac fortassis melior est sententia. Et potuit primo prave scribi *cedisset*, ac mox *cepisset.* Quæ Is. Vossii sententia videtur fuisse: nam scripserat *cepisset* pro *cedisset.* Sed quum in omnibus aliis scriptis, excepto Voss. 3. et Edd. V. B. S. et J. invenerim *cepisset*, id relinquendum putavi; quod et ante Begerus fecerat.

Jam ipsam belli caput Carthaginem urgebat obsidio] Ryck. *et jam ipsam caput belli Carthaginem urgebat obsidione.* Leg. *etiam ipsam caput belli Carthaginem urgebat obsidione. Obsidio* non repudiem, quod 'obsidium' aliis in locis apud Nostrum etiam occurrat. *Græv.* In Ryck. est *etiam jam ipsam*, in Voss. 3. *et ipsam*, in aliis scriptis, in Jord. et v. e. *jam ipsam*, in reliquis olim impressis *etiam ipsam.* Et sic ediderunt Amst. de quo non magnopere contenderim: nam prima syllaba ex *etiam* potuit absorberi ab

ultima vocis præcedentis. *Caput belli* transpositis vocibus habent etiam Regg. Flor. Fran. et Magl. et ex editis B. S. et J. *Obsidione* etiam e Pall. scripserat Salmasius. In ceteris scriptis et ed. vet. est *obsidio*, qua voce non recentiores modo Scriptores, verum etiam Ennius, Cælius, Varro, et Sallust. usi sunt. Vid. Merul. ad Enn. p. 614. *Obsidione urgere* autem hic non tam est, munitionibus circumdatis urbem claudere, quam occupatis locis vicinis, et præsidiis dispositis, commeatu privare, et ita includere, ut non facile quidquam eo importari, vel quisquam ingredi egredive possit. Nam Regulus non cum exercitu ad urbem obsidendam accesserat, sed Tuneta occupaverat, unde Carthago conspici, et terra marique infestari poterat, ut Polyb. I. 30. Sic C. Nep. Alcib. IV. 'Deceliam in Attica munierunt, præsidioque perpetuo ibi posito in obsidione Athenas tenuerunt.' Et 'obsidio' pro custodia ap. Justin. II. 12. XV. 1. et XXXIX. 1. quemadmodum et *obsidere* in Suet. Calig. XLVIII. 'Quod et patrem suum Germanicum ducem, et se infantem tunc obsedissent,' i. e. quasi in custodia habuissent. Naz. et alter Pal. *urguebat*. Hanc antiquam rationem scribendi esse dudum ostenderunt viri docti. Vid. cl. Oudendorp. ad Lucan. I. 147. add. Muret. ad Cic. III. Philip. 13. In Pandect. Flor. l. 2. §. 8. Si quis cautionib. in judic. 'nulla necessitate urguente:' l. 15. de Recept. 'Profectio urgueus:' l. 12. §. 14. Mand. 'nec urgueret debitorem suum.' Et plerisque aliis locis in illo libro.

§. 22 *Circumacta*] Mutata, conversa, Freinsh. in Ind. Liv. XXXVII. 16. 'Circumagente se vento.' Respicit fortassis ad effigiem Fortunæ, quam rotæ insistentem pingebant Romani. Vid. Broekh. ad hoc Tibulli I. 6. 34. 'Versatur celeri Fors levis orbe rotæ.' Plin. VIII. H. N. 9. 'Circumactus rotarum.' Liv. XLII. 42. 'Circumagetur hic orbis.' *Paulum* Ryck. Toll. Voss. Duisb. et edd. vett. excepta prima.

Insignia] Non sunt quæ supr. I. 10. 'monstra virtutum,' ut Freinsh. in Ind. Sed documenta, et argumenta, ut 'insignia morbi' apud Horat. II. S. 3. 254. Nam 'insignia' proprie sunt signa et indicia, quibus aliquid noscitur, et ab aliis discernitur.

Cujus fere magnitudo] Vide supra, 1, 13, 8. inf. 3, 18, 13. *Fr.*

§. 23 *Xanthippum*] Orosius, 4, 9. Xanthippum hunc, regem Laced. cum auxiliis accitum scribit: quod verum esse, præterquam quod Auctores non adsentiunt, ideo etiam non puto, quod non ita solebant Spartani. Ap. Justin. 4, 4, 6. 'Syracusani auxilium a Lacedæmoniis petiverunt. Mittitur ab his Gylippus, solus quidem.' Sic Archidamus Tarentinis missus; sic aliis alii. Qua vero ratione Regulum Xanthippus vicerit, memorat Frontin. 2, 2. 11. ubi vide. Item Diod. 22, 12. *Id.* Appianus in princ. Punicor. Carthaginienses a Lacedæmoniis ducem petivisse, et ab his Xanthippum missum tradit. Nec multo aliter in Epit. Liv. XVIII. Contra Polybius I. 32. nihil aliud, quam unum e mercenariis in Græcia conductis, Lacedæmoniumque et Laconica disciplina imbutum fuisse, ac rei militaris mediocrem usum habuisse auctor est. Et Aur. Vict. c. XL. mercenarium militem vocat. Scio, quid adnotaverint Stewech. ad Veget. III. pr. et Jac. Gron. ad Polyb. l. d. nec lubet quærere, utrum verba Polybii de mediocri usu, an summa peritia rei militaris sint accipienda. Sed ex tota narratione Polybii, cui ego in his magis credo, quam recentioribus, liquet, Xanthippum neque imperii causa a Carthaginiensibus arcessitum fuisse, neque imperium ullum, quum Carthaginem venit, habuisse. Cic. III. de Off. 26. et Val. M. I. 1. 14. scribunt,

Regulum ex insidiis captum fuisse. Polybius nullam insidiarum mentionem facit.

Tum fœda clades] Ita Ryck. Toll. Duisb. Fran. Voss. et v. e. idque etiam Vin. in suis, et Grut. in Pall. videntur invenisse. Nam uterque edidit *clades*. Jord. quoque legit *clades*, sed locum ita incrustavit: *fœdaque clades, Romanisque usu incognita. Nam vivus.* In aliis olim editis est, *vincimur cum fœda clade, Romanisque usu incognita. Vivus:* quos sequuti sunt Camers et Stad. *Tum fœda clade, R. u. incognita, vivus* maluerunt Freinsh. et Græv. Et ita Regg. Probo sententiam Tollii ad Auson. IX. Epist. vs. 38. ita distinguentis, *Tum (fœda clades, Romanisque usu incognita) vivus.* Est enim perpetuus mos Floro, ita per exclamationem orationi quædam interponere, ut ostendit Toll. Et sic quoque voluisse Perizonium, ex eo intellexi, quod adscripserat locum Flori e III, 19. 7. Retinui tamen distinctionem, quam inveni in Ryck. Duisb. et v. e.

Par tantæ calamitatis] Ita Jord. et Naz. libri. Uterque autem Pal. *calamitati.* Nec aliter legendum, quamvis aliter visum sit Grut. nostro. Ridiculum enim censeo, componi Regulum cum calamitate quasi gladiatorem. Par fuit illi calamitati, quem non infregit illa calamitas. *Sal. Calamitatis*] Ita v. e. quod cur non probem? cum accedat Ms. Vin. et Pal. 1. ac 2. nec non Jordanes. Vulgatur passim, *calamitati:* quod quidem et in Pal. 3. at alterum componit Regulum calamitati, tanquam athletam, aut gladiatorem. *Grut. Calamitatis* etiam Ryck. Toll. Voss. 2. 3. et Duisb. ceteri s. et edd. *calamitati.* Sed Heinsius, Ryck. et Periz. malebant cum Salmasio *calamitati*, nempe ferendæ: quod et usitatius est. Nam non facile 'par' hac significatione cum genitivo invenias. Gruteri interpretationem probat Freinshemius in Ind. sed ea longe quæsita est. Paullo post Fran. et edd. vett. præter primam, *carcere fractus est.*

§. 24 *Diversa*] I. e. contraria, Freinsh. in Ind. Ita sæpe etiam ap. alios. Vid. G. Canter. I. Novat. var. Lect. 10. et Gron. ad Sen. II. de Ira 23.

Ne pax fieret, ne commutatione captivorum reciperetur] Melius quod est in Naz. et Jordaneis: *Ne pax fieret, nec commutatione captivorum reciperetur.* Lege etiam: *commutatio.* Sal. *Ne pax fieret*] Liv. 22. 23. 5. *Fr.* Aut legendum cum Salmasio *commutatio*, aut *in commutationem*, ipse nimirum Regulus, *reciperetur.* Sic ille ap. Sil. lib. VI. vs. 475. Hæc est N. Heinsii de hoc loco sententia. *Græv. Nec*, quod pro *ne* repositum vult Salm., neque in scripto ullo nisi in Fran. neque in edito ante Vin. et Stad. invenio. Sed receperunt etiam Grævius, Beger. et Amst. Nec male convenit huic loco, et postrema litera propter eamdem sequentem facile potuit omitti. *Commutatio* e scriptis Florent. et Voss. 1. habent, et edd. antiquæ post primam omnes, etiam Camertis et Stadii, item Begeri et Amst. Reliqui scripti, E. V. Vineti, Grut. Freinsh. et Grævii *commutatione.* Hoc retinendum censebat Periz. et potest ferri. Nam Carthaginienses Regulum Romam miserant ea conditione, ut, si sibi captivi quidam nobiles adolescentes, et boni duces redditi fuissent, Regulo manere Romæ liceret. At hic Reipublicæ non utile esse putavit, ut pro his omnibus ipse unus, et jam senio confectus commutatione facta reciperetur. Ita Cic. III. Off. 26. 27. et Val. M. I. 1. 14. Alii a Carthaginiensibus omnium captivorum commutationem petitam tradunt. Sed vel sic satis recte exponi potest scriptura vulgata.

§. 25 *Voluntario ad hostes suos reditu*] Stupenda sane constantia, et prope sine exemplo, tradere se libidini

eorum quos læseris, cum possis domi securus et honoratus agere! Sed nimirum sensit Regulus, quod Socratem dixisse Epictetus fine Enchiridii significat; 'Occidere me possunt, lædere non possunt.' Quam vocem cum factis imitatus est Thrasea ap. Xiphilin. 'Nero me occidere potest, perdere non potest.' In hac doctrina totus est Seneca de Constantia Sapientis, et de Tranquillitate Animi. *Fr.*

Crucis supplicio] Vide Appian. de Bell. Punic. in Orat. P. Lentul. Item Livii Epit. 18. Simile quiddam huic historiæ legas in Elmacino, p. 148. *Id.* 'Crucem' dicit Florus cum Sen. de Provident. c. III. et Epist. XCVIII. et Silio II. 344. J. Fr. Gronov. existimat, ab his 'crucem' vocari arcam illam clavis ferreis acutis præfixam, in quam Regulum impositum, atque ita enecatum tradunt plerique. Nam 'crux' etiam pro omni gravi supplicio et cruciatu dicitur. Lege illum ad Sen. de Provid. III. Schult. ad Sen. Controv. III. et ad Calp. Flacc. Decl. V. et Drakenb. ad Sil. VI. 539. De genere supplicii, quo a Carthaginiensibus adfectus fuerit Regulus, non idem prodiderunt veteres: sed diris cruciatibus sublatum omnes consentiunt. Hanc omnium consensu receptam opinionem primus oppugnare adgressus est Jacobus Palmerius Grentemesnilius in Exercitat. ad Appiani Punica princ., idque rationibus, ut mihi quidem videtur, non contemnendis, quas, quum liber in omnium manibus sit, huc non transcribendas duxi.

De fortuna triumphavit] Sen. V. de Benef. 3. 'Nemo trecentos Fabios victos dicit, sed occisos. Et Regulus captus est a Pœnis, non victus; et quisquis alius sævientis fortunæ vi ac pondere oppressus non submittit animum.'

§. 27 *Metello Consule*] Sic etiam Eutrop. II. 13. et ex eo Oros. IV. 9. At Polyb. I. 40, confert in annum sequentem, quo Metellus in Sicilia bellum gerebat pro Consule.

Spirantibus altius] Superbis et elatioribus ab re bene gesta. *Altus* sæpe dicitur de superbis. Senec. Epist. CXV. 'Omnes, quos altius incedere vides.' Et Controv. II. 'Altius quiddam superbiusque vultu ipso præferentem.' Flor. I. 26. et IV. 9. *Spirare* et *spiritus* itidem de ferocia et superbia. C. Nep. Dion. V. 'Regios spiritus repressit:' vid. ibi Gebhard. et N. Heins. ad Ov. M. V. 348. Sed utrumque etiam in bonam partem sumitur. Gronov. ad Sen. de Tranq. Anim. c. 1. Schult. ad Sen. Controv. II. et Broekh. ad Propert. II, 12. 53.

Ut nec amplius eam insulam concitarent] Lege primum: *ut ne amplius.* Sic enim legunt optimi libri. Pro *concitarent* divinarat doctiss. Lips. *cogitarent*, optima sane cogitatione. Sic enim etiam supra legerim: *Affectabat autem ut Romanus, ita Pœnus, Siciliam, et eodem tempore paribus uterque votis ac viribus imperium orbis cogitabat.* Conjecturæ Lipsii plane suffragatur optimus ille Divi Naz. liber, qui plane *cocitarent* exhibet: *c* pro *g*: ut in eodem, *cessit* pro *gessit*, *recirare* pro *regirare*, et similia eodem modo scripta, ut multis locis observavimus. Nec aliter olim lectum fuisse in Flori libris ex Jord. colligi potest, apud quem scribitur: *adgredi cogitarent.* Quis non videt illud *adgredi*, additum ab ipso Jord. qui non capiebat usitatum veteribus hoc loquendi genus? *Sal. Ut nec amplius eam insulam concitarent*] Ita edidit diligentiss. Vinetus: nec aliter v. e. aut manuscript. Lipsii, qui rectum censebat dict. cap. 19. *cogitarent*, admodum verisimiliter: proletariæ edd. *ut ne amplius ea insula concitaretur.* Pall. stant a vulgata, nisi quod Naz. habeat, *ut ne amplius eam insulam concitarent*, superscriptumque *vo.* tan-

quam voluisset legi *vocitarent*. Grut. Lipsii lectionem etiam Salmasius probat et stabilit lectione Naz. et Jordanis. *Fr.* Hunc locum, qui corruptus etiam est in Ryck. optime constituerunt ex Jorn. et libris melioribus Lips. et Salmasius, reponentes: *ut ne amplius eam insulam cogitarent:* quos non sequi hoc in loco, eum id sensus desideret et ratio, piaculum sit. *Græv.* Salm. in exemplari suo scripserat in Naz. quoque esse *concitarent*, sed supra *con* scriptum *co*. Reg. Q *ut nec amplius ea in insula concitaretur*. Et sic Edd. B. P. J. et A. nisi quod pro *nec* habent *ne*. Vulgata est in aliis om. sc. et edd. V. et S. sed in Flor. et edit. Sab. *ne*. Eadem varietas est I. 15. 3. et III. 17. 2. Non video maximam causam cur pro *nec* ponendum sit *ne*, quod in uno tantum Florent. erat. Nam 'nec' Florus etiam alibi ponit pro, ne quidem. Vid. ad II. 8. 12. De scriptura vocis *concitarent* in Naz. rursus dissentiunt Salmasius et Grut. Sed non dubitavi cum Græv. et qui post eum Florum ediderunt, recipere *cogitarent:* quod etiam legebatur in Edit. Zevecotii. Flor. III. 10. 16. 'Quasi hic Romanis orbis non sufficeret, alium cogitavit.' Scriptor Bell. Alexand. c. XXXII. 'Quin hostes eo prælio audito nihil jam de bello essent cogitaturi.' Cic. II. in Catil. 9. 'Desinant furere, ac proscriptiones et Dictaturas cogitare.'

§. 28 *Centum circiter elephantorum*] Præter citatos de hac re lege Frontin. 1, 7, 1. Plin. 7. 43. De numero varie scribunt. Plin. 8. 6. dicit fuisse 142. Oros. 4. 8. (et Adonis Chronic. sub anno 4446.) 104. Hoc autem factum est anno 502. ab U. C. Plin. 8. 6. *Cam.* Epit. Liv. 19. item Sen. de Brev. Vit. cap. 14. et Zonar. tomo secundo, 120. captos scribunt: Eutrop. 130. Dionys. 138. Egregiam multitudinem fuisse, quamvis non indicato numero, significat Sidon. Carm. 2, 374. *Freinsh.*

Sic quoque magna præda, si gregem illum, non bello] Scribendum ex veteri ed. et libris chirographis: *sic quoque magna præda, ac si gregem illum, &c.* Id firmat Jordanes, qui, more suo, subtile et breve loquendi genus adtextis suis pannis amplians, scribit: *sic quoque magnas prædas agit, ut si gregem illum, &c.* Sal. V. e. præponit, *ac si gregem:* quod idem in Pal. 2. ac 3. item a manu secunda in 1. sed ea scriptura recepta, perit omnis vis, omnis gratia sententiæ. *Grut.* Ryck. *sic quoque magna præda, ac si gregem illum:* quod ex Naz. probat Salm. sed hic non possum ei suffragari: τοῦ *ac* nullus hic locus est. Sensus enim est: Satis magna præda fuisset, si hos centum elephantes in venatione, ubi complures sæpe capiuntur, non in prælio cepisset. *Græv.* Idem censebat Perizonius. Recte Viri docti ejiciunt *ac*, sententia ipsa postulante: quod et a Magl. Voss. 3. et ab Edd. B. et P. aberat. Et sic Florus aliique utuntur hac quasi formula 'sic quoque,' pro, vel sic, etiam sic. Vid. Ind. et Flor. I. 17. 1. IV. 6. 5. IV. 12. 56. Suet. Cæs. LXX. Aug. XXXIV. et LXXVIII. et Tib. LXV. Scheffero pro *ac si* videtur legi posse *etsi*. Non audio illum. 'Præda' et 'prædari' non solum belli, sed etiam venationis vocabula sunt. Burm. ad Phædr. II. F. 1.

§. 29 *Publio Claudio*] Jord. et omnes libri: *Appio Claudio*. Ita in suis legerat Vinetus. Aliis tamen scriptoribus dicitur 'Publius.' *Sal.* Sic omnes omnium membranæ, sic edd. veter. quippe recentiores *P. Claudio*. Grut. *Appio* est in om. sc. excepto Voss. 3. et e. v. In Ald. *Claudius Pulcher Consul.* In reliquis *Publio*. Etiam in aliis Scriptoribus huic Claudio 'Appius,' non 'Publius' prænomen tribui adnotat Pigh. ad A. U. 504. et librariorum errori adsignat, quibus celebre prænomen 'Appii' in

gente Claudia notius erat, quam 'Publii.'

Ibi statim classe demersa, ubi] Liv. 19, 2. Plin. 2, 21, 5. De auspiciis contemptis vide etiam Tac. H. 1, 89, 4. Inter cetera, quæ de vindicta Deorum observarunt veteres, annotarunt etiam, locum sceleris et pœnæ eundem sæpe fuisse, ut certius appareat, non casu tales evenisse clades, sed in ultionem delictorum. Exempla sunt compluria, quæ tamen omnia intelligas ex uno isto ap. Joseph. 13, 19. ubi sanguis Aristobuli fortuito effunditur loco eodem, qui fraterno cruore rubebat. Etiam nobile est Achabi et Nabothi. Plura vide ap. Lactant. 2, 8. Leunclav. Annal. Turc. p. 74. Val. M. 1, 1, 19. Dion. lib. 51. pag. 513. Pausan. p. 102. pr. *Fr.* De facto Claudii Suet. Tib. II. Cic. II. de N. D. 3. et Val. M. I. 4. 3. Simile quiddam ex Liv. refert Serv. in Æn. VI. 198. quod mihi suspectum est, tamquam ex hac historia fictum, vel male descriptum.

§. 30 *Apud Ægimurum*] Vide Diodor. 22, 12. Liv. Ep. 118. Polyb. 1, 37, 39. *Fr.* Observat hic Stadius neminem præter Florum prodidisse A. U. 508. quo Cos. fuit Fabius Buteo, a Romanis classem in Africam missam, mariqne cum Pœnis pugnatum fuisse. Hoc verum videtur. Et Romanos tum ne classem quidem habuisse cognosci potest e Polyb. I. 55. et 59. Nam quod Piglius ad illum annum putat, verba Flori de classe privatorum, de qua ad A. 506. scribit, accipienda esse, id non magnam veri speciem habet: nec probabile est, Consulem Pop. Rom. classi privatorum præfuisse, et Polybium, qui omnes pugnas navales, et naufragia classium Romanarum adcurate recenset, hanc victoriam et naufragium classis eorum præteriturum fuisse. Vix dubito, quin hoc quoque inter errores historicos Flori referendum sit.

§. 31 *Opulenta præda classis*] Ut Virg. dixit, Æn. I, 451. templum Junonis, 'Donis opulentum et numine Divæ.' Vin. Liv. XXXV. 1. 'Opulentum prædæ exercitum:' ubi plura Gronov.

Omnium imperia gentium, insularum littora implevit] *Imperia* hic locum non habet si attendas: nam *præda implevit omnia imperia gentium*, est, ditavit omnium gentium imperia. Sed hoc stulte diceretur: præterea præcedens copula in verbis 'Africam et Syrtes' hic aliam postulat copulam, si Latine velimus loqui. Videtur igitur Florum scripsisse, *Africam, et Syrtes, et omnium ripas gentium, et insularum littora implevit:* ut in IV, 11. *ripam* quoque pro littore posuit, in ejusdem fere sententiæ loco: 'Mille aliarum gentium spolia in ripam assidue mota ventis maria removebant.' *Grav.* Tollius pro *imperia* conjecerat *promontoria*, vel *promontoriorum;* credo, quia paullo post dicit Florus 'omnibus promontoriis;' vel denique *in circa*. In scriptis nihil est subsidii; sed *imperia* omnino corruptum videtur. In margine Ed. Plant. adscripta erat conjectura sub nomine Lipsii: *omnia imperitia regentium insularum litora.* Non tam conjectura, quam audacia reprehensione digna est, quod id in contextum intulit. Lucretius II. 560. in descriptione naufragii, 'Per terrarum omneis oras fluitantia aplustra' memorat. Si hic indulgere vellem conjecturis, quales sæpe proferri video, unde prima syllaba in *imperia* oriri potuerit, et quid ex eo, quod illa sublata superest, fieri possit, fortassis viderer alicui reperisse non, quod pueri se in faba clamitant, et facerem exemplo virorum bene de re literaria meritorum, in quorum commentariis in Justinum vix ulla pagina est, in qua non hujus generis aliquid legatur. Sed abstineo; nec credo ita curari posse hunc locum. Eruditiss. Marklandus in Epist. Crit. ad Fr.

Hare p. 38. desperatum hunc locum egregia conjectura emendat: *Africum et Syrtes, et omnium in eo mari jacentium insularum l. i.* Mihi quoque in mentem venerat *mari;* sed quum cetera non æque expedire possem, tacere malui.

§. 32 *Interceptam tempestate victoriam*] Sic Vinetus, sic v. e. et recte: vult enim eo tolerabilius damnum, quod a vi majore provenisset, non ab hostibus. Ante cusi, *intercepta temp. victoria*, quod solum hæret in Naz. *Grut. Interceptam t. victorium* est in om. sc. 'Triumphum' dicit pro spoliis victoria partis, et in triumpho ferendis. Vid. Freinsh. in Ind. et I. 18. 25. *Perisse* Flor. Berol. Ryck. Duisb. Fran. et v. e. Shefferus merito dissentit a Freinsh. qui ad n. 33. probat *intercepta victoria.*

Insulisque frustrarentur] Leve est, sed tamen monitu dignum, scribi debere, *frustarentur*, non *frustrarentur.* Aliud est 'frustrari,' aliud 'frustari.' Hoc a 'frustum,' illud a 'frustra.' 'Frustarentur' autem est, frustatim discerperentur et lacerarentur. *Frustratim* perperam in Nonio legitur, pro *frustatim;* eodem errore, quem hoc loco castigamus. *Salm. Frustrarentur*] Ita v. e. ita Pal. 2. ac 3. nam 1. *frustarentur:* quod non nemini placebit; imo plerisque, imo omnibus, nisi quibus nullus acutorum gustus: hactenus vulgati non habuerunt illud *frustrarentur*, sive malis *frusturentur*, in quibusdam vero erat ejus loco *allisa.* Grut. Illud *frustarentur* etiam Salmasius et Lindenbrog. in Marcellin. malunt. *Fr.* Bene Salm. hunc locum sanavit, rescribens *frusturentur.* Sine sensu legitur in omnibus editis et scriptis *frustrarentur.* Triumphi ille speciosus apparatus periit quidem mari tempestate, sed tamen cum magna populi Romani dignitate, quia præda hæc frustatim ad omnia promontoria et insulas appelleretur, et passim in littora ejiceretur, ut incolis esset argumento, quantam prædæ vim Romani ex Africa deportarint. Non aliter scripsit Florus. Quid est *frustrantur prædæ promontoriis et insulis et fluitant?* At 'frustari' præda in promontoriis dicitur, cum præda frustatim in promontoria a mari evomitur. 'Frustari' est vox μονήρης, quales apud omnes scriptores antiquos reperiuntur. Sed N. Heinsius repudiat et rejicit hanc vocem, et Florum scripsisse censet: *insulisque eructarentur et fluitarent.* Sic lib. IV. cap. 11. 'Mille aliarum gentium spolia in ripam assidue mota ventis maria revomebant.' De h. l. copiosius in Adversariis acturum se promittit. Reposui etiam ex Ms. Gud. et vet. Ed. *et sic triumphavit.* Græv. Lindebrog. ad hæc verba Am. Marcell. XXXI. 2. 'Tunica... non ante deponitur aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluxerit defrustata,' adnotat ex ejusd. Ammiani XX. 2. 'Defrustandæ Mesopotamiæ opitulari,' e Gloss. Vett. '*Concisus*, frustatus,' et e Sidonio IX. Ep. 9. 'Maxima ex magnis capita defrustans.' Et sic se jam olim hunc locum Flori restituisse dicit, quum ante Gallicanam Ed. legeretur *frustrarentur.* Potuit ei eodem tempore in mentem venire hic emendandum esse *frustarentur*, quo Grut. et Salmasio: nam Ammianus illius eod. anno 1609. prodiit, quo horum Florus. Sed Gallicanam Ed. Flori, in qua legatur *frustarentur*, non vidi. Libri scripti et v. e. habent *omnibus promontoriis insulisque frustrarentur et fluitarent.* Sed a Voss. 2. absunt verba *et fluitarent*, a Regg. tantum *et.* Jord. Junt. et Ald. *o. p. insulisque fluitarent.* Beroald. Sab. et Parv. *omnibus insulisque fluitarent.* Camers porro ita corrupit *amnibus insulisque fluitarent.* Et Stadius *o. p. insulisque allisæ fluitarent.* Is. Vossius adnotaverat: 'Vide, num melius *flustrarentur*, i. e. flustris jactarentur:

nam tempestates desinunt in flustra.' Sed 'flustrari' multo etiam insolentius est, quam 'frustari,' et fortassis nusquam legitur. Sed et sicubi legatur, non videtur id significare, quod vult Vossius: nam 'flustra' dici, 'quum in mari fluctus non moventur, quam Græci μαλακίαν vocant,' scribit Festus. *Frustrarentur* autem, quum hic nullum sensum habeat, nihil melius est, quam, quod pro eo Docti reposuerunt, *frustarentur*, idque etiam Daumio placet de Caus. amissar. Ling. Lat. Radicum cap. xx. et Demstero ad Rosin. v. 32. *Eructarentur* multis confirmat N. Heius. Lib. III. Adversarior. Cap. 11. quæ non ita pridem cura cl. P. Burmanni Jun. lucem viderunt. Pro *promontoriis* Fran. *promunctoriis*, Duisb. et V. E. *promuntoriis*. Et sic omnino scribendam esse hanc vocem volunt Turneb. XIII. Adv. 18. Is. Voss. ad Pomp. Melam I. 13. Idemque et Jac. Gronov. ita semper in Mela ediderunt, et J. Fr. Gronov. in Liv. XXI. 35. quem etiam vid. ad Liv. XXVIII. 5. Eadem scriptura est in Salmasii Ms. Suet. Aug. XVII. In Notis Tironis Fol. XI. col. 1. et XVII. 7. *Promunctorium*. Dausqueius in Orthograph. 'Promuntorium per u quum præcipit Turnebus ludos se facit.' Non fecit se ludos Gronoviis, Is. Vossio, et Cellario, nulla re Dausqueio inferioribus.

Populus Romanus triumphavit] Vetus excusum, ut scimus indicio magni Viri, nam illam editionem non vidimus, voculas adjicit: *et sic triumphavit*. Scripserim: *at sic triumphavit*: ita in Jord. legitur, qui Florum verbatim descripsit. Nec aliter optimus Nazarianus habet. *Sal. P. R. et sic triumphavit*] Eleganter; sciasque esse a primogenia editione, quam firmavit majestas cod. Naz. Hactenus defuit libris vulgatis *et sic:* cui tamen non levis inest vis ac gratia. *Grut.* Porro quæ mea de toto hoc loco sit sententia, non verebor subjungere: nam ita scribendus videtur: *Magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate, intercepta tempestate victoria, et triumphum periisse naufragio, et tamen cum Punica præda omnibus promontoriis insulisque frustarentur et fluitarent, Populum Romanum et sic triumphasse.* Fr.

§. 33 *Lutatio*] Ita recte Toll. Duisb. Regg. Voss. Jord. et v. e. Et sic duo nummi ap. Beger. ad h. l. et Inscriptiones vetustæ. Vid. Sigon. ad Liv. XXI. 18. et XXX. 19. Pigh. ad A. U. 511. et Drakenb. ad Sil. VI. 687. *Luctatio* perperam Ryck. et alii impressi.

§. 34 *Propugnaculis*] De propugnaculis navium Stewech. ad Veget v. 14. et Scheffer. de Milit. Nav. II. 5.

Quod ipsum exitio fuit] Adde Liv. 22, 14, 15. Polyb. 1, 60. Ceterum classem expeditam, levem, promtam, utiliorem esse, quam quæ armis, commeatu, exercitu, propugnaculisve nimis onusta est, notat Stewechius ad Veget. 5, 7. Sic inf. 2, 8, 25. Antiochi apparatus præpeditus magnitudine sua: et 4, 11. 5. Antonianis navibus 'ipsa moles exitio fuit.' Adde Berneccer. ad Suet. Aug. 17, 7. *Fr.*

§. 35 *Quodam genere castrensis*] Paucis et circumcisis sarcinis, quemadmodum solent esse milites in castris. *Ryck.* Sen. ad Helv. c. XII. 'Militantes quotam partem rerum suarum secum habent? cum omnem apparatum castrensis disciplina submoveat.'

Ad similitudinem pugnæ equestris] Homerus naves vocat *equos marinos*, ἁλὸς ἵππους, Odyss. Δ. vs. 708. In pugna ad Actium 'erant Cæsariani equitibus similes, modo inruentibus, modo se recipientibus,' &c. Dio lib. 50. in fin. Hoc autem est 'ad similitudinem equestris pugnæ,' ut Noster loquitur, nempe 'sumptis tergis et

redditis,' quod est in Sallust. Fragment. quibus adde Arrian. pag. 62. d. Eustath. ap. Rader. in Curt. pag. 112. f. Nautam *aurigam* vocat Auctor veteris versus ap. Charisium: 'Typhin aurigam celeris fecere carinæ.' Sic Varro Marcipore: 'Hic in ambivio navem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam conducerent loco.' Ov. Tr. I, 3, 117. 'Aurigam video vela dedisse rati.' *Fr.* Vid. supr. ad n. 8. Poëtæ multa a re equestri et vehicularia transferunt ad navalem. Sic navem vocant 'equum ligneum,' 'currum,' 'vehiculum,' 'planstrum;' et 'frænare navem,' et 'habenas immittere navi' dicunt. Adi Muret. I. Var. Lect. 11. Stat. et Voss. ad Catull. Carm. LXV. vs. 9. Sciopp. Verisim. II. 12. Gatak. Adv. Misc. II. 17. et Gron. ad Sen. Med. v. 2. Sed apud Historicos non temere talia reperias. Et hic sufficiebat, pugnam navium Romanarum similem fuisse equestri, quod etiam Dio de classe Augusti dicit, sed omittens declamatoria et turgida illa, quæ hic adpingit Florus.

§. 37 *Excindendis hostium mœnibus*] Malebat N. Heins. *excidendis hostium mœnibus.* Græv. Recte Heins. Et sic Ryck. Toll. Duisb. Voss. Fran. Jord. et om. ed. etiam Camertis, Stadii, et Vineti. Grut. unde acceperit *excindendis*, quod etiam Freinshemio placuit, non scio; nisi fortassis e Pall. nam Salmasius e solo Naz. adnotarat *excidendis.* Regg. *exscindendis.* Et sic Edd. Grævii et Amst. Sed verum est *excidendis.* Virg. II. Æn. 637. 'Abnegat excisa vitam producere Troja.' Et XII. 762. 'Excisurum urbem minitans.' Vellei. I. 12. 'Statuit Senatus Carthaginem excidere.' Justin. XX. 'Exciso Ilio.' In Virgil. quidem II. Æn. 637. Germanus et Cerda maluerunt *exscissa.* Sed Pierius nullam varietatem scripturæ adnotavit e libris suis. *Excidendis* hic bene revocarat Begerus. 'Exscindere urbem' recte quidem dicitur. Sed non est recedendum a libris sine causa.

Carthago] Vide supra, I, 1, 9. *Fr.*

CAP. 3 Quæ hoc capite continentur, scribunt Epit. Liv. 20. Eutrop. 3, 1. Oros. 4, 11, et 12. August. Civ. 3, 9. *Cam.*

Bellum Ligusticum] Optimæ Nazarii membranæ habent: *Bellum Ligurium.* Sic sane et 'Ligurius' lapis a Liguribus dictus, apud quos inveniebatur, Theophrasto teste. Λιγύριον Græci vocant, quod aliis Λυγκούριον, quasi sit Lyncis urina. Josepho et aliis vetustissimis auctoribus vocatur Λιγύριον, a Liguribus populis. Potest et legi: *Bellum Ligurum.* Nam et 'Liguros' infra dixit pro Liguribus. *Sal.* Naz. *Bellum Ligurium.* Ms. Gudii *Bellum Liguricum.* Græv. *Liguricum* etiam Reg. F. *Ligoricum* Voss. 1. *de bello Ligurico* Pall. 'Ager Ligusticus' apud Plinium et alios: 'Ligustinus' in Liv. XXXI. 10. et XXXII. 31. 'Liguscus' in scriptis exemplaribus Varronis I. de R. R. 18. et III. 9. et 'Ligustus' II. 5. Vid. Victor. et Scal. ad Varr. I. de R. R. 18. Et sic omnibus his locis erat in scripto, quem contulerat Politianus, cujus variantes lectiones ab Eruditissimo Brencmanno ex Italia ante aliquot annos adlatas, ante, quam in Germaniam mitterentur, ubi tandem post longas moras publicatæ sunt, vidi. De titulis capitum vid. supr. ad I. 8. et 19.

§. 1 *Porta Jani*] T. Manlium Torquatum, C. Atilium Coss. nominat Cassiodorus; Torquatum et Bulbum, tabulæ Græcæ. Qui posterior in Orosio perperam Bubulcus, ut in Eutropio Balbus, appellatur. Ambo enim adducunt hos Coss. veluti etiam Plutarchus Numa cap. 35. et libro de fortuna pop. Romani cap. 16. scribunt enim, his Coss. templum Jani Romæ clausum fuisse; id quod post Numæ tempora non contigerat. Adstipulantur Livius 1, 19, 3. Vel-

leius 2, 38, 4. et D. Augustin. Civ. 3, 9. annotantes etiam, quam brevis illa a bello quies et pausa malorum fuerit. Hæc ex Annal. Vinandi Pighii sub Anno Urb. 518. Vide infra 4, 12, 64. Emendandus hac in re Varro de L. Lat. lib. 4. p. 40. f. 'Tertia est Janualis dicta, ab Jano, et ideo ibi positum Jani signum, et jus institutum a Numa Pompilio, ut scribit in annalibus L. Piso, ut sit clausa (vet. cod. *aperta*) semper nisi cum bellum sit. Nusquam traditum est memoriæ,' &c. Turnebus rejicit lectionem vet. cod. quam ego genuinam puto, et sic legendum et distinguendum: *ut sit aperta semper, nisi cum bellum est nusquam. Traditum est mem.* Fr. *Clausa porta Jani fuit*] Ita Naz. quem nunc sequutus sum post Freinsh. et Græv. Ryck. Duisb. Fran. et v. e. *clausa Jani porta fuit.* Utrumque concinnius, quam quod in Voss. et al. edd. est, *fuit porta Jani*, et in Toll. ac Regg. *porta fuit Jani. Jam* quod in Regg. ante 'porta' erat, puto e vario situ vocis 'Jani' in Mss. ortum esse.

2 *Ligures*] Non cum his solum, verum etiam cum Sardis, Corsis, Istris, et Illyriis bellatum est inter primum et secundum bellum Punicum. Liv. XXI. 16. Vid. Pigh. in Annal.

Sic de sub Alpibus] Legendum unica voce: *desub Alpibus, id est, desub ipsis Italiæ faucibus gentes.* Non aliunde memini antiquiorem hoc Floro auctorem, in quo 'desub' reperiatur compositum pro simplici, sub. Frequens hujus præpositionis sic compositæ mentio occurrit in fragmentis Agrimensorum veterum: 'Desub monte,' 'Desub lapide,' et similia. Sic 'desuper' dixerunt pro, super. *Sal.* In Auctoribus Rei Agrar. p. 224. 'Habet de sub se campum extensum,' et p. 226. 'De sub rivo.' Fulgentius Mythol. III. 6. 'Lucernam de sub modio ejecit:' vid. ibi Muncker. et Salm. ad Capitol. Macrin. c. XI.

Ne rubiginem] Liv. 39, 1, 1. de Liguribus: 'Is hostis velut natus ad continendam inter magnorum intervalla bellorum Romanis militarem disciplinam erat: nec alia provincia militem magis ad virtutem acuebat,' &c. Add. Justin. 7, 2, 6. *Fr.* Tibull. I. 11. 50. 'Militis in tenebris occupat arma situs:' et alii ibi ap. Brœkh.

§. 3 *Denique ita quotidiani hostes*] Scripsimus reponendum esse, in notis, *denique utrique quotidiani hostes:* idque recte scripsimus: sed cum tres hic gentes enumeret Alpium incolas, Ligures, Insubres Gallos, et Illyrios, et tria seorsum bella tribus capitibus ex illis constituat, Ligusticum nempe, Gallicum, et Illyricum, miror quare dicat, *utrique hostes:* scio, nos olim, Ligures et Insubres Gallos conjunxisse, et per *utrosque*, Ligures sive Insubres Gallos, et Illyrios, intellexisse: nunc aliter censemus: *utrique* igitur sunt Ligures et Insubres, qui quotidiani hostes erant Romanorum, et quasi ἐπὶ θυρῶν adstabant Romanis. Illyrii, ut paulo remotiores, non ita assidui et quotidiani. Stephanus noster, ut alii nonnulli, Gallos Insubres, modo Κελτικὸν ἔθνος appellat, modo Ἰταλικόν. Idem de Liguribus. Hoc nobis olim imposuerat. *Sal. Denique utrique*] Ita Pall. tres, et e. v. quam scripturam Salm. etiam probat. *Fr. Denique quotidiani* Reg. F. *denique utrique quotidiani* alii om. sc. E. V. et Junt. At Beroald. et Parv. *denique itaque quotidiani. Denique ita quotidiani* videtur esse a Sabellico, quem sequuti sunt Aldus, Cam. Stad. Vin. Grut. et nuper Amst. Credo eo offensos esse, quod putabant non recte dici *utrique*, quum paullo ante tres populi memorati fuerint. Sed hanc difficultatem tollit interpretatio Salmasii, quam probabat Perizonius. Et hoc verius puto, quam quod alii Viri docti existimarunt Florum *utrique* de tribus dicere, quorum sententiam etiam adoptarat

Tollius. Loca Flori II. 11. 5. et IV. 12. 9. nihil eos juvant: nam in priore 'utrique' dicitur de duobus: posterior autem haud dubie corruptus est.

Tirocinia militum] Liv. IX. 43. mutata forma orationis, 'Malo tirocinio imbuendum Samnitem.'

Nec aliter utraque gente, quam quasi cote quadam] Optimi libri, omissa voce *quam*, habent tantum: *quasi cote quadam*. Unde legerim: *nec aliter utraque gente quam si cote quadam*. Atque ita in Palatinis. *Sal.* Ryck. prorsus ut Salm. ex Naz. conjecit: *nec aliter utraque gente, quam si cote quadam:* sed *quam* alii libri non agnoscunt. *Græv.* Non intelligo quæ sit sententia in eo, quod vult Salm. quod etiam in Toll. Duisb. Regg. Fran. et v. e. est, *nec aliter u. g. quam si cote quadam*. 'Non aliter quam si' satis usitatum est; sed hic habere locum non potest. Nam semper adjunctum habet verbum aliquod subsequente alio verbo in subjunctivo: ut ap. Ov. I. Tr. 3. 73. 'Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam.' Similiter 'non secus quam si.' Vid. Stewech. de Partic. Ling. Lat. Nec animadverto, quid vitii sit in vulgato, *non aliter quam quasi cote quadam*. 'Non aliter quam cote quadam' Latina oratio est: eam autem non vitiat adjecta particula 'quasi,' quæ durioris et audacioris metaphoræ molliendæ causa addi solet, et idem significat, ac quod aliter effertur 'ut ita dicam.' Vid. Manut. ad Cic. III. Ep. Fam. 2. Naz. non habet, quod scribit Græv. sed *nec aliter u. g. quasi cote quadam*. Et sic etiam aliæ Edd. vett. quod et ipsum ferri potest. Vid. inf. ad c. 13. n. 13. hujus lib. *Quasi* desideratur in Voss. 1. *jam si* Voss. 2. et correctum *sicut*: *quam quasi* Voss. 3. et Vineti, Grut. et aliorum post eos edd. quos sequutus sum. Causam omittendo τῷ *quam* potuerunt præbere non multum dissimilia compendia notarum, quibus scribuntur *quam* et *quasi*, quæ etiam in Ryck. Duisb. et V. E. exstant. Quæ in nota Grævii post verba 'cote quadam' leguntur, ex Amst. ed. sunt, pro quibus in aliis legebatur, 'sed vulgata non est movenda.'

Quasi cote quadam] Scilicet, ne per otium torpesceret manus aut animus. *Fr.* Hic quoque Begerus arrogantiæ ac temeritatis accusat Grævium, qui in Præf. ausus fuerit notare hoc genus loquendi Flori, 'acuere ferrum virtutis,' tamquam intolerabile. Dixerat Græv. 'Hoc non sani esse hominis non sanus juret Orestes.' Begerus contra: 'Sed sani esse, juret sanus.' Oportet ergo alterutrum illorum dubiæ sanitatis fuisse, quum ita scribebant. Sed audiamus Begerum: 'Ferrum,' inquit, 'hoc loco non pro rudi *metallo*, sed pro *gladio* sumi, ut communiter, idemque proinde significare ac, *aciem virtutis*, quis non videt? Virtutem *fortitudinem* significare, nemo opinor, negabit. Quidni igitur, instrumentum fortitudinis fortitudini jungere licuerit, ut allegoria sibi constaret, cotique ferrum responderet?' Hæc quam sana sint, existimabunt alii. Ego nondum video in iis ullam vim ad evertendum judicium Grævii inesse. Primum dicit ferrum esse aciem, nec animadvertit minime adcuratum esse 'acuere aciem:' neque enim acies ipsa acuitur; sed ferrum ut aciem accipiat, et acutum fiat. Deinde, quam frigidum et hoc est, 'instrumentum fortitudinis licere jungi fortitudini,' et ob id recte dici 'ferrum virtutis?' Hoc enim perinde est, ac si quis lapides, stipites, sudes, sagittas, hastas, et alia instrumenta pugnarum et fortitudinis fortitudini ac virtuti jungat, et 'lapides,' 'stipites,' 'sudes virtutis' ac 'fortitudinis' dicat: quæ neque usquam leguntur, neque, ut opinor, dici potuerunt. Vidit quidem Begerus insolentiam hujus phraseos; sed nihil hac re motus

eam objecturis ita occurrit. 'Sed insolitum hoc est. Insolitum; sed tamen Floro Scriptori Romano usurpatum: qui proinde, quod eo tempore viveret, quo Latina lingua adhuc vigebat, nescio an a nobis, qui Romanorum in his discipuli sumus, sine arrogantiæ et temeritatis nota possit culpari.' Ac denique, ut etiam facetus videatur, hanc disputationem dicto Germanorum claudens interrogat, 'an ovum sapientius velit esse gallina?' In his, ut sine circuitione dicam, ne mica quidem salis est. Nam quid absurdius esse potest, quam existimare omnes, qui florente aliqua lingua scribunt, semper adcurate et cum judicio loqui? Multi ante Florum, quum adhuc purior et simplicior erat sermo Latinus, nec tam corruptum judicium scribentium, Latino sermone scripserunt, et tamen a Cicerone, Quintiliano, aliisque reprehensi sunt, quod alia vix Latine, alia pueriliter, inepte, ac turgide scripserant. Nunc quidem non habemus eam notitiam sermonis Latini, ut omnia, quæ usus illius tulerit, sciamus, aut de iis tamquam e tripode respondere possimus. Sed qui sibi diligenti lectione optimorum Scriptorum aliquem usum illius compararunt, et mediocri facultate judicii præditi sunt, non difficulter intelligunt, illa, quæ ipsa natura rerum copulari non patitur, quæque a communi consuetudine loquendi abhorrent, non magis Latino sermone recte potuisse dici, quam eadem nunc a quoquam, sermone patrio sibique vernaculo scribente, sine reprehensione dici scribive possunt. In Floro autem esse quædam hujusmodi, et orationem ejus, contra quam stilo historico convenit, sæpe plus quam poëtico tumore turgere, dudum judicarunt Scaliger, Voss. Salm. et quidquid ubique fuit Doctorum. Quæ omnia si quis tamquam cum judicio scripta defendere, aut sermonem Flori pro norma bene loquendi proponere velit, is quidem genuinus est pullus Flori, id est, ex eorum genere, quos infelicibus ovis natos dicit Juvenalis. Ego malim discipulus esse Livii, cui eamdem rem scribenti insana illa metaphora Flori uti non placuit. Vid. verba illius ad n. 2.

§. 4 *Ligures*] Hos trans Alpes ad Rhodanum usque occupasse olim Galliam Narbonensem, itidem ut a Varo, qui Galliæ et Italiæ terminus erat, ad Arnum Italiam constat: quare impedite admodum noster et obscure de bello Ligustino tradidit, dum scribit, bellatum cum Liguribus, qui in Italia inter Varum et Macram flumen habitant, quo loco Ingauni et Intemelii ab aliis censentur; utpote qui maritima a Nicæa ad vada Sabatia habitarunt; quando paullo post, dum enumerat Ligustinos bello subactos, eos quoque cum istis confundit, qui trans Alpes ultra Varum partim mediterranea, partim maritima, in Gallia Narbonensi habebant; 'Deceates' enim ad Vari ostia, 'Oxybii' istis orientales, ad oram Gallici maris habitabant, estque ibidem portus 'Oxybius,' a vicina ejusdem nominis gente dictus Straboni, lib. 4. 'Euburiates' autem Plinius citra Alpes in Liguria numerat: nam quod 'Salyes,' sive 'Salvios,' hic etiam aliquot exemplaria recensent, mendum esse credibile est: Salvios, enim bello Allobrogico, et primos trans Alpes arma Romanorum expertos, et tunc primum in ditionem a C. Sextio Calvino redactos, Florus, 3, 2, 3. Strabo, lib. 4. p. 140. testantur. Epitoma Livii, 61. addit, victa Salviorum gente C. Sextium coloniam 'Aquas Sextias' condidisse; triumphasse autem constat de Salviis, anno 631. *Stad.*

Imis Alpium jugis] Ryck. *Ligures in viis Alpium jugis adhærentes:* leg. *Ligures inviis Alpium jugis adhærentes*, quod et excerpta veteris alius libri confirmant. Invia juga Alpium, in

quibus degebant Ligures, dicuntur, quia habitabant in dumetis, et montibus sylvis inviis obsitis, sive quas nulli transierant exercitus et transire difficulter poterant. Hinc statim dicit majorem fuisse laborem illos invenire, quam vincere, et illos tutos fuisse locis, quæ incognitas latebras appellat: sic n. Mss. pro vulgato *Ingauni tandem Fulvius latebras.* Sed N. Heinsius censet, si quid mutandum sit, rescribi rectius, *Ligures primis Alpium jugis adhærentes.* A Varo enim flumine Alpium statuere iuitium Florum, ut alios scriptores, finem ad Arsiam flumen: quare et inf. cap. v. 'Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam Titiumque flumen.' Vides Liguribus prima Alpium juga assignari, Liburnis extrema. Sic et Plin. lib. III. cap. 19. de Alpibus. Alii scriptores a mari infero ad superum eos extendunt, ut Mela. *Græv.* *Primis* malebat etiam Burm. ad Ov. XV. M. 548. Freinshemius in Ind. *ima juga Alpium* interpretatur, non ita excelsa, si comparentur cum aliis. Quæro auctoritatem aliorum, qui sic dixerint *ima juga montium.* Perizonio placebat scriptura libri Ryck. quam Tollius pessimam esse adscripserat, eo quod Florus paullo ante dixerat, Ligures habitare 'de sub Alpibus.' Sed hoc leve est, et levius etiam, quod adferebat e Floro IV. 12. 6. Liber Ryck. hic non est contemnendus. Nam et Livius sæpe memorat *saltus invios* ac *devios*, in quibus latitarent Ligures: XL. 27. 'Qui hos ipsos Ligures aliquoties pecorum modo fugientes per saltus invios consectati ceciderunt.' Ibid. 'Quem, scrutantes antea devios saltus, abditum ac latentem vix inveniebamus:' et cap. 53. 'Q. Fulvius Cos. profectus in Ligures per invios montes vallesque saltus cum exercitu transgressus.'

Adhærentes] Propert. II. 23. 17. 'Illic adspicias scopulis hærere soores.' Vid. ibi Passerat. et supr. ad I. 13. 15. adnotata.

Invenire] Infra, 3, 8, 6. de Balearibus: 'Dilapsi in proximos tumulos, quærendi erant ut vincerentur.' Adde, 3, 10, 14, et 15. et Tac. Agr. 34, 3. *Fr.*

Tutum locis] *Tuti locis* est vetus et vera lectio. Ita etiam distinguimus: *Tuti locis et fuga, durum atque velox genus, ex occasione latrocinia magis quam bella faciebat.* In Jord. legas: *tuti siquidem locis.* Illud *siquidem* est ipsius Jordanis. *Sal.* *Tuti*] Sic Pall. tres, editioque vetus, non *tutum*, ut postea editi. *Grut.* Vellei. de Rhætis et Vindelicis: 'Gentes locis tutissimas,' &c. *Fr.* *Tuti* etiam Regg. Toll. et Duisb. Recte: vid. Gron. ad Liv. XXIII. 26.

Durum atque velox genus] *Durus* pro eo, qui duro generi vitæ adsuetus, qui malorum ac laborum patiens est. Virg. III. Æn. 94. 'Dardanidæ duri:' v. Æn. 730. 'Gens dura atque aspera cultu:' IX. Æn. 468. 'Æneadæ duri,' i. e. ut ibi Donatus, durantes in labore. Sic de Scythis Justin. II. 1. quibus etiam IX. 2. virtutem animi, et 'duritiam corporis' tribuit. De Liguribus quoque Virg. II. G. 168. 'Adsuetumque malo Ligurem.' Tac. II. H. 13. 'Nec capi poterant, pernix genus, et gnari locorum.' Et Liv. XXVII. 48. 'Durum in armis genus.' 'Genus' pro gente, ut ap. Liv. et Tac. Vid. Ind. Græv. ad Lucian. Macrob. p. 467. et Gron. II. Obs. 3.

Magis latrocinia quam bella] Hæc sæpe opponuntur. Vid. Ind. et Wass. ad Sall. Jug. CII. Add. Liv. XXXVIII. 32. et Vellei. II. 31. Liv. II. 48. 'Ex eo tempore neque pax, neque bellum cum Veientibus fuit; res proxime formam latrocinii venerat. Legionibus Romanis cedebant in urbem: ubi abductas senserant legiones, agros incursabant; bellum quiete, quietem bello invicem eludentes:' et de Liguribus XL. 27. 'Ab Liguribus latro-

nibus verius, quam hostibus justis.' In Naz. Ryck. Toll. Duisb. Fran. et v. e. *latrocinia magis quam bella.* Et ea positura verborum fere semper Livius. Recte quoque Begerus e Cod. Berol. *faciebant.* Et sic Florent. et Jord.

§. 5 *Diu multumque*] Strabo lib. 4. p. 140. 'Romani bello per XXC. annos tracto, vix obtinuerunt, ut XII. stadiorum amplitudine publica via pateret,' &c. *Fr.*

Multumque eluderent Salyi] Reperio *eluderet*, in omnibus veteribus. Iidem, *saltus* non *Salyi.* Facilis mutatio τοῦ 'Salyus' in 'saltus.' Mihi constat numero singulorum hanc periodum concepisse Florum. Itaque scripserim: *Itaque cum diu multumque eluderet Sulyus, Deciates, Oxybius, Euburiates, Ingaunus, tandem Fulvius latebras eorum, &c.* In optimo libro, *Euburiatas* pro *Euburiates* legitur: et *Incognitas* pro *Ingaunus. A* pro *u* perpetuum in illis membranis, ut in aliis quas vidimus: scripserat Florus, *Ingaunitas* vel *Ingonitas*, hoc est Ἰγγαυνίτης: ut *Euburiatas*, Εὐβουριάτης: aliis dicuntur 'Ingauni,' non 'Ingaunitæ.' *Deciates* est Δεκιάτης. Alias *Deciatæ* scribendum fuisset. Ita de ceteris. Stephanus noster: Δεκίητον, πόλις Ἰταλίας, τὸ ἐθνικὸν Δεκιῆται, ὡς Ἀρτεμίδωρος ἐν α' γεωγραφουμένων. Galliam vocarunt veteres, et Græci præcipue, totum illum Ligurum tractum, ut et ipsi Ligures, Insubres Galli dicti. Italiam tamen etiam appellarunt Cisalpinam illam Galliam Romanorum. Qui Σάλυες Græcis, hi sunt 'Salyi' vel 'Salui' Latinis. Jordani in vetustis membranis, *Saluvii;* ut 'Saus,' 'Savus,' 'Draus,' 'Dravus,' sic 'Saluus,' 'Saluvus,' et 'Saluvius.' Jordanes corruptissimus est in vulgatis editionibus hoc loco, quem liceat emendare ex iis, quæ heic diximus. Stephanus in voce Σάλυες, Σάλυες, inquit, ἔθνος δυτικὸν, πολεμῆσαν Ῥωμαίοις, ὡς Χάραξ ἐν δεκάτῳ χρονικῶν. Potuit ita scribere Stephanus. Nam illæ nationes, ut et tota Italia plane δυτικὴ est. Sed omnino corrigendum Λιγυστικόν. Nos de istis alibi pluribus. Scripti Jord. Codd. nulla littera minus hunc locum sic præferunt: *cum diu multumque eluderent Saluvii, Decilates, Oxunii, Buriates, Ingauni.* Numero multitudinis horum nomina populorum extulit, quos Florus singulariter expressit. Ingaunorum Ligurum non rara mentio ap. Liv. occurrit; qui et Apuanorum Ligurum et Intemeliorum insuper meminit, qui heic non nominantur. *Sal.* Repræsentare libuit lectionem Vineti: variantes lectiones Mss. videantur in castigationibus ejus: v. e. servat: *eluderet saltus detrate: buriates sexule: incognitas tandem, &c.* quæ examinare non est istius temporis, non magis quam Pall. differentias, quorum præcipuus habet: *eluderet saltus, deciute sexubile buriatas incognitas tandem.* Grut. His ex lectionibus (*eluderet*, et *saltus*, unde facilis in *Salyus* mutatio) constare sibi Salmasius ait numero singulorum hanc periodum concepisse Florum: itaque scribere se; *eluderet Sulyus, Deciates, &c.* De Salyis vide inf. 3, 2, 4. *Fr.* Ryck. *Eluderet saltus, Oxubiles, Buriates, Soxulæ incognitus tandem Fulvius.* Pleraque sic etiam in aliis Mss. reperiuntur. Sed vulgata saniora sunt. In hoc vero erravit Florus, quod *Salyos, Deciatas, Oxybios* adscripserit Liguriæ Cisalpinæ, cum coluerint Galliam Transalpinam. *Græv.* Libri scripti fere omnes discrepant. Salm. ita scripserat: *eluderet saltus deciates oxubile buriatas incognitas tandem.*

Fulvius] Æque impeditum hoc est de Fulvio, atque præcedentia: nec enim satis liquet, quisnam Fulviorum, de quo loquitur, fuerit; varii enim Fulvii cum Liguribus bella gesserunt. Propior est conjectura (est enim divinandum, quia rerum cum Ligustinis gestarum historia apud nostrum

Florum impeditissima est, et ab aliis scriptoribus diversa) Q. Fulvium Flaccum fuisse de quo loquitur, qui anno 574. Cos. de Liguribus triumphaverit, etiamsi magis gratiæ, quam rerum gestarum magnitudini datum fuisse Livius, 40, 59, 1. testetur: tamen ipsum per devios saltus, per invios montes, impeditas valles, cum exercitu transgressum: acie hostem vicisse, castris exsuisse, ex collibus in campestrem agrum deduxisse, præsidiaque montibus imposuisse, Livius, lib. 40. 53. testatur. Apuanos etiam Ligures, qui ad Macran flumen habitabant, in deditionem acceptos ad 7000. hominum in naves imposita præter oram Etrusci maris Neapolim transmisit: indeque agrum ipsis inter populares in Samnio dedit. Victos etiam fuisse a Fulvio Nobiliore Ligures Alpinos et Veliates in Capitolinis triumphis extat. Veliates autem inter Cisalpinos Ligures numerat Plin. 3, 5, et 15. *Stad.* In Fast. Triumphal. 'Eleates' vocantur. Vid. Pigh. ad A. U. 695. De bellis cum Liguribus Sigon. I. de Ant. Jur. Ital. 23. et Noris ad Cenotaph. Pis. Dissert. I.

Ignibus sepsit] Jord. *igni sepsit*. Sal. Vide infra, 3, 10, 6. *Fr.*

Bæbius] Cn. et M. Bæbios Tamphilos (aut Pamphilos) fratres cum Liguribus rem gessisse in Consulatu, quorum iste collegam Corn. Cethegum anno 573. ille anno superiore Æmilium Paullum habuerit, ex priscorum monumentis colligo; et M. de Liguribus triumphasse. Apuanos autem Ligures Cornelius et M. Bæbius victos et in deditionem acceptos, e montibus in campestres agros cogunt; traductique sunt ex Liguria in Samnium (eo consilio ne latebras et invios saltus repeterent ad rebellionem) 40000. liberorum capitum cum feminis puerisque publico sumptu, in agrum Taurasinorum, quem de Samnitibus Romani ceperant, vocatique sunt a ducibus isti Ligures Bæbiani et Corneliani, qui in hoc Samnitium tractu a Plinio recensentur; quare de hoc Bæbio loqui Florum verisimile est. Cn. namque Bæbium ad comitia Romam reversum, cum L. Æmilius interea cum Liguribus Ingaunis prospere dimicaverit, testatur Liv. 40, 17, 8. et 40, 38. et Æmilium de iisdem triumphasse Capitolinæ tabulæ produnt, anno 572. *Stad.*

In plana deduxit] Add. inf. 3, 5, 28. *Fr.* Varro Lib. IV. de L. Lat. c. 8. Ed. Gothofr. 'Hi post Cœlii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum.'

Posthumius] Collegam intelligit Calpurnii Pisonis, qui vitricus fuit Fulvio Flacco: quique Pisoni in magistratu mortuo successit, anno 583. etsi tres fuerunt Coss. L. A. Sp. Posthumii qui bellum Ligustinum sortiti fuerint; tamen Livius, 40, 41, 3. de isto diserte refert, quæ ad Flori relationem conveniunt, cum ita inquit: 'Ab A. Posthumio Montanorum Ligurum vineæ cæsæ sunt, frumenta densta; donec cladibus omnibus belli coacti ad deditionem venerunt, armaque tradiderunt.' *Stad.* *Posthumius* recte erat in Ryck. Duisb. Fran. et v. e. vid. ad I. 11.

Ut vix reliquerit ferrum] Inter cetera continendis gentibus inventa, hoc etiam fuit: ut ferro privarentur, nisi quantum agrorum cultus posceret. Ita Philistiim cura effectum est, 'ut non inveniretur ensis et lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule et Jonatha, excepto Saule et Jonatha,' 1. Samuel. 13, 22. Etiam inter conditiones pacis cum Porsena hanc fuisse ex Plin. 34, 14. supra, 1, 10, 2. notatum est. Vide etiam inf. 2, 18, 6. *Fr.*

Cap. 4 De hoc bello scribunt Epit. Liv. 20. Eutrop. 3, 2. Oros. 4, 13. Auctor de Vir. Ill. c. 45. Euseb. Lib. Temp. Plura Plut. Marcello, cap. 7.

&c. Sane in hoc bello P. R. sociorum Latinique nominis 300000. armatorum habuisse dicitur. Epit. Liv. 20. Plin. 3. 20. dicit, equitum 80000. peditum 700000. sine externis ullis auxiliis, atque etiam sine Transpadanis. *Cam.* Lege Polyb. 2. 24. *Freinsh.*

§. 1 *Sed experimento deprehensum est, quippe sicut primus eis impetus*] Hæc invicem non cohærent. Et turbant hoc loco verba ista, *Sed experimento deprehensum est.* Quæ nec cum præcedentibus, nec cum sequentibus, conveniente sensu necti possunt. Gallis, inquit, Insubribus et his Alpium accolis, animi ferarum, corpora plus quam humana erant, hoc est, ultra staturam hominum enormia. Addit statim: *Sed experimento deprehensum est, quippe sicut primus impetus eis major quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum.* Hoc nempe experimento deprehensum est, eos primum impetum habere majorem virili, secundum minorem muliebri. Sic sane intelligendum. Sed ipsa constructio satis sana non est. Hac re motus Vir eruditus, quatuor illa verba turbantia tollebat: *Sed experimento deprehensum est.* Quod si feceris, verba tum cohærebunt, sententia ipsa discrepabit. Gallis, inquit, corpora plus quam humana, animi vero ferarum. Causam deinde subjunget: *Quippe primus impetus eis major quam virorum, sequens minor quam feminarum.* Hoc nihil jam ad bestias, cum ejusmodi feris non solum primi impetus ferocissimi sint, sed etiam sequentes, sed etiam ultimi. Immo multæ ex his in ferrum sponte sua ruunt, nec ante ferociam animorum deponunt aut impetus ardorem, quam exspiraverint. Non propterea igitur hoc illis accidit, ut post primos impetus elanguescant, quod animos ferarum habeant. Nam pleræque feræ tales non sunt. Ceterum placebat etiam eidem Viro docto, verba hæc quatuor retinenti, scribere: *Id experimento deprehensum est.* Sed res eodem recideret. Hic nempe sensus esset: Gallis animos ferarum esse. Idque experientia comprobatum. Quippe primum impetum eis esse majorem virili, sequentem minorem femineo. Inde semper concluderetur, tales feris animos esse. Quod non de omnibus verum est, immo falsum in plurimis. Putem ego potius una syllaba addita, quæ exolevit ob similitudinem præcedentis, scribendum: *Sed id experimento deprehensum est: quippe sicut primus impetus eis major quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum.* Sequens periodus non reddit causam ejus rei, quæ in præcedente continetur, sed eam potius corrigit ab experientiæ documento. Gallis dixerat animos ferarum esse ac corpora majora humanis. Mox se corrigens, experimento deprehensum esse dicit, ex bellis plurimis, quæ cum eis Romani gessere, primos quidem impetus habere belluarum, et majores quam virorum, sequentes vero minores quam feminarum. Hic igitur non habuere ferarum, quæ ad extremum spiritum eumdem servant ferociæ et immanitatis tenorem, haud minus concitatæ secundo impetu quam primo. *Salm.* *Sed experimento deprehensum est*] Si ulla velificaretur aura libri Ms. pronuntiarem quadrigam istam verborum spuriam; quod appareret magis, si *sed* mutaretur in *scilicet:* possunt tamen aliquid habere sensus, si vox prior transformetur in *id*, *&c.* Grut. Mihi sequentia potius supposititia videntur; ipsissima enim verba sunt Livii 10, 28, 4. quæ studioso cuidam, ut fieri solet, promptum fuit in marginem adlinere: quomodocunque enim, retentis istis, mutemus aut interpremur reliqua, nullus sequetur sensus commodus. Itaque quibus ista sententia probatur, ita scribent: *Sed experimento deprehensum est, Alpina corpora*

humenti cœlo educata, habere quiddam simile nivibus suis, quia, &c. nisi cui forte placeat Camertis emendatio, *quod*, pro, *quippe* rescribentis. *Fr.* Est locus turbidus et valde contaminatus. Sententia non cohæret, quocunque te vertas, ut pluribus ostendit ingeniorum princeps Salmasius. Nolo in aliorum emendationibus et interpretationibus longus esse. Mihi videntur posse ad integritatem pristinam hæc verba revocari, si duas voculas in sedem suam, qua exciderunt librariorum culpa, reponas, et sic interpungas: *Sed, experimento deprehensum est, sicut primus impetus eis major quam virorum est, ita sequens minor quam fœminarum: quippe Alpina corpora humenti cœlo educata habent quiddam simile nivibus suis.* Vides nunc omnia liquida esse. Galli, inquit, habent animos et impetum ferarum. Sed, quod experimenta docuerunt, sicut primus impetus est plus quam virorum, sic mox, si perduretur in prælio, remittitur et tantopere languescit, ut videantur esse fœminæ. Nam Alpina corpora facile solvuntur et diffluunt. Rationem nimirum naturalem subjungit, cur tam celeriter impetus ille plusquam humanus languescat. Retinui cum Freinsh. ex Naz. *simile nivibus suis*, quod et Gudianus confirmat repudiata vulgatarum editionum lectione: *simile cum nivibus*, quod ipsa lingua Latina repudiat. Nam Solini locus, quo Salm. utitur, vitiosus est, ut facile legenti constabit, et licet sanus esset et inviolatus, auctoritas tamen Solini non est tanta, ut possit impurum loquendi genus civitate donare. Non magis Latine dicitur ‘simile est hoc cum illo,’ quam tritum vulgo ‘sic comparatum est cum illo,’ quod merito doctissimus Vorstius explosit. Ceterum N. Heinsio sic potius hic locus videtur constituendus esse: *Sed experimento deprehensum (quippe sicut primus impetus eis major quam virorum est, ita sequens minor quam fœminarum) Alpina corpora humenti cœlo educata habere quiddam simile nivibus suis.* Græv. Tractavit etiam hunc locum Is. Vossius ad Catull. pag. 175. et præfatus Florum, si non adfectet, saltem uti obsoletis et inusitatis vocibus, hæc ita reformari jubet: *Sed experimento deprehensum est, quod impes sicut primus eis major quam virorum est.* Addit, se non dubitare, quin etiam inf. IV. 2. 66. ubi vulgo legitur, ‘Nisi quod amplior, eoque acrior Cæsarianorum impetus, fuit,’ reducendum sit vocabulum *impes*, eo quod optimus liber ibi habeat *impos*. Nescio quem optimum librum dicat. Ego nullum librum scriptum laudari vidi, qui ibi habeat *impos*. Sed etsi ibi in omnibus non modo *impos*, verum etiam *impes* scriptum esset, tamen inde non confici posset, hic quoque ita legendum esse. Nam quæ ratio esse potest, cur in hunc locum magis intrudi debeat illa vox, quam in alia loca Flori, ubi itidem atque hic, in omnibus libris legitur *impetus*? *Impes* pro, impetus, est in nonnullis Mss. Flori IV. 12. 54. Sed ex eo non sequitur et hic ad eamdem formam emendandam esse vocem *impetus*. In Grævii animadversione, ubi Heinsii sententiam de hoc loco exponit, credo *est* ante ‘quippe’ per negligentiam typographorum omissum esse: nam Heinsius id in exemplari suo, in quo hanc distinctionem posuerat, non deleverat. Perizonius plane eodem modo in libro suo distinxerat; et pro *habent* e Freinsh. adscripserat *habere*. Grævii conjectura, in qua verba *experimento deprehensum est* accipienda sunt, quasi per parenthesin posita, non adspernanda est; nec tamen ullius Ms. auctoritate firmatur. Camertis, Grut. Salm. et Freinsh. emendationes partim violentæ sunt, partim contortum et perplexum aliquid in oratione et sententia relinquunt. Mihi locus sine ope meliorum codicum non posse

restitui videtur. In Jord. eadem, quæ hic, scriptura est, a qua in hoc solo abeunt Auctor Hist. Misc. III. 3. Urspergensis in Chronico, et (qui auctorem horum verborum falso laudant Eutropium) Bergomeusis ad A. M. 4967. et Nauclerus Generat. LIX. quod pro *quippe* habent *quod*. Sed hoc nusquam ante Plant. Editionem Stadii, quam deinde aliæ quædam sequutæ sunt, inveni; nec valde hic placet, etsi Florus I. 23. 2. eo etiam ita usus est. In his, quæ sequuntur, Auctor Hist. Misc. habet *Alpina enim corpora*, et pro *humenti, humecto;* Urspergensis, *causa autem hæc est, quod Alpina corpora.* Hæc bene conveniunt sententiæ hujus loci: nam causa, cur secundi impetus Gallorum, quamquam iis corpora plus quam humana, animi ferarum erant, tamen minores, quam fœminarum essent, vere hæc erat, quod vasta illa corpora post effusum primum impetum statim in sudorem ibant, quem lassitudo et impatientia laboris sequi solet; quod de Gallis alii quoque testantur: vid. ad Liv. XXXIV. 47. Non male igitur Auctor Hist. Misc. sive de suo, sive quod ita scriptum invenerat, post 'Alpina' addidit *enim*. Nam oratio vel hanc, vel aliam conjunctionem causalem postulat, ut hæc periodus præcedenti apte nectatur, nec plane abrupta sit: quam Grævio quoque causam fuisse puto τοῦ 'quippe' loco movendi, et ante 'Alpina' transferendi. Aliter post omnes Editores Flori tractavit huuc locum cl. Witbofius in Specimine Guntheriano pag. 76. Ex illius sententia hic omnia sana sunt, si pauca quædam, quæ exciderunt, et negligentia describentium omissa sunt, suppleantur. Ea autem affirmat esse duo verba *vinci potuisse*, et his in sedem suam restitutis legi jubet, *sed experimento deprehensum est*, VINCI POTUISSE....*Quippe sicut primus impetus....* Confirmat deinde conjecturam ex ipso Floro II. 6. 54. II. 17. 17. et ex multis aliis scriptoribus, e quibus ostendit loquutionem hanc 'vinci posse,' 'vinci potuisse,' velut ex formula adhiberi. Hoc mihi satis acute et ingeniose excogitatum videtur; sed, quod pace eruditissimi mihique amicissimi Viri dictum volo, nondum video cur conjectura Grævii, qua una modo voce, quam tamen libri scripti habent, in alium locum translata omnia plaua fiunt, postponenda sit huic, quæ nec auctoritate ulla Msstorum adjuvatur, nec mentem Flori, quam recte perspexit Grævius, apertius explicat.

Primus impetus eis major, quam virorum est] Hoc habet ex Liv. lib. X. qui non de Gallis Insubribus id dictum memorat, sed de Senonibus. De his enim ibi loquitur: 'Prima eorum prælia plusquam virorum, postrema minus quam feminarum esse.' Item ibid. 'Gallos primo impetu feroces esse, quos sustineri satis sit.' In eamd. sententiam lib. V. de Gallis in universum pronuntiat, 'Naturam eis animos et corpora magna magis dedisse, quam firma.' *Sal.*

§. 2 *Alpina corpora*] Docent Philosophi locatum consequi locorum conditiones. Hinc ait Porphyrius, locum esse generationis principium, quemadmodum et patrem. Lege Cic. lib. de Fato, cap. 4. Plin. 8. 58. Serv. Æn. 6. 724. Propert. 2. 3. Virg. G. 1. 57. *Cam.* Multa hoc genus congessit Cresollius, Vacat. Autumn. lib. 1. cap. 3. ubi vide. *Fr.* Add. inf. II. 11, 4. et III. 2. 2.

Quiddam simile cum nivibus suis] Melius, ut opinor, in Naz. legitur ac vetustiss. Jordaneis: *quiddam simile nivibus suis.* Sal. *Simile nivibus*] Sic recte Pal. 1. non, *simile cum nivibus*, ut antea cusi. *Grut.* Salm. tamen in Solin. p. 87. e. tueri videtur illud alterum. Certe ita habent Mss. *Fr. Cum* est in libris Vineti, Ryck. Toll. Duisb. Fran. Voss. 2. et v. e. Voss. 1.

quiddam nivibus s. Regg. et Voss. 3. *q. simile nivibus s.* Freinsh. in Ind. e princ. Institution. de publ. judic. adnotat, 'neque omnino quidquam simile habent cum ceteris judiciis.' Est satis inusitatum genus loquendi, etsi non valde dissimilia sunt hæc Sallustii Ju. XIV. 'Uti, quem tu parem cum liberis tuis regnique participem fecisti, is potissimum stirpis tuæ exstinctor sit:' et Cic. I. Phil. 14. 'Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate parem esse cum ceteris, principem dignitate.' Sed hæc non placent Viris doctis. In Sallustio quidem nihil variant libri; sed Gruterus tamen ejiciendum censet *cum;* et Muretus et Græv. ad Cic. adnotant, in Ms. Vat. non esse *cum*, nec Latine dici *parem esse cum ceteris aliqua re.* In Cic. malim sequi scripturam Cod. Vat. Et præpositionem hic omittunt etiam Hist. Misc. Urspergensis et Bergomensis. Sed pro eo, quod Jord. habet, *cum mox caluere pugna*, in illo est, *cum calore primæ pugnæ;* in hoc, *cum mox calore pugnæ;* in Hist. Misc. *cum mox calore exarserint pugnæ.* Sed tamen quæri potest, cur omnino non liceat dicere 'sum hac re par cum aliis,' quum recte dicatur 'hæc res mihi par est cum aliis,' ut ap. Cic. in Bruto LIX.

Ut caluere pugna, statim in sudorem eunt] Sic Liv. lib. XXXIV. 'Mollia et fluida Gallorum corpora esse' dicit, eoque æstus ac laboris intolerantissima. Id. lib. X. 'Gallorum corpora, intolerantissima laboris atque æstus, fluere.' Quod Florus heic interpretatur, 'in sudorem ire,' hoc est, sudore diffluere. Nam fluida et mollia corpora levi labore atque æstu facile in sudorem eunt. 'In sudorem ire,' ut apud Melam, *in maciem ire*, hoc est, macescere: 'Prinsquam in maciem eant.' Apuleius de Deo Socratis: 'Ibit in senectutem,' id est, senescet. Sic ibi legendum nos alio loco docemus. *Sal. In sudorem eunt*] Qualia corpora 'fluxa' appellantur Tac. H. 2, 32, 4. Liv. 10. 28, 4. 'Gallorum corpora intolerantissima laboris atque æstus, fluere.' *Fr.* Melæ locus est III. 7, 45. e quo exscripsit Solinus. Vid. Salm. ad Solin. p. 706. 'In tabem ire,' Sen. ad Marciam c. XI. 'Virtus itura in obscurum,' Id. de Provid. IV. 'Donicum in semen videris ire' asparagum, Cato de R. R. CLXII. 'Ire in lacrymas,' Virg. Æ. IV. 413. Pro *quæ mox* Perizonius scripserat conjecturam Freinshemii *quia mox.*

Laxantur] Diffluunt ac dissolvuntur, ut sole nives: nam 'laxare' est, aperire, adstricta, vel densata solvere. Virg. I. G. 418. 'Ubi Jupiter uvidus austris Densat, erant quæ rara modo, et, quæ densa, relaxat.' Vid. Burm. ad Petron. CXXII. In Fragm. Petronii: 'Quum tepidus laxo manavit corpore sudor.'

§. 3 *Hi sæpe et alias*] Perizonius adscripserat, *tentarunt aliquid*, vel talia. Videtur Florus hoc voluisse, Gallos sæpe quidem etiam aliis temporibus magno terrori fuisse Romanis; sed tum præcipue, quum id, quod dicit, juraverant. Nam et Boii et Insubres se conjunxerant, et magnam vim militum e Transalpinis arcessiverant; quorum tantus terror fuit, ut Romani 800. M. hominum adversus eos armaverint, Polyb. II. 21. et seqq. et Plin. III. 20. Sed verba nimia brevitate ita obscura sunt, ut hanc, vel aliam bonam sententiam ex iis elicere vix queas. In Jord. est: *Hi sæpe et alias, et Britomaro Duce;* quasi Galli non tum modo, sed et sæpe alias idem jurassent. Auctor Hist. Misc. Bergomensis et Nauclerus hæc omiserunt, quia non intelligebant scilicet. Cl. Withofius l. d. p. 78. emendat, *Hi sæpe et alia, sed....*nempe, sæpe alia ejusmodi vota fecerant, sed tunc tale. In Jord. literam *s*, quæ erat prima vocis sequentis *sed*, finii præcedentis 'alia'

adhæsisse, et inde in eo *et* pro *sed* factum fuisse putat. Hoc satis probabile videtur.

Britomaro Duce] *Britamaro* quidam antiqui codd. Hoc ego nomen ap. Polyb. legere non memini, sed alios istorum Gallorum Reges 'Concolitanum,' et 'Aneroestum,' a L. Æmilio victos. *Vin.* *Birto marco*, et in marg. *Britamaro* Duisb.

Non prius soluturos e baltea] Usitatum veteribus, ubi quid efficiendum suscepissent, obstringere se tali voto, quo tanquam assiduo monitore urgerentur ad maturandam rem, quam proposuerant. Germani veteres 'crinem barbamque submittebant,' ut ex Tac. H. 4, 61, 1. et G. 31, 1. liquet: contrarium Argivorum votum, comam non alere, ap. Herod. I. 82. Similia sunt, 'indusium non mutare,' &c. Tale quidpiam est in Act. Apost. 23, 12. &c. Claudian. de Bel. Get. vs. 81. 'Patrii nomen juraverat Istri, Non nisi calcatis loricam ponere Rostris.' *Fr.* Add. ibi Barth.

Factum est] Simile quiddam accidit Amilcari Pœno, Syracusas obsidenti, ap. Diod. 20, 29. et Cic. de Divin. 1, 24. et Val. M. 1, 7, 8. *Fr.*

In Capitolio discinxit] Lege historiæ veritatem ap. Polyb. 2. 34. Multa namque poëtica hic homo interserit et miscet. *Vin.* Stat tamen a Nostro Zonaras, tomo 2. p. 68. 'Æmilius, Boiis superatis triumphans, captivorum principes armatos in Capitolium perduxit: insolentiam eorum irridens, quod se thoraces non prius exuturos jurassent, quam in Capitolium venissent.' *Id.* Sic *discingere* ap. Martial. IX. 104. 'Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo;' quod Auson. Idyll. XIX. 'Threiciam spoliavit Amazona balteo.'

§. 4 *Ariovisto*] Recepi nomen in quod plurima exemplaria consentiunt: nam alias *Ariobisto* scriptum est, indicante Grutero: v. e. habet *Arioiusto*, quod et in Pal. Naz. *Ariovito*. Pal. 2. *Arnovito*. Vineti Mss. *Ariovicum*. Jord. *Ariobistum:* hactenus impressi, *Astrionico*. 'Aneroestum' quidem Polyb. 2, 22. habet. Utrumque certe Celticum est nomen; immo unum idemque, si Cluverio credimus, Germ. Antiq. lib. 1. cap. 6. in fin. *Fr.* *Arcovisto* Reg. Q. *Ariovito* Voss. 1. 2. et Reg. F.

Marti suo] Docet Cæsar de Bell. Gall. 6. 17. Gallos quinque potissimum Deos coluisse, 'Mercurium, Apollinem, Jovem, Martem,' atque 'Minervam.' Cansam lege ibidem. *Cam.*

Intercepit] Non passus est ad Martem pervenire, quod ei voverant Galli, sed avertit, et sibi vindicavit: id enim est 'intercipere.' Vid. Gron. III. Obs. 9. et Periz. ad Sanct. Min. III. 3. 78.

Torquibus] 'Gallos cum auro' (quod in torquibus habebant) 'pugnare solitos, Torquatus indicio est.' Plin. 33, 1. Idque tangit Varro, citatus a Nonio in *Torques*. Ita prælio, quo Marcellus, qui A. U. 554. Cos. fuit, Gallos cecidit, inter alia etiam 'aureos torques multos' captos Valerius Antias scribit, ap. Liv. 33. 22, 9. et ap. eund. 36. 40, 9. Cornelius Cos. in triumpho de Boiis, 'aureos torques transtulit mille quadringentos septuaginta.' Nam, auctore Polyb. 2, 17. 'opes singulorum erant in pecore, vel auro.' Ut nemini mirum videri debeat, 'aureum trophæum' ex torquibus eorum statui potuisse. *Fr.* Add. Scheffer. de Torquib. c. XII.

Trophæum] Cujus quidem imaginem ac memoriam expressam pulcre videmus in argenteis nummis, ab uno latere repræsentantibus in corona laurea caput Jovis Triumphatoris, laurea item obvinctum, et ab altero Victoriam alatam cum palmæ ramo in sinistra, quæ coronam extendit supra trophæum, arboris trunco suspensum,

quod galea pinnata, clipeo rotundo, gladio et sago Gallico vestitum et adornatum est, cui adscriptus est titulus: C. Flamini. C. F. Roma. Nummi picturam habes in Fast. Goltzianis. Pighius in Annal. ad A. U. 530. Simile trophæum, devictis itidem Gallis, erexisse postea Marium, ex Plutarchi Cæsare, cap. 9. Rycquius commentario de Capitolio Romano notat. *Fr.*

Flaminius] Temerarius ille, quem ad Trasimenum cecidit Annibal. Et qui, sicut ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται, idque sæpe immerito, triumphum consecutus est industria tribunorum, cum imperitia sua victoriam pene prodidisset. Auctor Polyb. 2. 31. *Id.*

§. 5 *Viridomaro*] De hoc nomine Celtico, vide Cluver. Germ. Antiq. lib. 1. cap. 6. Ubi tamen iterum Nostrum perstringit, sed nullo jure. *Id.* In Fastis Triumph. et Propert. iv. 10. 41. 'Virdumarus' dicitur: vid. hic Vinet. et Sigon. ad Liv. Epit. xx.

Romana arma Vulcano promiserant] Romanis id usitatum ex Liv. 8, 30, 9. 38, 23, 11. 41, 12, 4. 45, 33, 1. itemque Nostro, 4. 12, 9. patet. De Barbaris tale votum mihi nunquam lectum, sævius ap. Tac. 13. 57, 3. ubi 'victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto, equi, viri, cuncta viva occidioni dantur.' Scripsi locum, uti volebant Danesius et Lipsius; alias enim non dubito scribendum *cuncta victu:* nam et vestes, et arma, quin aurum etiam argentumque perdebatur. Vide Hist. Misc. 5, 1. *Fr.* Huc pertinent, quæ leguntur in P. Fabri Semestr. ii. 3. in fin. et ap. Voss. ad Cæsar. vi. B. G. 17. De Romanis præterea Liv. i. 37. xxiii. 46. et xxx. 6. Appian. in Punic. p. 26. et Serv. in Virg. Æn. viii. 562. ubi Poëta ex Evandri persona: 'Scutorumque incendi victor acervos.' Nec Vulcano solum, verum etiam aliis Diis arma hostium vovebant Romani. Luæ Matri, Liv. viii. 1. Jovi Victori, Id. x. 29. Marti, et Minervæ, Appian. ibid. p. 83. Marti, Minervæ, Luæ Matri, et ceteris Diis, quibus spolia hostium dicare jus fasque est, Liv. xlv. 33. e quo, et ex Appiano intelligi potest, qui ritus in ea re adhibiti fuerint. Ap. Gallos non idem mos erat. De his enim Cæsar l. d. 'Huic [Marti] quum prælio dimicare constituerunt, ea, quæ bello ceperunt, plerumque devovent: quæ superaverint, animalia capta immolant; reliquas res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum exstructos tumulos locis consecratis conspicari licet.' Et ad hunc morem Gallorum spolia in unum locum conferendi referendum puto, quod scribit Liv. v. 39. Galli 'cæsorum spolia legere, armorumque cumulos, ut mos eis est, coacervare.' E quo loco aliisque, in quibus 'acervi armorum' memorantur, forsitan melius apud Cæsarem legatur *cumulos*, quam *tumulos*. Et *cumulos* est in Edit. Paris. 1528. quod et in aliis vetustis Edd. fuisse adparet e verbis, quæ animadversioni Rhellicani ad eum locum præscripta sunt, et e Bruti libello Var. Lect. Græcus Interpres quoque πολλοὺς σωροὺς vertit, quod est *cumulos*. *Tumuli*, qui remanserant e conjectis olim cumulis earum rerum, quod viris doctis placet, quam recte dicantur 'exstructi,' non scio.

Tertia post Romulum] Ita Virg. Æn. 6. 869. 'Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.' Nam prima Romulus, secunda Cossus suspenderant; de quibus exacte Livius, 1. 10. 4, 20. et Epit. 20. Vide etiam supr. 1. 1, 10. Apparet hinc Obsequentem, cap. 30. falsum in hac historia, aut corruptum esse; legitur enim apud eum, 'capto Viridomaro rege,' cum scribendum fuisset, *cæso*. Fr.

Rursus Lycosthenem emendat Freinshemius, non Obsequentem. 'Tertia post Romulum,' sic dicit, ut Justin. XVIII. 4. et Hirtius de Bell. Alex. LXVI. 'Secundus a Rege.' Reg. Q *tertius*, alii omnes *tertia*, ut Virgil. l. d. Ceterum errasse Virgilium, qui Marcellum spolia opima Quirino suspendisse scribat, multis disputat Perizon. in Animadv. Hist. c. VII. *Suspendere* propria vox est de spoliis, donariisque, quæ Diis consecrata in templis aliisque locis figebantur. Vid. Heins. ad Val. Fl. VII. 29. Sen. Ep. CXV. 'Colitur non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso.'

CAP. 5 De hoc bello, et aliis cum Illyriis gestis, extat liber Appiani, qui 'Illyrius' inscribitur. Lege Liv. Epit. 20. Eutrop. 3. 1. Oros. 4. 13. *Cam.* Vide etiam Polyb. 2, 8., &c. et Zonar. tom. 2. p. 67. Quod autem hoc bellum, post illud Gallicum Ariovisti describat Auctor, cum tamen prius gestum sit; facit, ne rerum Gallicarum seriem interrumpat, sicut perpetuo solet. Vide iuf. 2. 19, 5. *Fr.*

§. 1 *Illyrii*] Ryck. Regg. Toll. Fran. Duisb. Jord. et v. e. *Illyrici;* ut in vulgatis ap. Liv. X. 2. Mela quoque II. 3, 115. 'Deinde sunt, quos proprie Illyricos vocant. Tum Pyræi, et Liburni, et Istria.' Sed Plin. III. H. N. 22. 'Proprieque dicti Illyrii, et Taulantii, et Pyræi.' Recte: nam incolas Illyrici Latini 'Illyres' et 'Illyrios' vocant: vid. Salm. inf. ad II. 13. et Cellar. Geog. Ant. II. 8. Et ita videtur fuisse in Naz. et Pall. nam Salm. ad Edit. Gruteri Commel., in qua est *Illyrii*, nihil adnotarat. Pro *radicibus* in Flor. est *jugis*, ut cap. 3. 'Imis Alpium jugis.'

Titium] Antiqui libri *Ticinum* appellabant, ut Galliæ fluvium, apud quem cæsi primum ab Annibale Romani. Ptolemæi Græca Τίτον vocant, id est, 'Titum.' Plinius in extr. libro tertio: 'Arsiæ, gens Liburnorum, jungitur usque ad flumen Titium.' *Vin.*

Adriani] Ita vetustiss. exemplaria, quomodo id mare etiam M. Cicero legitur alicubi appellasse. *Vin.* Locus Ciceronis est Epist. ad Att. 10. 7. *Fr.* *Adriatici* Reg. Q et Flor. sed in hoc emendatum *Adriani*. Et ita cum libris Vineti ceteri s. et edd. V. B. S. et P. Vid. Salm. ad I. 18, 3. et Malasp. ad Cic. l. d. qui sic quoque ap. Cic. in Pison. XXXVIII. et Horat. I. Carm. 16. esse observat. In monumento Ancyrano ex Edit. Gronov. in fin. 'Provincias omnes, quæ trans Adrianum mare vergunt.' Add. inf. IV. 2. 31.

§. 2 *Teutana*] Scriptura hæc est Pall. om. veterisque ed. itemque Bongarsii Mss. et Jord. *Fr.* Nec non aliorum scriptorum, præter Reg. Q, in quo est *Tantana*, Fran. qui *Teucana*, et Voss. 3. qui *Theutona* habent. In Polyb. II. 5. et seqq. et Justin. Prol. XXVIII. est 'Teuta:' in Plin. XXXIV. 6. 'Teuca,' ubi Hermolaus scribit etiam in antiquis exemplaribus Flori ita legi, quod et Bongarsius adnotat ad Justin.

Muliere] Videtur abundare vox ista, præsertim cum statim repetatur, 'idque mulier imperabat.' Nisi forte idco expressit Auctor, ut innueret 'in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerasse,' quod de populis femineo dominatui subjectis Tacitus, G. 45, 11. ait. Quamvis et olim et hodie potentissimi fortissimique populi muliebrem in imperiis successionem admittant. *Fr.*

§. 3 *Legatos*] Quam sanctum consensu gentium jus legationis sit, quæque violatores ejus pœnæ consequantur, vide ap. Auctores, quos supra, ad 1, 18, 5. citavimus, et Sall. Jug. 35. 6. Porro legatorum istorum nomina variant ap. Scriptores. 'Caium et

Lucium Coruncanios' Polyb. 2. 8. vocat: 'Publium Junium et Titum Coruncanium' Plin. 34. 6. Appianus, Illyrico, unius 'Coruncanii' meminit. Porro et de numero interfectorum controversia est; Plinio duos illos, quorum nomen adnotavimus, occisos adserente; aliis autem absolute legatos interfectos dicentibus, numero non addito, quos inter Livius, Epit. 20. Oros. 4, 13. Eutrop. 3, 1. Polybius minorem natu Coruncanium occisum ait, quod liberius locutus esset. Appianus, Coruncanio cæso, ceteros sibi manus intulisse, idque vivo etiamnum Agrone Teutanæ marito factum. *Id.*

Jure agentes] Jure gentium questentes de injuriis illatis, Freinsh. in Iud. Add. Jac. Gron. ad Liv. XXI. 10.

Nec gladio quidem] Pal. 1. ac 2. *ne glad. quid.* (quam lectionem Salmasius præfert) 3. cum vulgatis sentit. *Grut.* 'Nec quidem' apud quamplurimos Scriptores legitur. Flor. II. 17. 3. Cic. pro Arch. V. et III. Off. 29. Justin. VII. 5. et XXXVIII. 4. In Fragm. Catonis ex Orat. in Thermum de virtutib. suis. Terent. Eun. IV. 4. 14. Cæs. I. B. G. 32. Val. M. III. 2. ext. 6. Liv. XXVII. 18. XXVIII. 27. XXIX. 12. et XXXI. 31. Colum. II. 18. et ap. Curt. et Suet. sæpe: sed Gronov. ad Suet. Tib. XV. ad Liv. ll. dd. et Justin. XXXVIII. 4. omnibus locis Suet. Liv. Flor. et Justini legendum censet *ne quidem.* Nec dubito, quin idem senserit de omnium aliorum Scriptorum locis, in quibus est *nec quidem*, vel *neque quidem*, pro *ne quidem.* Valde confirmat sententiam illius, quod in plerisque libris variat scriptura. Ita in Suetonii scripto Salm. ubique *ne quidem* legi, pro *nec quidem*, testatur Græv. ad l. d. Suet. Similiter variant libri Curtii fere omnibus locis, quæ vid. in Ind. Freinsh. v. *Ne*, et in Cic. III. Off. 29. In Cæsaris plerisque Edd. vett. itidem esse *ne quidem* adnotavit Brutus in Libello Var. Lect. Et sic ibi est in Edd. Paris. An. 1525. et 1574. In Val. M. quoque Edit. Argent. An. 1524. et Basil. An. 1533. habent *ne quidem*, et sic in Terentio liber scriptus Bibliothecæ Trajectensis. Similiter pro *nec quidem*, quod in recentioribus Edd. Celsi in præfat. Lib. I. aliquoties legitur, veteres habent *ne quidem.* Itaque cum in h. l. Flori etiam Ryck. Reg. F, Flor. Magl. Fran. et Jord. habeant *ne quidem*, non dubitavi id reponere, pro *nec quidem.* Add. ad III. 19. 12. et IV. 2. 4.

Sed ut victimas, securi percutiunt] Ignominioso mortis genere. Tangit id Liv. 7. 15, 10. 'CCCVII. milites Romanos captos Tarquinienses immolarunt: qua fœditate supplicii aliquanto ignominia populi Rom. insignitior fuit.' Plura Casaub. ad Suet. Aug. 15, 2. 'Hostiarum more mactatos:' quo tamen non pertinet illud ex Liv. 25, 16, 15. citatum. Victimas porro securi percuti solitas, multis exemplis demonstrat Brissonius, formularum libro primo, et post eum Tauhmannus, ad Virg. Æn. 2, 224. Fœditatem autem hujus supplicii in causa fuisse, ut in militem, qui Papinianum mori jussum, non gladio, sed securi percusserat, animadverti jusserit Caracallus, ap. Spartian. cap. 4. et Xiphilin. consentiunt Brisson. in Lexico, Gethofred. ad l. 8. §. 1. de pœn. Casaub. d. loc. et Lipsius ad Tac. 15, 67, 7. *Fr.* Ignominiosius supplicii genus fuisse securi percutere, quam gladio ferire, etiam P. Faber ostendit I. Semestr. 4. Sed quia eo tempore, de quo hic agit Florus, adhuc usitatum erat in Republ. Rom. nocentes securi percutere, idque pro atroci supplicio non habebatur, Vir eruditiss. Jo. Schult. ad Quintil. Decl. I. 10. existimat Florum loqui ex more sui sæculi. Nam pœna gladii demum sub Principibus Romanis in usum venit, eaque levior, nec tam ignominiosa fuit habita, quam supplicium securis. Perizonius quo-

que hic adnotaverat, Florum ex sui temporis more scribere.

Idque, quo indignius foret, mulier imperabat] Xiphilinus in Nerone, de clade Roman. in Britannia: 'Quæ clades a muliere illata est pop. Rom. ut majore ignominia afficeretur:' feminarum enim jussa pati, ignominiosum est. vide Tac. 12. 40, 7. Ne quis autem miretur asperitatem imperii, audiat eund. Tac. 3, 33, 8. notantem, mulierum jussa, 'pervicacia magis et impotentia' esse. *Fr.* Ryck. Fran. et Voss. *quod indignius*. Et sic liber Sigonii in Liv. XXXI. 31. Sed eum non sine ratione sprevit Gronovius, ediditque: *Syracusanis oppressis ab externis tyrannis, quo indignius esset, quum tulissemus opem.*

§. 4 *Cn. Fulvio Centimalo*] Et collega ejus Posthumio Albino, secundum citatos Auctores. *Fr.* 'Centumalus' cognomen Fulviæ gentis est in Liv. XXIV. 43. et XXXV. 10. in Fast. Capitol. Nummis, et Eutrop. III. 1. de quo hic Vinctus, et Sigon. ad Livium. 'Centumalus' etiam Claudiorum cognomen est ap. Cic. III. Off. 16. et Val. M. VIII. 2. 1. quod et Doctis quibusdam videtur reponendum in Pompon. l. 2. §. 36. D. de Orig. Jur. ubi memoratur 'Claudius Centemmanus.'

§. 5 *Manibus*] Gentiles credebant dolere manes interfectorum, nisi vindicta levarentur. (Vide, si lubet, quæ dicemus inf. 4, 6, 2.) Ideoque hac quoque in causa principes Illyrios eadem ignominiosa morte confecerunt. Liv. 3, 58, 12. 'Manes Virginiæ, mortuæ quam vivæ felicioris, (apparet sic legendum, non *feliciores*), per tot domos ad petendas pœnas vagati, nullo relicto sonte, tandem quieverunt.' *Fr.* 'Litare manibus' est, eos placare, pœna et ultione iis satisfacere, ut III. 18. fin. Vid. Gron. ad Sen. Trag. Agam. vs. 577. Aliquanto insolentius est, quod ibi adnotat e Scriptore de Bell. Hispan. c. XXIV. 'Ita pridie duorum centurionum interitio hac adversariorum pœna est litata.' Pro *principum* Ryck. *principium*. Quod non infrequens esse in libris scriptis ostendunt Bongars. ad Justin. I. 10. et Gron. ad Liv. XXIX. 3. Vid. inf. III. 21. 13.

CAP. 6 Bellum secundum Punicum scribunt fere omnes, tam Latini, quam Græci. Livius tota decade tertia. Plutarchus in vitis Fabii, Scipionis, Marcelli, Hannibalis, Flaminii. Appianus in Libyco. (Probus in Hannibale.) Auctor de Vir. Ill. cap. 42, 43, 45, 48, 49, 50. Polybius et Eutropius in tertio. Orosius in quarto. Augustinus sæpe, maxime tamen 3, 19. Civit. Silius Italicus per totum. Quæ sparsim scribuntur ab aliis, suis locis adducentur. *Cam.*

§. 1 *Post primum Punicum bellum, vix quadriennii requies*] Vult quattuor tantum annorum spatium intercessisse inter Punicum bellum primum et secundum. Hoc falsissimum. Unde hunc errorem hauserit Noster, nescio, in historia tam clara certaque. Fortean ex his Livii verbis: 'His anxius curis, ita se Africo bello, quod fuit sub recentem Romanorum pacem, per quinque annos, ita deinde novem annis in Hispania augendo Punico imperio, gessit, ut appareret, majus eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum.' De Amilcare hæc dicuntur, Annibalis patre, (non de Annibale,) qui, sub recentem pacem cum Romanis factam, per quinque annos bellum Africum gessit, deinde Hispanicum per alios annos novem. Hi sunt anni quattuordecim. Mortuo Amilcare Asdrubal, Amilcaris gener, octo annos imperium obtinuit, quod puer esset Annibal. Annos jam habemus viginti tres a fine Punici primi belli, quo pax facta est, usque ad initium imperii Annibalis. Quin et cum hoc Asdrubale, dum in imperio fuit, fœdus renovarunt Romani. At ubi dux declaratus est Annibal, quasi si

mandatum sibi esset bellum cum Romanis, statim ad id se comparavit, ac Saguntum in causam belli arripuit. Fortasse Noster quinque illos annos Africi belli somniabundus accepit pro intervallo, quod fuit inter primum ac secundum Punicum bellum. Quid enim hæc aliud sibi volunt? 'Post primum Punicum bellum vix quadriennii requies, ecce alterum bellum.' Certe post Africum bellum, quod sub recentem pacem Romanorum ab illo susceptum est, et quinque annos gestum est, Hispaniense bellum adgressus est. Sed non cum Romanis istud, verum in ea Hispaniæ parte gestum, quæ sub ditione Romanorum non erat. *Sal.* Recte satis putat, quatuor fere annos quievisse Romanum, a tempore scilicet quo Jani porta secundum clausa est, Manlio Torquato et Atilio Bulbo Coss. anno 519. etsi interea cum Sardis et Corsis sit bellatum; alioqui, si supputemus a primo usque ad secundum Punicum bellum, erunt anni intermedii viginti tres. *Stad.* Sive potius 'duodeviginti,' ut Cato computat, Orig. 4. hoc est, viginti duo. Nonius in *Duodevicesimo.* Nam antiqui hoc sensu usurpabant; postea duodeviginti dicebantur viginti detractis duobus, hoc est, octodecim: quomodo sæpe Livius, Tacitus, alii. Hinc corrigendum puto Frontinum de limitibus in princ. et scribendum: *Quare Decumanus non a decem potius, quam a duobus, vocatur; cum omnis ager eo fine in duas dividatur partes? sed ut Duopondium et Duodeviginti, quod dicebant antiqui, nunc dicitur Dupondium et Deviginti; sic et Duodecumanus factus est Decumanus.* Fr. Vinetus quoque existimat, hoc ita posse accipi, ut Florus significet, Romanos toto illo tempore, quod inter bellum Punicum primum et secundum fuit, vix quatuor annis a bellis quievisse. Sed ne sic quidem recte loquetur: nam certum est, Janum inter illa duo bella tantum paucis mensibus clausum fuisse. Rupertus putat Florum initium belli secundi Punici ab eo tempore repetere, quo Romani Pœnis Sardiniam extorserunt, et tributum auxerunt, quod quarto fere anno post finitum bellum primum factum colligit e Polyb. I. 88. Has enim novorum odiorum atque adeo secundi belli causas fuisse: ideoque Florum scribere ab hoc tempore surrexisse bellum, quo nova surrexerat belli causa. Mihi hac ratione non melius videtur defendi Florus. Nam si 'bellum' dicit pro causis odiorum et bellorum, minime adcurate loquitur. Sed hæc non esse exponenda ea sententia, quam in his esse putat Rupertus, verba ipsa satis ostendunt. Dicit Florus post quadriennii requiem statim ortum fuisse alterum bellum. Si hoc accipiendum esset de causis odiorum et alterius belli, ut vult Rupertus, ineptissime diceret hoc bellum durasse annos 18. Nam odia illa, quæ diu occulta ac tecta fuerant, tandem eruperunt in bellum, quod Annibale Duce Carthaginienses per 18. annos gesserunt adversus Rom. De hoc igitur accipienda sunt verba hæc 'alterum bellum;' non de causis odiorum, quæ diu ante bellum exortæ fuerant. Camers conatus est subvenire Floro, emendando *vix* 24. *annorum requies.* Sed hunc numerum nulli libri habent. Et Rupertus recte animadvertit huic conjecturæ obstare particulas 'vix,' et 'ecce.' Nam illa indicat brevitatem temporis, quod interfuit inter hæc bella; hæc est quasi admirantis illam brevitatem. Non invenio, quomodo defendi possit Florus.

Alterum bellum] Quod initum est anno 535. Solin. cap. 2. Idem fere sentit Orosius, 4, 14. *Cam. Bellum* ultimo loco positum expungendum est, quia modo præcessit, si Nic. Heinsio adstipulamur. *Græv.* Similis observatio Freinshemii ad II. 2. 2.

Decem et octo annos habet] Inf. 3,

5, 2. et Orosius, 4, 20. dicit 17. Eutropius in fine tertii ait, hoc bellum finem accepisse, post annum 18. quam cœperat. Appianus dicit 16. fere. *Cam.* Spatium tot annos habere quam Latine dicatur, viderint, qui probant hanc scripturam. Mihi certum est peccasse librarios, aut rudes et imperitos correctores; Florum vero scripsisse: *decem et octo annos patet*, id est, complectitur: ut superius in præfat. lib. I. 'Sequens a Bruto Collatinoque Consulibus in Appium Claudium, Quinctum Fulvium consules, ducentos quinquaginta annos patet.' Sic et apud Pomp. Melam *habet* corrupte legitur pro *patet*. Translata est hæc vox a spatio locorum, ubi propria ejus sedes, ad spatium temporis; ut ap. Sen. 'Ætas bene disponenti multum patet.' *Græv.* Etiamsi concedatur non dici Latine *spatium habet tot annos;* tamen non plane necessaria est emendatio. Nam *habet* referri potest ad vocem 'bellum.' Ita recte Begerus. 'Decem et octo' dicendum est auctore Prisciano, non 'octodecim.' In Ryck. pro eo est *X. et VIII.* in Edd. B. P. et J. *XVIII.* Hoc quoque confirmat sententiam eorum, qui putant librarios fere numeros notis scriptos integris vocibus, prout ipsis videbatur, scripsisse. Vid. Voss. IV. de Analog. 9. et IX. de Vit. Serm. 15. Cellar. Cur. Posteriorib. in *Octodecim. Adeo gladii atrocitate* Regg. Fran. Voss. 1. 2.

Similior victo sit populus, qui vicit] Livii simia hoc etiam ab illo mutuatus et imitatus est. Sic enim ille, initio lib. XXI. de hoc ipso bello Punico: 'Et adeo varia belli fortuna, anceps que Mars fuit, ut propius periculo fuerint qui vicere.' *Sal. Similior victo sit populus, qui vicit*] Idem dicit Livius 21, 1, 3. Silius 1, 77. &c. 'Propiusque fuere periclo, Queis superare datum.' Augustin. 3, 19. Civitatis. *Cam.* Pal. 2. Berol. Duisb. et v. e. *similior victo sit victor populus, qui vicit.* Gruterus alterum horum pro glossa habet. Mihi *victor* insiticium videtur. Augustinus, qui interdum ipsa verba Flori describit, III. de C. D. 19. 'Ita ut, his quoque fatentibus, qui non tam narrare bella Romana, quam Romanum imperium laudare instituerunt, similior victo fuerit ille, qui vicit.' His verbis manifeste Florum tangit.

§. 2 *Pudebat nobilem populum*] Si ita loquatur Florus, ut loquentem eum fecere correctores, vix Latino cœlo natum putem. An, quæso, hoc est Latine loqui, *Pudebat nobilem populum ablatum mare?* Dicerem ego, 'pudefaciebat,' 'in pudorem dabat, nobilem populum ablatum mare.' Aut, 'pudebat nobilem populum ablati maris, captarum insularum,' &c. Veram lectionem dabimus ex scriptura Naz. quæ habet: *uberat* Legimus et distinguimus: *Urebat nobilem populum ablatum mare, captæ insulæ, dare tributa, quæ jubere consueverat.* Omnia jam recta sunt, quæ prius claudicabant. Si hoc non verum est quod posuimus, quid verum sit, nescio. *Urebat nobilem populum, ablatum mare, captæ insulæ, dare tributa.* Et heic Livium imitatur, sed ad populum Carthaginiensem transtulit, quod ille de Annibalis patre Amilcare dixit: 'Angebant ingentis spiritus virum Sicilia Sardiniaque amissæ. Nam Sicilia nimis celeri desperatione rerum concessa, et Sardinia inter motum Africæ fraude Romanorum, stipendio etiam superimposito, intercepta.' Hic habes omnia quæ expressit Florus, ablatum mare, insulas captas, tributum impositum. Scripti autem libri Flori et Jord. hoc loco legunt, *raptæ insulæ*, non ut est in vulgatis, *captæ.* De Sicilia et Sardinia intelligit, quarum alteram concessam dicit ab ipsis Carthaginiensibus, alteram interceptam fraude Romanorum. Utraque certe erepta Carthaginiensibus. *Sal. Urebat*] Sic Vin. edidit, ex

Mss. haud dubie, sic Jord. scripsit, et ex Naz. rescripsit Salm. elegantius utique quam illud alterum *pudebat*, quocunque modo exponatur. Frisingens. 2, 36. videtur legisse *urgebat:* potius tamen ille hinc corrigendus est. *Fr.* Gruterus scribit in Naz. *urebat* a manu emendatrice esse. *Pudebat* est in Ryck. Toll. Duisb. Pall. Fran. Voss. et o. e. E Regg. nihil adnotatum erat ad Edit. Grævii, quæ habet *urebat*. Sed ea, quæ hic adnotant Salm. et Freinsh. non relinquunt locum dubitandi, quin præferendum sit *urebat*, quod et Pighius in Annal. ad A. U. 535. se in vetusto Cod. Flori invenisse testatur, et habet Frec. ac Viri doctiss. Heinsius et Perizonius suis exemplaribus adscripserant. Nec infirma est conjectura Freinshemii ex Ottone Frising. Est enim solenne librariis, ut confundant *urgere*, et *urere*. De quo Heins. ad Ov. IX. M. 623. et Bentl. ad Horat. I. Ep. 13. 6. 'Urere' porro dici omnia, quæ molesta et acerba sunt, notius est, quam ut multis ostendi debeat, et disci potest e Jureto ad Symmach. v. Epist. 64. Florus exprimere voluit ea, quæ scribit Liv. in princ. Lib. XXI. Livius autem Polybium, qui III. 13. ita: Καρχηδόνιοι γὰρ βαρέως μὲν ἔφερον καὶ τὴν ὑπὲρ Σικελίας ἥτταν· συνεπέτεινε δ' αὐτῶν τὴν ὀργὴν τὰ κατὰ Σαρδόνα, et seqq. e quibus itidem adparet hic non esse locum verbo *pudebat*. Begerus tamen retinuit *pudebat*, et e conjectura Stadii locum ita edidit: *pudebat nobilem populum ablato mari, raptis insulis, dare tributa.* Illud ferri potest; hoc nequaquam: non enim sunt intrudendæ conjecturæ contra scripturam omnium librorum, quæ commodam interpretationem recipere potest. Offendit eum scilicet, quod non videbat quomodo hæc conjungi possint, *urebat populum raptæ insulæ*, et quærit, quæ in his constructio, quum dicendum esset *urebant*. Hoc non quæsivisset, si legisset, quæ ad Sanctii Minervam III. 8. 2. tradidit Perizonius. Possunt fortassis recte explicari nummi et marmora antiqua sine cognitione sermonis Latini, ejusque causarum, et earum rerum, quæ ad Grammaticam pertinent, etsi tamen est, cur de eo dubitem; sed scriptores Latini non possunt.

Ablatum mare] Hoc ad leges pacis, a Romanis primo bello Punico datas, referendum est: quas ita fere Polyb. 1. 62. refert: 'Pœni Sicilia et omnibus insulis, quæ inter Italiam et Africam sunt, excedunto; MCC. talenta in annos XX. pendunto:' Liv. itidem, lib. 21. 'Pœni, navali ad Ægates clade accepta, Sicilia et Sardinia cessere, et se vectigales ac stipendiarios fieri passi sunt.' *Stad.* In v. e. non est *ablato mare*, ut scribit Grut. sed *ablatum mare:* ut in o. s. et e.

Captæ insulæ] Ryck. Reg. et alter Gud. *raptæ insulæ*, hoc est, celeriter occupatæ. Inferius II, 17. 'Rapta impetu Hispania,' et III. 5. 'Primus impetus belli Bithyniam rapuit.' Mox idem Ryck. *Hinc in ultionem puer Annibal.* Et sic etiam Naz. unde N. Heins. conjicit: *Quin ultionem puer Hannibal:* lib. III. cap. 20. ex Mss. 'Quin jam vindicari volebant.' *Græv. Captæ* primum in Gruteri Edit. Commeliniana Flori inveni, e Pall. ut ex nota illius ad verba præcedentia apparet, cum quibus consentiunt Voss. *Raptæ* est etiam in Toll. Regg. Duisb. Fran. et o. e. Et sic quoque Jord. et Freculphus. Nec video cur non sit recipiendum, quum et Salmasius id in Mss. esse adnotarit, et Camers et Vinet. ita ediderint. *Raptas* autem potius accipio vi ereptas, quam celeriter occupatas; ut inf. III. 5. 13. 'Quia amiserat, quasi raptam belli jure repetebat:' et in Justin. XXXVIII. 5. 'Raptam tamen sibi esse victoriam.' Pighii liber *raptas insulas.* Hoc quidem defendi potest per ellipsin infinitivi, esse vel fuisse. Sed reti-

neo aliorum librorum scripturam.

Dare tributa, quæ jubere consueverat] Eo pertinet illud Diviconis responsum, ap. Cæs. de B. Gall. 1. 14. 'Ita Helvetios a majoribus suis institutos esse, uti obsides accipere, non dare consuevcrint.' *Fr.* 'Jubere tributa,' nempe, dari; eadem ellipsi qua 'jubere provinciam,' vel 'imperium' dicitur, de qua Burm. ad Petron. c. LXXI.

Hinc ultionem puer Annibal] Istud *Hinc* hic tantundem facit, quantum aurum in sacris: quod liquido jurem extusum esse cerebro correctorum. Vetus liber Nazarii unica voce legit: *inultionem.* Nos duas facimus, et scribimus: *In ultionem puer Hannibal ad aram patri juraverat.* 'In ultionem jurare' non satis Latine dici putarunt egregii sufflatores. 'Ultionem' quidem 'jurare' scio Latinum esse, nec minus ideo Latinum est, 'in ultionem jurare,' ut 'in verba jurare,' et hujusmodi. Ita igitur hoc loco scribendum: nec quod sibi persuaserunt insani correctores, hoc statim, ut bene sanum, recipiendum est. *Sal.* Salmasius a correctoribus ait esse vocem *Hinc*, corruptam ex veterum scriptura *inultionem*, quæ dividenda fuerat ita, *in ultionem.* Fr. In Naz. et Pal. 2. ap. Grut. est *hinc in ultionem*: et ita Ryck. Berol. Duisb. Voss. 3. liber Pighii, et o. e. Vulgatam, quam in hac varietate retinendam censui, quum Begerus conjecturam Heinsii, Amstelodamenses Salmasii recepissent, habent Pal. 1. Flor. Magl. Regg. Fran. Voss. 1. 2. Jord. et Frec. Et ita ediderant Vinetus, Stad. et Grut. ac deiude alii. 'In ultionem jurare' tamen non minus recte dicitur, quam ap. Justin. XIII. 2. 'Confestimque in tutorum obsequia jurant:' et rursus ap. eumd. XXII. 2.

Ad aram patri juraverat] Jord. Cod. *Ad aram patris.* Falsum est. Patri enim juravit, non ad aram patris. Vivebat enim adhuc pater, et annorum erat ferme novem ipse Annibal. *Sal.* Narrat hoc juramentum Silius, 1, 77, &c. *Cam.* De hujus gestis brevem synopsin, et verum judicium, lege ap. Juv. 10. ubi tamen vs. 150. pro *Rursus*, scribendum aio *Prorsus.* Fr. De ritu jurandi tactis aris Briss. VIII. Form. p. 712. Interpp. Virg. XII. Æ. 201. Justin. XXII. 2. et XXIV. 2. et C. Nep. Annib. II.

Nec remorabatur] Melius nostri libri, et in his optimus Naz. *Nec morabatur.* Puer Annibal novennis adhuc patri blandiens, altaribus admotus, tactis sacris juraverat, se, cum primum posset, hostem fore populo Romano. *Nec morabatur.* Nec in mora erat Annibal. Obscura tamen hæc brevitas, qualis ferme compendiorum esse solet. Puer Annibal, novem annos natus, juraverat ultionem patriæ suæ et bellum in Romanos. *Nec morabatur*, inquit. Atqui ab illo jurejurando Annibalis, ad illum diem, quo imperium accepit, et dux declaratus est, anni ferme cucurrerant septemdecim. Dicere sane debuit Florus, ex quo die imperium et ducatum exercitus obtinuit Annibal, nullam moram interposuisse, quin bellum Saguntinis inferret, et per hujus causam Romanis. Sic enim recte Livius, quem et heic adumbrare voluit Annæus noster, sed vitio brevitatis male expressit: 'Cæterum ex quo die dux est declaratus, velut Italia ei provincia decreta, bellumque Romanum mandatum esset, nihil prolatandum ratus, ne se quoque, ut patrem Amilcarem, deinde Asdrubalem, cunctantem casus aliquis opprimeret, Saguntinis inferre bellum statuit, quibus oppugnandis haud dubie Romana arma movebantur.' Non dubium est quin hæc inspexerit Florus, cum ita hoc loco scripsit: *In ultionem puer Annibal juraverat: nec morabatur. Igitur in causam belli Saguntus delecta est.* Sic historiæ luci ple-

rumque caliginem offundunt ista compendia, quibus nimia brevitas captatur. *Sal.*

§. 3 *In causâ belli Saguntus deleta est*] Verum est, *delecta*, non *deleta:* et, *in causam*, non *in causa*. Delegit Saguntum Annibal, cujus eversio causam belli præberet inter se et Romanos. Nihil verius hac lectione. Libro tertio de Tribunis: 'Scaurum et Philippum reos delegit.' Sequitur: *vetus Hispaniæ civitas.* Ap. Jord. legitur: *velut Hispaniæ civitas.* Tale quid procul dubio in Flori libris legerat. Vetustissimus omnium, quos nunc extare censeamus, Naz. ita habet: *Saguntus delecta est us Hispaniæ civitas. S* pro *t* in illo optimo libro crebro exaratum notavimus. Igitur ex eo legendum: *Saguntus delecta est, ut Hispaniæ civitas et opulenta. Ut* in *velut* mutavit Jord. more suo, ut planius esset. Quantum illa habeant momenti, *ut Hispaniæ civitas*, non ignorabunt, qui aliquid in libris aliquando legerunt, quique hanc historiam tenent. Quia tamen id obscurum est ex narratione Flori, dilucidius explanandum. Ultimo fœdere cautum fuerat, ut Iberus disterminaret ditionem Romanorum et Carthaginiensium. Saguntus ultra Iberum quidem, fœdere tamen cum Romanis juncta, et ideo excepta, ne quid in eam liceret Carthaginiensium armis, utque libera maneret inter utrinsque populi imperia. Annibal, cui propositum erat bellum movere Romanis, ne fœdifragus palam videretur, non Saguntinis arma aperte nec statim intulit, sed in Olcadum fines, quæ gens ultra Iberum amnem, in ea parte quam Romani non exceperant, exercitum induxit, ut non recta petisse Saguntinos, sed rerum serie ducente, finitimis perdomitis, continentia jungendo, ad oppidum ejusdem regionis ultra Iberum sitæ oppugnandum quasi tractus videri posset. Ut Hispaniæ ergo urbem Saguntum in belli causam delegit, id est, ejus Hispaniæ, quæ ultra finem esset imperii Romani, hoc est, ultra Iberum amnem. Quod non tacere debuit Florus, rem sane tanti momenti, ut sine ea vix intelligi queat, quare dixerit *Saguntum Annibali delectam in causam belli, ut Hispaniæ urbem.* Non admodum autem veterem fuisse urbem Saguntum, ex Liv. colligere est, qui scribit lib. XXI. oriundos quidem a Zacyntho insula ejus incolas, mistis ab Ardea Rutulis, breviquc in eas opes crevisse, quantæ tum fuerunt, cum eos expugnare adortus est Annibal. *Sal. In causa belli*] Quid si ejiceretur illud *in?* Stadius habet *in caussam*, sed alterum restat in tribus Pall. quorum primus habet *delecta est.* Sed tamen cum statim sequatur: 'quam Annibal caussas novorum motuum quærens,' &c. neque soleat Auctor eandem rem iterare; suspicer locum ita legendum abjectis intermediis: *nec morabatur. Igitur Saguntos delecta est, velus Hispaniæ civitas, &c.* Porro illud *vetus* non est mutandum, sed potius Jornandis *velut* reformandum in *vetus:* frequentissime enim illa vox alterius vices subit, negligentia librariorum. *Grut.* Illud *velut* etiam propter sequentia, 'fideique erga Romanos,' &c. locum tueri non potest. *Fr. In caussam belli Saguntus delecta est*] Hæc est lectio Naz. et Ryck. quam merito probat ὁ πάνυ, et Anna politissima. Nam si *deleta* legamus, quod in vulgatis omnibus, præterquam novissima Parisiensi editione, circumfertur, bis idem dixit Florus. Sequitur enim statim, 'quam in libertatem communi fœdere exceptam Annibal, caussas novorum motuum quærens, et suis et ipsorum manibus evertit.' Quærebat caussam belli Hannibal. Hanc urbem delegit ut caussam inveniret. *Græv. Causa belli*, quod Grut. placebat, est in Voss. 3. *In causam* habent Flor. Reg. Q, Pigh. Jord. et Frec. In

Ryck. per compendium scriptum est *ca*, nec in Naz. erat *causam*, quod scribit Grævius: *delecta* cum Naz. et Ryck. etiam Magl. et Voss. 1. 2. quod in Frec. est *electa*. Jac. Gron. ad Macrob. Somn. Scip. I. 4. e Naz. retinendum censet *in causa*. Contra Buchnerus de Commut. Rat. Dic. I. 22. præfert *in causam*, cui adsentior. Nam usitatissimum est, ut præpositioni *in* addatur accusativus ad finem causamque rei denotandam. Flor. IV. 7. 13. 'Speculator in id missus.' Sen. IV. de Benef. 1. 'Inveniuntur, qui honesta in mercedem colant, quibusque non placeat virtus gratuita.' Plura ap. Buchn. l. d. Muncker. ad Hygin. Fab. XL. et Scheff. ad Phædr. prol. Lib. V. Augustin. III. de C. D. 20. aliis verbis, sed eadem sententia, qua Florus: 'Hinc enim Annibal fracto fœdere Romanorum causas quæsivit, quibus eos irritaret ad bellum.' *Deleta* Buchnerus dicit communem lectionem librorum, et non sollicitandam esse. Sed existimavi præferendum esse *delecta*, ob causas, quæ ap. Salm. et Græv. leguntur, præsertim accedente auctoritate nonnullorum Mss. et Freculphi, qui quod *electa* habet, id certe indicio est, in illius exemplaribus non fuisse *deleta*. Et utramque lectionem *in causam* et *delecta* Heinsius et Perizon. libris suis adscripserant. Scheff. verba *causa belli* ex marginali glossa in textum transsumta dicit, et legit: *Igitur in Saguntinis deleta est. Vetus H. c. Deleta est*, ait, nimirum ultio in Saguntinis. Hic mihi Œdipo opus est.

Saguntus] Urbs Hispaniæ Tarraconensis, a Zacynthiis condita, distabat a mari Balearico septem stadiis, ut Polyb. 3, 17. et Liv. 21. 7, 2. numerant. *Stad.* Hodie putatur oppidum, quod *Moruedre* vocatur. *Fr.*

Vetus Hispaniæ civitas] Quippe 200 ante excidium Trojæ annis condita: auctor Plin. 16, 40. alii *vetus* illud in *velut* mutant: de qua re dictum proxime præcedente nota. *Fr.* *Ut*, quod Salm. pro *velut* legendum putat, non placebat Heinsio.

§. 4 *In libertatem*] Naz. Ryck. Voss. Reg. F, Flor. et Edd. præter primam, *in libertate*. Unde occasio interpolandi nata, adjecto *positam*, ut in Pigh. in quo est *in libertate positam communi f. e.*

Communi fœdere] Res ita habet. Legibus pacis inter Romanos et Carthaginienses convenerat, ut utriusque populi socii ab utroque tuti essent: de Saguntinis nihil nominatim cautum fuerat. Deinde inter Romanos et Asdrubalem generum Amilcaris facta erat pactio, qua nominatim comprehendebantur Saguntini. Sed Pœni se hac pactione teneri negabant, quod ea sine auctoritate jussuque S. P. Q. Carthaginiensis facta fuisset. Saguntinos autem ideo legibus pacis non comprehendi dicebant, quod demum post pacem factam in societatem Romanorum venissent. Polyb. III. 21. 27. et Liv. XXI. 18. Videri possunt, quæ de jure utriusque partis disputat Grotius II. de Jur. Bell. et Pac. 16.

Et suis et ipsorum manibus evertit] Hæc non intelligebat Jord. cum rescriberet: *suis et suorum manibus*. Tam enim suis, quam Hannibalis manibus eversi sunt Saguntini, qui se suaque omnia in pyram conjecerunt, nec arbitrium victoris expectarunt. Hoc voluit Florus, nec intellexit Jordanes. *Sal.* Pigh. perperam *machinis* pro *manibus*.

§. 5 *Summa fœderum Romanis religio est*] Sextus Cæcil. JCtus ap. Agell. 20. 1. 'Populus Romanus e parva originc ad tantæ amplitudinis instar emicuit: sed maxime atque præcipue fidem coluit, sanctamque habuit, tam privatim quam publice.' *Fr.*

Procurrunt] Hanc vocem e Ms. Gud. delendam censet Jac. Gronov. ad Liv. XXV. 37. Non inusitata sunt

Floro hujusmodi elliptica genera loquendi: vid. ad III. 6. 12. Sed hic nihil contra alios scriptos et Edd. tentandum reor. Florent. Reg. Q, Fran. et Magl. *concurrunt*. Hoc magis dicitur de repentino motu et consternatione. Nec tamen 'procurrere ad arma' valde frequens est.

More legitimo] Hunc morem lege ap. Fenestellam, titulo decimo, ubi plures citavimus. *Cam.* Add. supr. I. 13. I. 18. et II. 5.

§. 6 *Interim jam novem mensibus fessi fame, machinis, ferro*] Aliquid deest, inquit N. Heinsius, Saguntini nempe, de quibus actum. Sic ὁ πάνυ. *Græv.*

Novem mensibus] 'Octavo mense quam cœptum oppugnari, captum Saguntum,' ait Liv. 21. 15, 2. Polyb. 3, 17. *Stad.*

Ferro et igne] Si absque damno chartæ possem, has duas voces, *et igne*, statim ignibus darem. Has igitur, quantum possum, abesse jubemus, consentientibus omnibus libris. Nec enim ignem Hannibal illum admovit, quo cremata est Saguntus, sed ipsi suis manibus rogum exstruxerunt, ut statim sequitur: 'et desuper seque suosque imposuerunt.' Illæ voces, *et igne*, ex seqq. repetitæ: 'se suosque, cum omnibus opibus suis, ferro et igni corrumpunt.' Hinc igitur sunt tollendæ. *Sal. Ferro, versa denique*] Sic v. e. sic tres Pall. absque *et igne*, quod in vulgatis post vocem 'ferro.' *Grut.* Pighii liber *fessi fame Saguntini versa denique i. r. f.*

Tum desuper se] Saguntinorum cladem præter citatos scribit Augustinus, 3. 20. Civ. Val. M. 6. 6, 1. ext. Signanter Silius, libro 1. *Cam.* Exempla similia complura congessimus inf. 2. 18, 15. *Fr.* Est brachylogia, pro, se suosque cum opibus suis super eum rogum injiciunt, et corrumpunt. *Igni corrumpere* Sall. Jug. LXXVI. 'Domum et semet igni corrumpunt.' Liv. XXV. 11. 'Alia [opera] disjecerunt, alia igni corruperunt.'

§. 7 *Auctor Annibal*] Pigh. cum adsuto panno, *auctor per legatos Annibal.*

Dux legationis] Hi autem legati fuerunt Fabius Pamphilus et Valerius Publicola. Lege Liv. 21. 18. Eleganter hanc legationem canit Silius, in principio secundi. *Cam.* Hæc negligenter e Liv. descripsit Camers: adi locum.

Tergiversantibus Pœnis dux legationis; Quæ, inquit, mora est, Fabius] Sic quidem omnes libri: sed vereor ne ex interpretatione magistri in contextum irrepserit vox *Fabius*, qui hunc locum exponens discipulos docuit, ducem legationis fuisse Fabium, cujus nomen οἱ φοιτῶντες margini adscripserint, ex qua postea a descriptoribus in contextum fuit translata. Aut si a Flori manu est, loco, quem Florus ei assignaverat, excidit, et in alium fuit parum apte transscripta. Cur enim postponeretur intempestive his verbis, *Quæ, inquit, mora est*, et interrumperet continuum sermonem legati? Nisi vox *Fabius* sit delenda, ita saltem scripsisse Florum puto: *Tergiversantibus Pœnis dux legationis Fabius: Quæ, inquit, mora est? In hoc ego sinu bellum pacemque porto. Utrum eligitis?* Quin si Mss. annuerent, expungerem quoque voculam *inquit*, quæ cum *Fabius* videtur infarta ab ignaris brevitatis Flori. Rotundior sane erit oratio et Scriptoris ingenio convenientior. Et sæpe hæc vocabula *inquit, ait*, et similia, inculcata esse multis scriptorum locis perquam importune plurimis posset exemplis ostendi, nisi doctorum curæ hac nos opera pridem levassent. *Græv.*

In hoc ego sinu bellum pacemque porto] Sic omnes nostri. Et sic Livius, unde hæc sumpta: 'Tum Romanus, sinu ex toga facto, Hic, inquit, vobis

bellum pacemque portamus.' Notandum in his Livii verbis, quod ait, 'sinu ex toga facto.' Antiquæ et illorum temporum togæ sinus non habebant, qui postea duplices facti. Qui igitur sinum tunc ex toga facere vellet, aut lacinia ejus in humerum rejicienda, aut brachio subjicienda fuit, aut quoquo alio modo replicanda? Diserte profecto Quintilianus observat, antiquiorum Romanorum togas sinus non habuisse. Ideo Livius de toga illorum temporum dixit, 'sinu ex toga facto.' Quod non opus habuisset dicere de suæ ætatis togis, ut nec Florus quidquam tale innuit. Nam sinum illæ duplicem habuerunt, de quibus nos affatim in Notis ad Tertulliani librum de Pallio. Quod ait mox Livius, 'et, cum is, iterum effuso sinu, bellum dare dixisset,' per sinum effusum dimissam ac laxatam togæ laciniam intelligit, quam in sinum contraxerat. At Florus, temporum suorum togas respiciens, pro eo 'excussum in media curia togæ gremium' dixit. Id est, excusso sinu, qui togis tunc temporis adhærens et artificio factus, quomodo pera aut marsupium excutitur, cum evolvitur quod intus est repositum. Alicui tamen placere posset, ut per 'effusum sinum' accipiamus, quasi excussam illam sinus, quem ex toga formaverat, capacitatem, ut effunderet bellum, quod in eo Fabius se attulisse simulaverat. Ita sane accepit et interpretatus est hoc loco Florus his verbis: 'excusso in media curia togæ gremio, non sine horrore, quasi plane sinu bellum ferret, effudit.' Melius quod prius. *Salm.* 'Sinum' hic, et ap. Juv. IX. S. 33. pro gremio poni docet Ruben. II. de Re Vest. 12. Et 'sinum' pro gremio dici e Petron. et Ovid. contra Voss. ostendit Borrich. in Cogitat. de Ling. Lat. Ita 'in sinu sedere' ap. Lactant. I. 20. quod Ciceroni II. de Divin. 41. est 'in gremio sedere.' Et quod Ovid. ap. Borrich. et Lactantius I. 11. dicunt Jovem imbrem aureum 'in sinum' Danaës effudisse, id Terent. Eun. III. 5. 37. 'in gremium.'

Bellum pacemque porto] Ita restituo hunc locum, suadente et persuadente, non tam mea vet. ed., etsi et ea quoque, quam ipso Jordane, et Ms. Vineti, et Membranis Palatinis: pluribus eam confirmavi in Suspicionibus. *Grut.* Ejusdem autem sententiæ est epistola Q. Fabii, ap. Agell. 10, 27. similes quoque Q. Mucii tesseræ, ap. Pompon. in l. 2. §. 37. vers. *deinde*: de O. J. quem quidam 'Fabium' pro 'Mucio' appellant, et eundem ducem hujus legationis Romanæ esse putant: sed nihil temere mutandum censet Andreas Alciatus Parergon 4. 17. *Vin.* Simile quid refert Herburtus, Hist. Pol. 4. 4. *Freinsh.*

Succlamantibus bellum] Diversus hic abit a Livio suo. Non enim, ut bellum daret, succlamasse Carthaginienses dicit, sed utrum vellet: 'Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret utrum vellet, succlamatum est. Et, cum is, iterum sinu effuso, bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt.' Nihil tamen in Floro mutandum, ut putavit Lipsius. Nam omnes scripti ejus codd. stant pro vulgata. *Salm.* Hic locus in nonnullis libris a correctoribus interpolatus est. Florent. et scriptus Lipsii II. Elect. 19. *utrum eligitis? cumque succlamatum esset, bellum.* Fran. *pacemque porto ut placet sumite, cumque subclamatum esset utrum vellet dare bellum, bellum igitur i. a.* Pigh. *utrum eligitis? utrum placet? sumite. Cumque succlamatum esset, utrum vellet daret: bellum igitur i. a.* Et sic Edd. Beroald. Sab. Parv. et Junt. Hinc intelligi potest, quam verum sit, quod scribit Pighius, tam correctum esse suum codicem, ut quævis exemplaria ex eo corrigi possint. Urspergensis jam ante aliquot sæcula hunc locum non aliter legit, quam nunc editur,

hoc uno excepto, quod cum Voss. 3. semel tantum ponit vocem 'Bellum.' Et sic etiam Auctor. Hist. Misc. Naz. *elegitis.*

Excusso in mediam curiam gremio] Jord. ac ceteri libri Flori meliores: *in media curia.* Salm. Pal. 1. *media curia.* Sed et alteri scripturæ suum robur est, servatque eam Pal. 2. ac 3. *Grut.* Florent. Pigh. Voss. 3. Edd. post primam, Hist. Misc. et Ursperg. itidem ut Naz. *in media curia.* Alii scripti, et v. e. ut Pall.

Et, &c. effudit] Duas istas voces spurias pronuntio. *Freinsh.* Et omisit Begerus.

Quasi plane sinu bellum ferret, effudit] Melius vetus Vinandi Pighii liber: *quasi plane sinu ferret, bellum effudit.* Mallet tamen Pighius: *quasi pleno sinu ferret,* cui sine libris hic non subscribo. *Græv.* In Pighii libro non erat *plane,* sed *pleno:* de quo ille speciatim judicium suum non interponit: sed *pleno* conjecerat etiam Is. Voss. Et sic Nauclerus. V. E. *plano.* Ordinem verborum ex uno Pighii libro immutandum non existimavi. Reliqui autem eum, qui erat in Ryck. Toll. Duisb. Voss. Fran. Hist. Misc. Ursperg. et o. e. ante Grævium, quem sequuti sunt Amstelod. In Regg. *plane quasi bellum sinu ferret.* Non sperno *plane quasi:* nam sic ubique Florus. Tamen 'quasi plane' etiam Suet. dicit Cæs. LII.

§. 8 *Nam quasi has inferias*] Non leve momentum habere putabantur pereuntium imprecationes, adversus eos, qui salutem eorum, aut impugnaverant injuste, aut cum possent deberentque, opem ferre neglexerant. Ita et Saguntinis, cum a Pœnis quidem eversi, a Romanis autem destituti essent; hinc Italiæ vastatione, illinc Africæ captivitate, satisfactum est. Similia exempla Drusi ap. Tac. 6. 24, 5, et 6. Peraitæ Nigri ap. Joseph. de Bell. Jud. 5. 1. Epimenidis Cretensis ap. Jamblichum lib. 1. cap. 32. p. 188. Sic Eumenes ab exercitu proditus infit, ap. Justin. 14. 4, 12. 'Ultima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico; ut inopes extorresque omne ævum in hoc castrensi exilio agatis,' &c. Dum in Justino sumus, absonum forte non est, monere, in hac ipsa oratione legi: 'Ipsum denique Alexandrum, si fas fuisset eum mortali manu cadere, interempturi, quod maximum erat, seditionibus agitastis.' Nemo, opinor, negabit concinnius rescribi: *quod proximum erat, sedit. agitastis.* Sic ap. Liv. 33. 15, 1. 'Ad rebellandum neque vires neque ducem habebant: proximum bello quod erat, in latrocinium versi,' &c. Idem vitium commissum in concil. legum Nicolai de Passeribus, p. 339. p. edit. Colon. ubi lin. 1. habetur 'Non potuit dolo carere, aut culpa dolo maxima,' pro *proxima.* Freinsh.

§. 9 *Igitur ubi semel se in Hispania movit*] Ryck. *igitur ubi semel in Hispania movit illa gravis et luctuosa Punici belli vis atque tempestas.* Sic Florum scripsisse facile mihi assentientur, qui non ignorant sæpius apud veteres hoc verbum 'movere' poni, ut multa alia, omisso casu per ellipsin, qui ad id pertinebat: quod qui ignorarunt *se* intruserunt. Vide quæ notavi ad lib. 1. c. 13. *Græv.* Non major videtur esse causa, cur hic tollatur *se,* etsi etiam a Voss. 1. abest, quam cur paullo ante *et* post 'ducum' e Magl. deinde *belli* e Ryck. *Romanis* e libris Vineti, Pal. 1. Ryck. Regg. et Magl., ac denique *in* ante 'Italiam' e Fran. ejici debeant.

Tempestas] Eadem similitudo supra, 1. 17, 5. *Freinsh.* Pleraque quibus hic utitur Florus, etiam apud alios, in primis poëtas, a tempestatibus transferuntur ad bella, 'tempestas,' 'procella,' 'fulmen,' 'fulminare,' 'turbo,' 'tonare,' 'detonare,' 'desævire.' Vid. Virg. IV. Ge. 560. VII. Æn. 222. et X. 569. Justin. XXIX.

3. Liv. XXIX. 2. et Amm. Marcell. XVIII. 10. Add. Barth. ad Claud. tert. Consul. Honorii vs. 63. et Freinsh. in Ind. Flori. Sed hunc quoque locum reprehenderat in Præfatione Grævius, tamquam immodico et inani tumore turgescentem. At Begerus contra Florum 'eleganti omnino allegoria usum' dicit, 'ut ostenderet Annibalem, cum Romanis bellum destinaret, excisa Sagunto illius causas quæsivisse.' Et ut intelligamus quam lepide hæ lexeis sint compostæ, ut tesserulæ omnes, quamque apte et ad amussim hic translata omnia propriis respondeant, ex intima philosophia sua, nam summum Philosophum fuisse etiam ex iis cognosci potest, quæ paullo post ad n. 14. scribit, docet, 'tempestatibus excuti fulmina,' et 'fulminum potissimam substantiam esse ignem,' ob eamque causam nihil mirum esse, 'si fulmina et tempestatibus et igni dicantur conflari.' Sed hæc omnia, et quæ plura de generatione fulminum addit, nihil faciunt ad orationem Flori vitio inanis tumoris, quo eam laborare judicat Grævius, purgandam. Generentur fulmina ita, ut vult Begerus: sed ex eo non ostenditur, eum, qui velit dicere, bellum, quo Romanis gravissimæ clades inlatæ sunt, ex incendio et excidio Sagunti ortum est, hanc sententiam ita recte efferre, 'belli tempestas destinatum Romanis fulmen Saguntino igne conflavit.' Qui ita loquitur, plus quam tragice, et non humane loquitur; et qui ea probare potest, non intelligit, quomodo homines non inepti loquantur. In omnibus utriusque linguæ scriptoribus obviæ sunt metaphoræ a tempestatibus ad bella. Sed non modo nulli prosæ scriptori, verum ne cuiquam quidem poëtæ in mentem venisse arbitror, ut in ea re tam insana allegoria uteretur. Defendat, quantum lubet, hoc, et alia ejusdem notæ in Floro Begerus. Alios, qui id operam dant, ut simplicem et rectam viam dicendi teneant, quique cupiunt intelligere, quomodo vitia et virtutes orationis discernendæ sint, numquam pœnitebit memores esse eorum, quæ Longinus c. III. de Sublim. et alii veteres Magistri eloquentiæ de vitando vitio, in quod Florum hic delapsum vere judicat Grævius, præceperunt.

Medias perfregit Alpes] Transitum Annibalis per Alpes describit Silius lib. 3. Virg. Æn. 10. 13. Juv. Sat. 10. 147. Lege Augustin. Serv. Livium, Plut. in vita Annibalis. *Cam.* Sic post natum Servatorem anno 1477. 'Turci per abrupta et invia Alpium non sine admiratione eorum, qui postea illius itineris vestigia observarunt, in Germaniam irrupere:' Sabellicus Ennead. 10. lib. 7. Et per easdem Franciscus I. Gallorum Rex, 'inusitatum iter curulibus tormentis aperuit.' Jovius in Leone X. quo etiam nuper usus Ludovicus ille Justus Galliæ Rex. Eleganter autem utitur Auctor voce 'perfregit;' nam aceto maceratas rupes et igni domitas demum ferramentis amolitus est: priore modo (aceto) quidam proditores Eleutheram Cretæ urbem Metello expugnabilem reddiderunt, ap. Dion. lib. 36. p. 9. *Freinsh.*

Fabulosæ] Livius tamen XXI. 32. 'nives prope cœlo immixtas,' et alii 'juga Alpium cœlo vicina' sæpe memorant ap. Rupertum: sed vid. ad II. 2. 5.

§. 10 *Nisi protectum patrem*] Egregio huic facto versum istum Virgilius, Æn. 10. 800. composuisse videri possit: 'Dum genitor nati parma protectus abiret.' Porro fallitur forsan memoria Plinius, 16. 4. qui 'apud Trebiam' hoc accidisse scribit: nam pro nostro Auctore est et Livius, 21. 39, 10. et seqq. capp. Polyb. 3. 64. &c. Silius, 17. 318. Variat tamen idem Polyb. 10. 3. ubi 'ad Padum' ait hæc esse gesta. L. Am-

pelius 'apud Listernum:' an est reponendum *Ticinum?* Freinsh. Errorem Plinii notavit etiam Lipsius ad Sen. III. de Benef. 33. Paullo ante e Ryck. Toll. Duisb. Fran. et v. e. *venisset* rejeci post *hostium.*

Prætextatus admodum filius a morte rapuisset] Quasi 'prætextatus' nomen sit ætatis, ita dicit, 'admodum prætextatum,' sicut aliquis dicitur, 'admodum puer,' 'admodum adolescens,' Hoc sensu 'admodum prætextatus' idem significaret quod, admodum puer. Prætextatior quippe is intelligitur, qui ab hoc habitu deponendo per ætatem longius distat. Ut 'puer admodum' is capiendus est, qui longius abest ab egressu pueritiæ. At Livius hunc Scipionem, qui patrem a morte servavit, tum primum pubertatis annos attigisse ostendit, quo tempore toga virilis sumebatur, deposita prætexta. Verba Livii: 'Auxitque pavorem, consulis vulnus; periculumque intercursu tum primum pubescentis filii propulsatum.' Si tum primum pubescebat, in exitu utique erat prætextatæ ætatis, ac proinde non tam prætextatus videri potuit, quam si ingressus tum esset ætatem, qua prætexta sumitur. Nec illud sine nota prætereundum est, quod huic Auctori in historia ita familiare est, ut sit perpetuum. Ubi duæ incidunt diversæ opiniones, alterius fere semper meminit tantum, eamque sequitur, quæ minus certa est. Ut hoc loco de servato consule duplex fama ferebatur. Una a filio ereptum neci ferebat; altera, a servo. Quæ decus in servum transtulit, eam magis vulgatam fuisse Livius testatur his verbis, quæ sic ex vetustissimo codice legenda sunt: 'Malim equidem de servo verum esse, quod et plures tradidere auctores, sed fama obtinuit servum.' *Salm.* Vid. Gronov. ad Liv. XXI. 46.

Prætextatus admodum] Hoc est, admodum puer. Livius 'juvenem' vocat, et certe tum primum pubescebat, qui finis est prætextatæ ætatis. Nec admodum prætextatum fuisse oportet, qui tum militabat in contubernio patris. *Salm.* Recte animadvertit Salmasius *admodum* hic frigere. Est quidem apud Justin. 'Bimus admodum,' hoc est, circiter, præter propter bimus, et 'Menses admodum septem.' Sed hæc nihil huc faciunt. Vir summus J. F. Gronovius conjiciebat *prætextatus modo*, id est, qui vix prætextam exuerat, et prima nunc tirocinii rudimenta deponebat in castris patris: quod perplacet. Prætextati enim non facile in castra ducebantur, multo minus in aciem. *Græv.* *Admodum* hic vix Latine poni nemo negabit. Habent tamen id omnia exemplaria, tam scripta, quam edita, etiam Jord. Freculphus, Hist. Misc. et Ursperg.; nisi quod soli Begero placuit illud ejicere. Hæc est nova, et nondum ab aliis tradita regula artis criticæ, ut, si quid corruptum vel obscurum in vetustis Scriptoribus occurrat, id sine ulla hæsitatione, exturbari liceat. Immo est infrunita et impudens audacia, quam non poterunt non condemnare omnes, qui intelligunt, quanta per eam fenestra ad corrumpendos Scriptores veteres aperiatur. Sed videamus tamen, qua ratione ductus non probet conjecturam Gronovii et Grævii. Huic placebat ideo legendum *modo*, quod prætextati non facile in castra ducebantur, multo minus in aciem. Quid ad hæc Begerus? 'Cui tamen,' inquit, 'exemplum Lepidi contradicit, ejus, qui vel numismate teste prætextatus hostem occidit, civem servavit: adeo ut vocem *admodum* hic tuto omittere liceat.' Historia est in Val. Max. III. 1. et nummus apud Ursinum in gente Æmilia. Potuerat etiam addere exemplum filii Tarquinii Prisci, relatum a Macrobio I. Sat. 6. Sed hæc nihil eum juvant. Nam sub Tarquinio Prisco nondum defini-

tus erat annus ætatis militaris, cujus rei auctor fuit Servius Tullius. At eo tempore, de quo hic agitur, prætextati non modo militare non solebant, sed ne quidem minoribus 17. annis licebat dare nomina militiæ, et si dedissent, stipendia iis non procedebant. Hoc lege cautum fuisse indicat Livius XXV. 5. in A. U. 540. quam, quum deinde in desuetudinem abiisset, a Graccho relatam fuisse docet Plutarch. in Gracch. vid. Lips. I. de Mil. Rom. 2. Dodwell. Prælect. Camden. v. 10. et Perizon. ad Ælian. VI. Var. Hist. 3. Non recte igitur Begerus ad infirmandam sententiam Grævii utitur argumento nummi veteris, et exemplo M. Lepidi. Nam quum is aliquanto posterior fuerit Scipione, est enim ex Ursini et aliorum sententia idem qui A. U. 566. et iterum 578. Cos. et Pont. Max. fuit, Grævius bene pronunciavit de tempore, quo pugna ad Ticinum facta est, i. e. A. U. 535. prætextatos tum non facile in castra et aciem ductos fuisse. Sed hoc probabili ratione e nummo illo colligitur, post A. U. 540. quum propter inopiam juniorum lata fuisset lex, quam memorat Liv. l. d. 'ut, qui minores XVII. annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si XVII. annorum, aut majores, milites facti essent,' paullatim invaluisse morem non modo minores 17. annis, sed etiam prætextatos, in militiam legendi. Scipionem autem tum non prætextatum fuisse potuerat Begerus discere e Polyb. X. 3. qui eum tum circiter 'XVII. annos natum' fuisse auctor est, et e Servio in Virg. X. Æn. 800. scribente 'vix XVII. annorum fuisse.' Et idem numerus colligi potest e Livio. Is enim XXVI. 18. prodit Scipionem A. U. 542. annos ferme 24. natum fuisse; ad Ticinum autem pugnatum est A. U. 535. Add. Ryck. ad Tac. XII. Ann. 41. Et hoc est, quod Val. Max. V. 4. dicit, eum 'vixdum annos puerilitatis egressum fuisse.' Seneca quidem III. de Benef. 33. de hac re agens Scipionem 'prætextatum' vocat, Sil. Ital. IV. 117. et 130. 'puerum,' et Liv. XXI. 46. 'primum pubescentem,' quod e Suet. Tib. VI. exponi posset 'adhuc prætextatum.' Sed hæc non magnum pondus habent ad definiendam illius ætatem. Nam Scriptores veteres nominibus ætatis, 'puer,' 'adolescens,' 'juvenis,' et similibus, sæpe indiscrete utuntur, et 'puerum' pro adolescente, 'adolescentem' pro puero, et contra, dicunt, quod ostenderunt Manutii, Paulus ad Cic. II. Epist. Fam. I. et Aldus ad Sall. Cat. XLIX. Quin et eumdem modo 'puerum,' modo 'adolescentem,' modo 'juvenem' vocant: ut Liv. XXIV. 4. et 5. Hieronymum, Hieronis nepotem, tunc ferme quindecim annorum; qui etiam ibid. c. 25. 'puer, ac vixdum pubescens' dicitur. Sic idem XXI. 3. Annibalem 'vixdum puberem' ab Asdrubale in Hispaniam arcessitum scribit, quem tamen ex his, quæ ibid. c. 4. et quæ C. Nep. Ann. III. scribit, tum fere 22. annorum fuisse observat ad Liv. Sigonius. Sed ut ad Florum redeamus; si is putavit Scipionem tum ea ætate fuisse, qua revera fuit, certum est, eum non recte potuisse dicere *admodum prætextatus*, nec quidquam melius video conjectura Gronovii. Sin autem vere adhuc prætextatum fuisse existimavit, ne sic quidem bene dixit *admodum prætextatus*, quod, si modo Latine dicitur, non alium denotare potest, quam qui longe adhuc abest a fine pueritiæ. Rectius, ut opinor, hoc dixisset *prætextatus adhuc tum*, vel, *prætextatus etiam tum*. Cic. pro Arch. cap. III. et Suet. Calig. X. 'Prætextatus etiam tum.' Sen. de Brev. Vit. VI. 'Et pupillus adhuc et prætextatus.' Sueton. Calig. XXIV. 'Prætextatus adhuc.'

§. 11 *Hic erit Scipio, qui in exitium*

Africæ crescit] Livium imitatur, ne quis censeat ab alio Auctore hæc accepisse, aut, dum in his scribendis erat, alium consuluisse. Sic enim ille: eadem re memorata: 'Hic erit juvenis, penes quem perfecti hujusce belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Annibale et de Pœnis appellatus.' Ita enim ibi scribendum ex auctoritate vetustissimi codicis. Nam vulgo est: *Hic erat juvenis*. Sal. Legendum ex Ryck. *Hic erat Scipio, qui in exitium Africæ crescit*. Non futurus erat Scipio qui in exitium Africæ tum crescebat. Sed ille modo prætextatus, qui patri vitam servabat, erat ille Scipio, qui tum adolescebat in perniciem Africæ. Ap. Liv. aliter se res habet, ubi *erit* legendum, is enim dicit puerum tum primum pubescentem, qui propulsaverat periculum, futurum esse juvenem, penes quem confecti belli laus sit futura. *Græv.* *Erit* est in Regg. Berol. Magl. Duisb. Voss. 1. Fran. Jord. et o. e. et sic in Flor. correctum fuerat ex *erat*, quod est in Voss. 2. et 3. Nec dubito, quin etiam ita in Vineti et Grut. libris fuerit: eo quod et hi ediderunt *crit*, quod probat etiam Gronov. ad Liv. XXI. 46. Tollius Fortuit. c. XXI. putat, si legatur *erit*, mox scribendum esse *crescet*. Et sic Ed. Parv. *Erat* et *crescet* mavult Schefferus.

§. 12 *Quum se ignibus*] Heins. vide in Dedicat. Clem. Alexandrini, ubi de Mosco. *Freinsh.* Exclamatio 'horribile dictu,' hic satis frigida videtur. Nam quid in eo horribile est, si quis membra oleo et igni contra frigus foveat, aut incolæ regionum frigidiorum ab iis, qui a meridie veniunt, vincantur? Sed Florus ita crebro illa utitur, ut ei quasi in deliciis fuisse videatur.

§. 13 *Trasimenus lacus*] Veteres scribunt, 'Trasumenius,' aut 'Trasymenius:' ita ap. Quintil. legendum alibi docebimus, lib. I. cap. V. 'Et Tarsumenium pro Trasumenio multi auctores, etiamsi in eo est transmutatio, vindicaverunt.' Vel *Tarsumenum* pro *Trasumeno*. Hunc lacum intelligit. Perperam vulgo legitur *Thrasomenum* pro *Thrasumeno*. Salm. Lege præter citatos supra Cic. de Divin. 1, 35. Val. Max. 1, 6, 6. Advertendum quidem, Flaminium ab Annibale superatum 9. Cal. Jul. Ovid. Fast. 6, 765. *Camers.* Begerus e Berolinensi libro probat *Trasimenius* quemadmodum etiam Duisb. Fran. et v. e. habent, sed edidit *Transimenius*. Videndum est, an hæc terminatio apud alios inveniatur. Nam in editis exemplaribus Quintiliani nomen hoc exit in *us*, non in *ius*. Et e Poëtis quorum loca sunt ap. Cellar. II. Geog. Ant. 9. adparet *Trasimenus* dici, non *Trasimenius*. In Polyb. III. 82. Θρασιμένη λίμνη, in Strab. V. p. 226. Τρασυμένα. Sed hoc a Xylandro et Casaub. factum est e corrupto γῆ πασουμένα. Plutarchus tamen videtur confirmare terminationem in *ius:* nam apud eum H. Steph. et Wechel. in princip. Vitæ Fabii ediderunt Θρασυνίαν λίμνην, quod videtur corruptum esse pro Θρασυμενίαν. Sed verum esse Θρασυμένην, quod ibi in aliis libris legitur, recte monent viri docti in Londin. Edit. Vitarum Plutarchi.

Palustribusque virgultis tectus eques] Hæc ars Punicæ fraudis, qua palustribus virgultis tectus eques terga subito pugnantium invasit, non est adhibita ab Annibale in hoc prælio ad Thrasumenium lacum, sed in altero ad Trebiam flumen. In ea quippe pugna, quæ ad Thrasumenum pugnata est, nihil aliud fraudis commentus est Pœnus, nec aliud curavit, quam ut clausum lacu et montibus, copiisque suis circumfusum haberet hostem. Eumque sic circumclusum militi suo ad satietatem præbuit cædendum. Vide Liv. cujus historiam qui cognovit, vix huic ignoverit. At ad Trebiam Magonem fratrem cum

equitibus in insidiis locavit, inter vepres ac virgulta, qui in ardore media pugnæ subito exorti terga prælianium ceciderunt. 'Erat,' inquit, 'in medio rivus peraltis utrimque clausus ripis, et circa obsitus palustribus herbis, et, quibus inculta ferme vestiuntur, virgultis vepribusque.' Hæ palustres fortasse herbæ fecerunt, ut ad lacum Thrasumenium pugnam transferret noster. Idem Liv. paulo post: 'Et Mago Numidæque, simul latebras eorum improvida præterlata acies est, exorti a tergo ingentem tumultum ac terrorem fecere.' Nihil tale tentatum ad Thrasumenum memorat. *Salm.*

§. 14 *Nec de Diis possumus queri*] Sic inf. 3, 11, 1. 'Nec de fortuna possumus queri, caret solatio clades.' Tac. 2, 71, 2. 'Justus mihi dolor, etiam adversus Deos, esset.' *Freinsh.* Est frequens formula: vid. cl. Burm. ad Vell. II. 130.

Insidentia signis examina] Duplex prodigium cladem eam, quæ consule Flaminio accepta est, præcessisse ac prænuntiasse vult, examen apum signis insidens, et aquilas prodire nolentes. Duplici quoque prodigio prædictam eam cladem temerario duci prodit Livius, sed pro examine apum aliud habet, consulis nempe casum, supra cespitantis equi caput evoluti, cum in eum insiluisset. At examen apum pro malo omine fuit Scipioni in eo prælio, quod commissum est inter Padum et Ticinum. Liv. lib. XXI. 'Nam et lupus intraverat castra, laniatisque obviis ipse intactus evaserat; et examen apum in arbore prætorio imminente consederat.' Sed hæc magni momenti non sunt, et habere potuit Auctorem Noster, qui sic prodiderit. Et examen istud apum signis ipsis insedisse hoc loco dicit. Quod aliud est. *Salm.* Add. inf. 4, 2, 45. *Freinsh.* Cicero I. de Divin. 35. eod. modo, quo Liv.

Et aquilæ prodire nolentes] Qui Romani ac militaris moris rudis esset, et hospes in lectione Auctorum, præcipue historicorum, quamlibet alias sagax et acutus, vix divinando assequi posset, quomodo hoc prodigium factum sit, ut aquilæ prodire noluerint, adeo impropriis, et alio rem ducentibus, verbis hoc expressit Florus. Conti, quibus aquilæ sustinebantur et alia militaria signa, in imo ferrati acumiuatâm babebant cuspidem: Græci in pilis οὐριαχὸν et σαυρωτῆρα appellant. Ea cuspide in terram defigebantur eo loco castrorum, ubi signa reponi solebant. Cum castra movebantur, aut alias e castris educebantur in aciem signa, convelli ea necesse erat, ut refigerentur. Inter evellendum ab humo, si sponte sequerentur, et facile extraherentur, bonum omen babebatur. Si tenacius hærerent, et vis major esset adhibenda, ut evelli possent, pro tristi omine res accipi solita. Flaminio pugnam ad Thrasymenum capessere parauti hoc prodigium objectum. Livius rem sic narrat: 'Territis omnibus, qui circa erant, velut fœdo omine incipiendæ rei, insuper nuntiatur signum omni vi moliente signifero convelli nequire.' At consul, non turbatus nec territus hoc prodigio, signum jussit effodi, si convelli nequiret. Quæ convelluntur, solo nisu vehementius agitata et concussa extrahuntur, ut pali validius in terram impacti aut defixi. Arbores vero et virgulta, quæ radice viva humo tenentur, convelli non possunt, ideo effodi oportet. Quod mirum non est, si prodigii instar obtineat in conti cuspide in terram defixa, quæ effodienda est ut evellatur. Sic prodire nolentes aquilæ Flori nostri explicandæ fuerunt, non ut fecit Gallicus interpres, qui etiam pictas in tela aquilas illas imaginatus est. *Salm.* Mali res ominis, quasi Diis expeditionem aspernantibus. Vide Suet. Claud. 13, 5. *Freinsh.* Multa de hac re habet

Gevartius I. Elect. 2. qui putat hæc fuisse auspicia ex acuminibus, quæ in re militari olim observata fuisse scribunt Cic. II. de N. D. 3. et II. de Divin. 36. et Arnob. Lib. II. p. 91. Nam si signa facile humo evellerentur, id pro fausto omine habitum fuisse; contra, si difficulter, pro infausto. Sed nondum ita sublatus est omnis scrupulus. Etenim auctor est Cicero, auspicia ex acuminibus jamdudum ante suam ætatem desiisse observari. At vero si signa velli non potuissent, id non modo ætate Ciceronis, verum etiam diu post eam, manifestum omen cladis habitum fuisse, apertum est ex iis, quæ ipse Gevartius e Dione et Val. M. adfert, et quæ Suet. scribit Claud. XIII. Unde et contra credi par est, si vellentem facile sequerentur, id iis temporibus, de quibus loquuntur hi scriptores, non minus boni ominis fuisse, quam olim: e quo porro consequitur, auspicia ex acuminibus tum adhuc fuisse observata, contra quam proditum est a Cic. Alii, qui in Thesauro Fabri v. *Acumen* citantur, alia de his commenti sunt. Mihi non magis liquet, quæ fuerint 'auspicia ex acuminibus,' quam Sigonio II. de Ant. Jur. Prov. 6. et Theod. Cantero ad Arnob.

Ingens terræ tremor] Quippe 'qui multarum urbium Italiæ magnas partes prostravit, avertitque cursu rapido amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit:' Liv. 22, 5, 10. Eum tamen neminem pugnantium sensisse, testatur Idem citato loco, et Plin. 2, 84. *Fr.*

Nisi illum horrorem soli, equitum virorumque discursus] Terræ tremorem, qui contigit cum acies Romana et Punica ad Thrasymenum pugnaret, ex equitum virorumque discursu et motis vehementius armis factum sibi videri ostendit his verbis Annæus. Quam ineptissimam ausim dicere animo ejus incidisse suspicionem. Nullus enim tam horribilis motus ac discursus in superficie terræ fieri potest, qui ipsam a fundamentis concutiat ac tremefaciat. Præterea tremor ille terræ non in eo tantum loco factus ubi pugnatum est, sed multas etiam Italiæ urbes magna parte diruit, et cursum fluviorum pluribus locis retro abegit. Liv. lib. XXII. de hac pugna: 'Tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnæ animus, ut eum terræ motum, qui multarum Italiæ urbium magnas partes prostravit, avertitque cursu rapido amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.' An verisimile est, tantum terræ motum, et qui tanta terrarum spatia concussit, ex discursu militum ad Thrasymenum pugnantium, et armorum vibratione validiore, causam et ortum habuisse? Nonne multo credibilius, mentis emotæ fuisse tum Florum, cum hæc scripsit? Ne in verbis quidem satis sanus. 'Horror' medicis in febri recte vocatur, quo totum corpus fere concutitur, frigore sub cutem ac per omnes venas dilito; unde horror ille gignitur, qui proprie in pilis corporis erigentibus se ac capillis horrentibus perspicitur. Φρίκην Græci appellant. Sed et 'horrent comæ' poëtis, quas magnus pavor et subitus erigit, ne solum censeas febrile frigus, aut brumale, id facere. Quod φρίσσειν Græci appellant: unde et φρίκη pro frigore, et antiquum φρῖκος, unde Latinum 'frigus.' Quin et 'horrere seges' eleganter Poëtis dicitur, cum vento impulsa nutantibus tremit cacuminibus. Φρίττειν λήϊον Græci Poëtæ similiter dicunt. At *horrorem soli* pro tremore terræ, aut *horrere terram* cum movetur, qui dixerit, neminem adhuc opinor inventum, qui idoneus haberi possit Latinitatis auctor. *Salm.* Ryck. *illum terrorem soli.* Græv.

Voss. 2. *errorem.* Hanc sententiam post Salmasium etiam Grævius in Præf. reprehenderat. Sed hic quoque, ut consuetudinem suam in tuendo patrocinio servet, pro Floro causam dicit Begerus; sed paullo minus diserte, quam solebat is, ad quem id, quod posui, scribit Vatinius. Nimirum dicit, si quis dicat 'ingentem fuisse terræ motum,' responderi posse, etiam 'ingentem fuisse equorum virorumque in prælio discursum, ideoque etsi ultra fidem forsan, tamen non ultra modum esse hyperbolen Flori.' Hoc nihilo melius est, quam id quod dicit Florus. Non quæritur, quam magnus discursus pugnantium, aut quam gravis tremor terræ fuerit, sed an illo discursu equorum virorumque, et vehementiore motu armorum, tam gravis terræ motus, qualem hunc fuisse scribunt Livius, et Cicero I. de Divin. 35. excitari potuerit; quod vel suspicari vere omnem stultitiam exsuperat, et a communi sensu alienum est. Poëtæ quidem tam Græci, quam Latini, descriptiones pugnarum ita exornant, ut dicant 'terram,' in qua pugnatur, 'gemere,' 'tremere,' et 'resonare pulsu pedum et motu armorum,' quemadmodum in his, quæ hic adfert Begerus, et apud multos alios, quorum loca congessit Cerda ad Virg. XII. Æn. 334. Sed nemo eorum tam stolidus fuit, ut dixerit gravem aliquem terræ motum, qui urbes ac montes prostraverit, quod de hoc proditum est, e discursu pugnantium fuisse ortum. Existimat porro Begerus 'horrorem soli' non minus recte posse dici de motu terræ, quam 'horror corporum febricitantium' dicitur. Sed hoc est, quod Salmasius negat ex ullo idoneo Auctore Linguæ Latinæ posse ostendi. Itaque non sufficit hoc Begeri, 'nec 'horror terræ' pro terræ tremore ineleganter dici videtur:' sed hoc idoneis auctoritatibus demonstrandum fuerat. Nam alioqui eadem ratione omnia, quæ moventur et concutiuntur, eleganter possent dici 'horrere,' quod quam absurdum sit, nemo non intelligit. Sed tamen id peculiari ratione de terræ tremore posse dici putat: esse enim 'metaphoram a microcosmo in febribus translatam ad macrocosmum. 'Horror,'' inquit, 'Medicis, ut ipse Salmasius agnoscit, in febri recte dicitur, quo corpus concutitur. Quidni ergo dici possit et de terra? Nonne eodem sensu Catullus (Carm. LXV. vs. 205.) de æquoribus? Quo nunc et tellus atque horrida contremuerunt Æquora.' Hoc tam acutum atque ingeniosum est, ut nihil magis possit. Habent hic quod adhuc, ut opinor, ignoratum discant Philosophi, terræ motum esse quasi accessionem febris terræ, et terram, quum movetur, quasi febricitare. Sed quum febris fere incipiat ab horrore, cui deinde succedit calor, ut Celsus scribit III. de Medic. 3. atque adeo horror initium febris sit; velim equidem scire, quid in terræ motu finito illo horrore in locum ejus veniat: nam et hoc dicendum est, si comparationem terræ motus cum febri constare et adcuratam esse putat. Plane credo Begeri microcosmum febricitasse, quum hæc scribebat; adeo omnia, quæ loquitur, nihil nisi febricitantis somnia sunt. Locus Catulli nihil ad rem facit. 'Horrescere mare' dicit Virgil. 3. Ge. 199. quum ventis impulsum fluctus attollit. Sic 'horrida æquora' Catullo sunt fluctibus agitata, quæ et 'sæva' dicuntur, et 'aspera' Virgil. VI. Æn. 351. Hæc autem non magis transferri possunt ad omnia alia, quæ agitantur et concutiuntur, quam 'horror.' Ceterum in Flori verbis hoc quoque animadvertendum est, eum non recte videri hunc motum terræ recensere inter omina imminentis cladis. Nam si is

demum sequutus est commissam aciem, non potuit eo Flaminius deterreri a committendo prælio, quemadmodum aliis prodigiis, quæ id præcesserant.

§. 15 *Quartum*] Cannensem cladem scribunt late Liv. 22, 45. &c. Polyb. 5, 114, &c. Val. M. 1, 1, 16. 3, 4, 4. 4, 5, 2. 7, 4, 2. ext. 7, 6, 1. Plin. 15, 18. Lactant. 2, 17. Plura Augustinus, ubi supra. Silius in toto nono. Frontin. 2, 2, 7. *Cam.*

Id est, pæne ultimum vulnus imperii] Quatuor has populi Romani bello Annibalis acceptas clades variis nominibus insignit. Quin et totum illud Punicum bellum gravem ac luctuosam tempestatem fuisse dicit. Hujus primi impetus turbinem inter Padum ac Ticinum valido fragore detonuisse scribit. Inde secundam belli Punici procellam ad Trebiam desæviisse. Mox Thrasymenum lacum tertium fuisse Annibalis fulmen. Non habuit quartum nomen, quo in eadem metaphora perstans cladem exaggerare posset, ideo cœptam omisit tralationem, et ad aliam transiit, quæ, cum rem augere deberet, plane diminuit. 'Quartum,' inquit 'imperii vulnus Cannæ.' Voluit tamen jacentem figuram extollere addendo, 'id est, pæne ultimum.' Atqui Cannensis hæc clades, si cum præcedentibus comparetur, nullam relinquit hyperbolen. Hic enim quadraginta hominum millia cæsa. Cui parem stragem ne tria quidem reliqua prælia, quæ præcesserunt, dedere. Quæ singula tamen turbinibus, procellis, ac fulminibus comparavit; hoc postremum, quod omnium fuit gravissimum, vulneris nomine satis habuit amplificare. Nec satis est quod 'pæne ultimum' dixit. Nam majora omnia verba sunt, quæ extollendis aliis ante consumpsit. Potuisset sane dicere, reliqua imperii vulnera non ad mortem fuisse, hoc ultimum, ad Cannas acceptum, pæne mortiferum. *Salm.* God. *quartum, et pæne ultimum vulnus imperii:* non male. *Græv.*

Cannæ, ignobilis Apuliæ vicus] Vicus hic juxta Aufidum amnem. 'Cannam' etiam ibi amnem fuisse ex carmine Marcii vatis, quod Livius recitat lib. xxv. colligitur, idemque ex verbis ipsius Livii discitur. In carmine sic habetur: 'Amnem Trojugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manum.' Subjicit post totum carmen recitatum Livius: 'Et Diomedis Argivi campos et Cannam flumen, qui militaverant in iis locis juxta atque ipsam cladem agnoscebant.' Ubi tamen Cannensem pugnam idem Auctor describit Cannæ fluminis nullus meminit. Forte ab illo amne nomen vico positum. Nec dubia res est. Cannas quasdam prope Carthaginem collocat Stephanus: Εἰσὶ καὶ Κάνναι διὰ δύο ν πλησίον Καρχηδόνος, τὸ ἐθνικὸν καὶ Κανναῖος. Nescio an has Cannas designare voluerit, et per errorem ex Apulia in Africam transtulerit. *Salm.*

Ignobilis vicus] Sic inf. 3, 19. 8. de Euno, 'Magnitudo cladium facit ut meminerimus.' *Freinsh.*

Et quadraginta millium cæde] Haud paulo elegantius, mea quidem sententia, quod in optimo habetur Naz. Cod. *et quadraginta millium cæde facta nobilitas.* Nobilis ille factus vicus quadraginta millium cæde. Sic loquitur et Liv. lib. xxv. 'Sed ad Capuam oppugnandam nobilem se consulatum tam opulentæ urbis excidio rati facturos.' Profecto, nisi vetus illam lectionem prodidisset, controversiam vulgatæ non movissem. Liv. 'Majoris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas profecti sunt. Quadraginta millium cæde.' Peditum tantum, eorumque Romani nominis. Nam equitum præterea duo millia cæsa, et septingenti. Sociorum vero æquata cædes. Liv. 'Quadraginta millia peditum, duo

millia septingenti equites, et tanta prope civium sociorumque pars cæsi dicuntur.' Significat, ex sociis et civibus æquam partem cecidisse. Romani tum exercitus ex civibus ac sociis constabant. Auxilia ex sociis proprie dicebantur. Legiones Romanorum civium. Exercitus sociorum plerunque numero æquabat legiones Romanas. Liv. lib. xxv. 'Data pro quinque octo millia militum, pars dimidia cives, pars socii.' Utrum igitur verbis illis, quæ supra posuimus, quadraginta millia civium cæsa, et totidem sociorum, significat Livius, an ex quadraginta millibus, quæ feruntur occisa, æquam partem civium et sociorum interemptam innuit? Hoc verius. *Salm.* De numero Rom. interfectorum non omnes idem sentiunt. Lege Plutarch. in Annib. *Cam.* *Sexaginta millia* sunt ap. Jord. sed de incertis istis numeris monuimus in Eutropium. *Vin.* N. Heins. malebat: *cæde ei parta nobilitas.* Græv. Livius xxv. 6. ad Cannas plus quinquaginta millia hominum cecidisse scribit. *Emergere in claritatem nominis* dicit Sen. III. de Benef. 29. 'Nec' potuissem 'in hanc emergere nominis claritatem, quam civili ac militari industria merui.' Juv. III. Sat. 164. 'Haud facile emergunt.' Begerus rejicit sententiam Salmasii, qui putabat elegantius esse *facta nobilitas*, quam *parta*. 'Aliud est,' inquit, "'parta nobilitas,' aliud 'facta nobilitas.' 'Parta nobilitas' eum supponit, cui parta est, secus autem 'facta nobilitas.'" Hæc mihi sunt folia Sibyllæ.

Tota denique] Salm. in Edit. Commel. monuit *denique* non legi in optimis libris scriptis, neque in Vet. Ed. nec in Jord. Desideratur non solum in Naz. et Pall. sed etiam in Ryck. Regg. Duisb. et Voss. 2. 3.

§. 16 *Simulatis transfugis*] Simile Strategema reperies ap. Leunclav. Annal. Turcic. 148. *Freinsh.*

Observato loci ingenio] 'Bonum ducem convenit nosse, magnam partem victoriæ, ipsum locum, in quo dimicandum est, possidere.' Vegetius, 3, 13. Idque multis exemplis comprobat Frontinus, toto cap. 2. lib. 2. Inde est quod Darius ait: 'Quod mearum fuit partium, &c. locum, in quo acies explicari posset, elegi:' ap. Curt. 4, 14, 12. et ap. Tac. H. 5. 17, 3. Civilis: 'Quæ provideri astu ducis oportuerit, providisse: campos madentes, et ipsis gnaros, paludes hostibus noxias.' *Idem.* Ad ea, quæ Freinsh. in Ind. adnotat de phrasi 'ingenium loci,' add. Interpp. Justin. ad II. 2. et Petron. cap. CXXVI.

Quod et sol ibi acerrimus] Imitatus hoc postea Marius, insignem ex Cimbris victoriam retulit inf. 3, 3, 27. et ap. Plut. in Vita, cap. 43. Hinc est Vegetii, 3, 14. præceptum, 'Ordinaturus aciem tria debet ante prospicere, solem, pulverem, ventum.' Venti adminiculo etiam Bactrianos vicit Artaxerxes, in excerpt. Pers. Ctesiæ, cap. 31. et Saraceni Banem et Basiliscum, Constantinopolitanos duces, in Saracenicis, quæ Sylburgius edidit, pag. 72. *Freinsh.* 'Sol acerrimus' est ardentissimus, quem etiam 'acutum' dicunt Latini, ὀξὺν Græci. Vid. Græv. Hesiod. Lect. c. IX. Virg. I. G. 92. 'Rapidique potentia solis Acrior.' Columell. XI. 2. 'Priusquam sol acrior exurat terram.'

Et Eurus ab Oriente semper quasi ad constitutum] Is Volturnus Livio dicitur, qui ab incolis ejus regionis, ubi tum pugnatum est, ita vocari prodit. Ab amne Volturno qui veniebat ventus, quod ab Oriente his flaret, sic appellarunt indigenæ. Hoc quoque nomine notus scriptoribus Romanis fuit. De sole quod ait Noster, contrarium Romanis fuisse, id negat Livius qui utrique parti æquum fuisse tradit, ex obliquo ambobus accidentem. 'Sol,' inquit, 'seu de industria ita locatis, seu forte ita stan-

do peropportune, utrique parti obliquus erat, Romanis in meridiem, Pœnis in septentrionem versis.' Luce prima acies iustructas utrimque idem affirmat. Ita igitur versis Romanis in meridiem, Pœnis in septentrionem, sol ab oriente accidens utrisque obliquus erat, et e transverso ingruebat. Atqui indidem quoque Eurus spirans, neutri parti poterat contrarius esse, utpote ab eadem parte, qua sol ipsis illatus ex æquo favebat aut nocebat his et illis. Livius tamen, qui solem ambobus æquum dicit, Romanis iniquum Volturnum fuisse ibidem refert: 'Ventus, quem Volturnum incolæ regionis vocant, adversus Romanos coortus multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit.' At Romanis in meridiem spectantibus, ita enim locatos in acie pugnasse testatur, haud alius ex adverso ventus flare potuit, et in ora pulverem ferre, quam qui ab ipso meridie incideret, aut certe ab ea parte, quæ inter meridiem et orientem, quem Græci Euronotum nominant. Qui tamen ventus non recta pulverem in oculos Romanorum importasset, sed ex obliquo. Aut igitur de Volturno falsa veterum Grammaticorum notatio, qui Eurum Græcorum esse affirmarunt, aut ipse Livius falsus in notanda locatione utriusque aciei. *Salm.*

Ut, Romanis adversus hæc omnia obversis] In Nazariano et Palatinis duobus constanter et plane habetur: *adversis.* Atque ita legendum. Indicat, Romanos soli et vento adversos fuisse, Pœnos aversos. De vento verum est, dum Volturnus non sit Eurus, et ab Oriente flans. De sole falsum esse ostendimus. Livius: 'Prope eum vicum,' Cannas intelligit, 'Annibal castra posuerat aversa a Volturno vento, qui, campis torridis siccitate, nubes pulveris vehit. Id cum ipsis castris percommodum fuit, tum salutare præcipue futurum erat, cum aciem dirigerent, ipsi aversi, terga tantum afflante vento, in occæcatum pulvere effuso hostem pugnaturi.' Idem situs castrorum Annibalis, eademque locatio militum ab eo in acie instructorum. Ut illa aversa a Volturno vento, ita ab anteriore castrorum parte prodeuntes, sic ordinati sunt ac locati ad pugnandum, ut ventus Volturnus his terga afflaret. Atqui frontem ejus aciei directam in Septentrionem idem Livius paulo post asserit, cum Pœnos pugnantes in Septentrionem versos ait. Necesse est itaque, sic Septentrioni adversis, et a vento Volturno ita aversis, ut terga eorum afflaret, in ora vero Romanis ingrueret, ab ipsa Meridiei plaga ventum illum eis adspirasse. Inde pronuntiandum fidenter succurrit, Volturnum non eumdem cum Euro fuisse ventum, sed ipsissimum Notum, aut ab latere proximo Noti flantem. Legebam porro hic aliquando: *Ut, Romanis adversis, ac Pœnis aversis, quasi secundum cœlum tenens, vento, pulvere, sole pugnaret.* Nunc non sollicito scriptam fideliorum Codd. lectionem: *Romanis adversus hæc omnia adversis.* Id est, adversus solem, ventum, et pulverem. *Idem.* Recepi lectionem Ryck. Reg. et alterius Gud. a Naz. et Salm. quoque probatam: *adversus hæc omnia adversis.* Sed N. Heinsius jubet expungi *adversis*, durum enim esse concursum *adversus obversis*, aut *adversis*: posse autem putat abesse *adversus* elegantiæ caussa, ut ap. Colum. lib. VIII. 3. 'Ornithonis tres continuæ extruuntur cellæ, perpetua frons orientem sit obversa.' Ita optimum et antiquissimum librum S. Germani habere, vulgo *soli obversa* circumferri: hæc Vir Nobilissimus. In præcedentibus verbis, 'Eurus ab oriente semper ad constitutum,' non pertinet 'semper' ad 'Eurum ab oriente,' sed ad 'quasi ad constitutum:' Eurus, inquit, ab Oriente flans illum tractum certo diei tempore semper quasi ex

compacto infestabat. 'Quasi ad constitutum' est quasi ita constituisset cum illo agro, sive pepigisset. 'Constituere' est, pacisci, convenire cum aliquo ut ad certum locum certo tempore veniat. Juv. 'Hic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.' 'Semper ad constitutum venire' est, quotidie certa et dicta hora esse præsto. *Græv.* De Euro et Vulturno multa disputat Salmasius ad Solinum, et plus semel adfirmat Latinis Vulturnum esse, qui Græcis est Eurus. Livium in notanda locatione utriusque aciei falsum, non credo. Nam et Polyb. III. 114. auctor est, Romanam aciem meridiem spectasse, Carthaginiensem septemtrionem. Sed in appellationibus ventorum multum perplexi est. Illud non intelligo, quod Colum. v. de R. R. 5. scribit, 'Eurum' ab incolis Bæticæ in Hispania 'Vulturnum' appellari: nisi incolæ Bæticæ ei sunt, qui eo in colonias missi vocem illam ex Italia in Hispaniam intulerint. De Sole quod dicit Florus, satis defendi potest. Nam etsi is primo utrique parti obliquus erat, et neutros magnopere offendebat, quum primum exoriebatur, quod etiam Polyb. l. d. scribit; tamen quo magis procedente die ad meridiem adscendebat, eo magis terga eorum, qui in septemtrionem versi erant, et vultus eorum, qui in meridiem, feriebant radii. In conjectura Heinsii constructionem laborare dicit Begerus. Non percepit illius mentem. Nam Heinsius hoc vult, ideo omitti posse *adversus*, quod satis Latine dicatur 'obversus omnia,' ut ap. Colum. in Ms. 'frons orientem obversa,' quod etiam in suis libris invenerat Politianus. Scriptura librorum Flori, quos hic laudant Salm. et Grævius, etiam est in Toll. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et om. ed. In Regg. et Jord. *obversis*, quod minus durum videtur, quam *adversus hæc omnia adversis*. Voss. 3. *Romanis hæc omnia adversis*. Verba 'quasi ad constitutum' non recte exponit Freinsh. in Ind., quasi ad scopum. Melius Grævius et Gronov. I. Obs. 1.

Quasi secundum cœlum tenens] Hæc scriptura est omnium nostrorum codd. longe optima, præ illa quam Vinet. prætulit: *Quasi secum cœlum tenens*. Eam etiam adstruit vetus editio. Non protrita autem nec vulgaris notæ hæc loquutio. Quasi secundum cœlum tenebat Annibal, qui secundo sole, juxta hunc Nostrum, ac secundo vento, pugnabat. Secundus porro ventus, qui a tergo spirat euntis navis; ut adversus, qui contrarius. Ita secundo amne navigat, qui sequitur amnis cursum, nec contra, quam rapit ille ac defluit. Sic secundo sole ventum flare Nigidius olim dixit, qui non contra solem flat, sed ab ea regione unde sol. Quod non intellexit Agellius, ut pluribus ad Solinum dixi. *Salm. Quasi secundum cœlum*] Ita v. e. nam Vineti, *quasi secum cœlum;* etsi non neget alterum fuisse in Mss. suis: nec aliter quoque Jornandes, nisi quod ille omisit particulam, *quasi:* quæ tamen requiritur maxime, comparetque item in Pall. tribus: dixit autem 'secundum cœlum,' ut inf. 3. 20, 1. de servis: 'Quasi secundum genus hominum.' *Grut.* Sed hoc longe aliud est: vid. ibi Græv. De loco Nigidii ap. Gell. II. 22. Salmas. ad Solin. p. 890.

§. 17 *Donec Annibal diceret militi suo, Parce ferro*] Nihil tale Livius. Nec vero de Annibale verisimile est. Quinimo, ut res fuit, et ridiculum est. Tempestive sane Annibal militem suum parcere ferro jussisset, internecione deleto jam exercitu Romano, post quadraginta millium cædem, ad satietatem non magis, quam ad lassitudinem usque, cæsorum, cum alterum consulem, qui superfuit, quinquaginta fere milites fugientem sequuti sint! Ubi igitur aut quando in illa pugna locum habuit illud Anni-

balis ad militem suum, 'Parce ferro?' Strages ipsa satis illustre documentum dedit, an pepercerint ferro. *Salm.* Idem recitat Augustinus, ubi supra. *Cam.* Lucan. 7. 729. 'Parcendum ferro.' *Freinsh.*

Dubium uter majore animo] Cf. Frontin. 4. 5, 5, 6. et disputat. Cleomenis ap. Plutarch. *Id.*

Paulum puduit, Varro non desperavit] Disputat, ac dubitandum proponit, uter ducum majore animo fecerit, qui superesse militibus suis noluit, an qui fugit ex acie. Animi, hujus qui fugit, magnitudinem ex eo probare nititur, quod de Republica non desperavit. Certe gratiæ illi hoc nomine a civitate actæ, quod de republica non desperasset. Et magno animo hoc fecisse civitatem Livius interpretatur. 'Quo quidem,' inquit, 'in tempore ipso adeo magno animo civitas fuit, ut consuli ex tanta clade, cujus ipse magna causa fuisset, redeunti et obviam itum frequenter ab omnibus ordinibus sit, et gratiæ actæ, quod de Republica non desperasset. Cui, si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicii foret.' Magni certe animi hoc factum fuisse civitatis lubens assentior. At ipsum Varronem, eo ipso, quod fugerit, magni animi specimen dedisse, nunquam mihi persuadebit Florus. Nemo fugacium in bello non sic laudari poterit, teste Græco proverbio: 'Qui fugit, iterum pugnabit.' Immo, qui semel fugit, iterum fugiet atque iterum. Quasi Paulus, cum vitam suam servare sategit ex ea clade, qua tot civium suorum fortiter pugnantes cæsi sunt, hoc cogitarit, idque eo animo fecerit, quod de Republica desperandum non esset. *Salm.* Hic aliquid excidisse judicat N. Heinsius. Si tres, inquit, ultimæ litteræ τοῦ 'Puduit' repetantur habebis *vit*, unde *vitæ* facio. *Paullum puduit vitæ.* De Lentulo Sil. Ital. x. 265., qui vulneratus, cum se reciperet e prælio Cannensi, in Paullum incidit graviter saucium: 'Mens abiit, puduitque fugæ.' Sed et scribendum: *Varro de rep. non desperavit.* In *desperavit* habes omnes litteras a me insertas *de rep.* Sic de Varrone et alii scriptores. Instar omnium unus Livius bis pari modo lib. XXII. cap. ult. et lib. XXV. cap. 6. *Græv.* *Paullus*, tam proprium, quam commune, in Inscriptionibus et Nummis geminato *l* legi, hic e Pierio in Virg. IV. Æn. 649. adnotat Vinetus; quod etiam Sigonius observat ad Liv. x. 3. Et Victor. ad Cic. XII. Fam. 12. in Mediceo Cod. Epistolarum Cic. *l* in his duplicari scribit. Turnebus tamen XXX. Adversar. 28. scripturam, quæ non geminat *l*, defendit auctoritate Prisciani lib. III. p. 614. Eadem est sententia Velii Longi in fine Libri de Orthographia. Turnebus quidem dicit, Priscianum in Grammaticis locupletiorem testem esse, quam ullus sculptor sit. Sed mihi potior est auctoritas Inscriptionum et Nummorum Grammaticis illis multo vetustiorum; quo tempore non quæri, nec ignorari poterat, quomodo hoc nomen scribendum esset. In fine notæ Salm. *Quasi Paulus* error festinantis fuit, pro *Quasi Varro.*

§. 18 *Pons de cadaveribus, jussu ducis, factus in torrente Vergelli*] Nihil de hoc quoque apud Livium. Et profecto ineptum est, documentum magnæ cladis ex ea re arcessere, quod vel minima strages potest implere. Quadraginta millia peditum cæsa sunt Cannensi acie. Fac octavam tantum partem, fac adhuc minorem cecidisse, non erit difficile ex cadaveribus pontem in torrente vel exiguo aliquo amne facere. Vel centum, aut ad summum ducenta cadavera id præstabunt. Pone, mille opus esse. At ex quadraginta millibus cadaverum non pontem feceris, sed acervum, sed cumulum pæne præ altitudine insuperabilem. 'Documenta,' inquit,

'cladis, cruentus aliquandiu Aufidus; pons de cadaveribus, jussu ducis, factus in torrente Vergelli; modii duo anulorum Carthaginem missi.' Nequaquam par documentum ad indicandam cladis magnitudinem pons de cadaveribus in aliquo torrente factus, cum duobus modiis anulorum Carthaginem missis, et cum eo quod dicit, aliquamdiu cruentum fluxisse Aufidum. *Salm.* Vide Val. M. 9. 2, 2. Hinc Idem ap. Lucian. in Dial. Mort. Dial. 12. inquit, 'se uno die tot Roman. occidisse, ut ex cadaveribus eorum pontes fluviis fecerit.' Cornelius etiam Lentulus, ap. Appian. Carthaginiensibus objicit; quod captivos Romanos in fossas fluviosque conjecissent, ut usum pontium præberent. *Stad.* Sic in Mundæ urbis obsidio, 'congestis undique cadaveribus agger effectus est, quæ pilis jaculisque confixa inter se tenebantur, fœdum etiam inter barbaros;' inf. 4. 2, 84. De Annibale, Liv. 23. 5, 9. 'Pontibus ac molibus ex humanorum corporum strue faciendis.' *Freinsh.*

In torrente Vergelli] Hujus torrentis in illa pugna describenda nulla in Livio mentio. Ab alio igitur hanc habet historiam de ponte facto in torrente Vergelli, ingestis et accumulatis cadaveribus. Extat porro ap. Val. M. lib. IX. cap. 2. *Salm.*

Torrente Vergelli] Libri omnes nostri heic habent, *torrente Vergelli*. Pro quo Jord. maluit, communiore et usitatiore phrasi, *in torrente Vergello*. Nec causa erat, cur Pighio magis placeret lectio Jordanis, quam librorum Flori. *Torrens Vergelli*, ut 'urbs Romæ,' 'herba lapathi,' et Græcis Poëtis, πόλις Ὀρχομένοιο. Nec probo etiam Viri docti sententiam pro *Vercello* reponentis *Cerballo* apud utrumque, quod amnis Apuliæ nomen Plinio. Ego Plininm potius, si res esset mei arbitrii, ex his duobus auctoribus corrigerem. Nec difficilis transpositio, ut pro *Vercello* degenerarit in scribarum manu, *Cervellus*, aut *Cerballus* amnis. *Id.* Adde eund. in Solin. p. 373. b. 1. Sic 'Fons Arethusæ' hoc ipso cap. num. 34. *Freinsh.* Cerda in Virg. v. Æn. 504. putat, solis Poëtis concedendum ita loqui. Est quidem hoc frequentius Poëtis; nec tamen hoc genus loquendi refugerunt prosæ Scriptores. Vid. Interpret. Velleii ad II. 130. Justini ad XXXVI. 2. et 3. Salm. ad Capitol. Anton. Philos. c. XXVI. Sanct. Min. II. 3. et ibi Perizon. n. 14. Is. Vossius ad Catull. p. 211. scribit, quum dicitur 'flumen Rheni,' 'Nili,' et similia, id non simpliciter intelligendum esse de ipsis fluminibus; sed de Numinibus, quorum tutelæ ea consecrata sunt. Mihi eadem ratio in his omnibus esse videtur, nec aliter dici 'flumen Rheni,' quam 'Urbs Patavii,' ap. Virg. I. Æn. 247. 'Mons Synæ,' Justin. XXXVI. 2. 'Arbor abietis,' Liv. XXIV. 3.

Modii duo anulorum] Abit heic diversus a suo Livio. Tantum acervum anulorum fuisse dicit, ut metientibus dimidium supra tres modios explesse quidam auctores fuerint. Addit tamen ibidem, famam tenuisse, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio. Inter utrumque viam secat ea fama, quæ duos modios posuit. Quam hic Florus sequitur, nec hujus meminit Livius. *Salm.* Val. M. 7. 2, 13. extern. August. 3. 19. Civit. Plin. 33. 1. (et Oros. 4. 16.) asserunt, fuisse modios tres. Livius, 23. 12. 1. recenset varias scriptorum sententias. *Cam.* Ideoque ap. Lucian. in Dial. Mort. Dial. 12. idem jactat, 'se uno die tot Romanos interfecisse, ut eorum anulos modiis metitus sit.' *Freinsh.*

Dignitasque equestris] Figurate, pro anulis quibus equites utebantur. Vide supra, 1. 5, 6. *Idem.* Nempe pro insignibus dignitatis, ut I. 13, 10. 'Ut in sua dignitate morerentur.'

§. 19. *Dubium deinde non erat*] Lege: *non erit.* Ita in Jord. legimus,

ita in vett. Flori libris. Lib. III. 'Et quum ille non evaserit, certum erit, eam non esse perituram.' Supra: 'Hic erit, qui crescit in excidium Carthaginis.' Postulat hic locus idem plane tempus. *Salm.*

Deinde] An *denique? Erit* legit Salm. ex Jord. et vett. Flori. *Freinsh.* Sic quoque Florent. Magl. Voss. 1. 2. Fran. et Duisb. Non video satis causæ, cur recedendum sit a vulgata, quam habent ceteri scripti, et o. e. Salmasius *erit* e solo Naz. adnotarat.

Dixisse Adherbalem Bomilcaris ferunt] Quantum est librorum Flori, qui modo melioris sint notæ, habent *Adarbalem.* Nec aliter exhibuere scriptum sui Vineto. Jordanes, cum hæc e Floro transcriberet, *Maharbalem* rescripsit ex Livio, qui ita vocat. Non propterea tamen Floro reddendus fuit Maharbal pro Adarbale. De Maharbale noluisse intelligi Florum, quinimo Adarbali attribuisse, quod Livius Maharbali dictum dat, vel illud indicio est, quod hunc Adarbalem Bomilcaris filium facit. At ille Maharbal Livii, quem hæc de Annibale in os ipsius Annibalis dixisse refert, Himilconis erat filius. Hoc cum videret Jordanes, Maharbalem, quem in Floro reponebat, non posse dici Bomilcaris filium, lectionem etiam hac parte mutavit ac correxit: *Quod Pœnum illum dixisse Maharbalem Bomilcari ferunt.* Quasi id Maharbal iste Bomilcari dixerit quod sequitur, non Bomilcaris filius fuerit. Fortasse etiam genus istud loquendi non intellexit, 'Adarbal Bomilcaris,' ubi subintelligitur filius. At sic Livius passim in nominibus Punicis usurpat. Ut, lib. XXVI. 'Asdrubal Amilcaris ad lapides atros castra habebat in Ausetanis:' et lib. eod. 'Asdrubal Gisconis usque ad Oceanum et Gades.' Ap. eumd. Liv. lib. XXVIII. mentio fit Aderbalis hoc secundo bello Punico, qui prætor fuit Carthaginiensium, qui ad Gades cum Lælio classe certavit. Nec meminit Livius, cujus patris filius esset hic Aderbal, quod alias facere solitum non puto, nisi ubi eadem tempestate duo ejusdem nominis clari Viri extarent. Eos, ut discernat invicem, a patribus cognominare fere solet. Sic cum 'Asdrubalem Amilcaris' vocavit, apposito hoc signo distinguere voluit ab altero Asdrubale, qui filius fuit Gisconis, quem et propterea Asdrubalem Gisconis appellat. Sic idem, lib. XXI. cum 'Maharbalem Himilconis filium' nominavit, eo ipso indicavit, alium per ea tempora extitisse Maharbalem, qui forte hic est Maharbal Bomilcaris, quem 'Aderbalem' vocare Floro nostro libuit, nescio quem alium Auctorem sequuto. Sane, quæ heic de illo afferuntur, a Maharbale dicta ad Annibalem testatur Livius, lib. XXII. pæne iisdem verbis, cum a Cannensi pugna consilium ei daret, ut statim Romam pergeret: 'Immo ut, quid hac pugna sit actum, scias, die quinto, inquit, victor in Capitolio epulaberis.' Et, cum hoc consilium respuisset Annibal, 'non omnia nimirum eidem Dii dederunt: vincere scis, Annibal, victoria uti nescis.' Libri porro omnes *Adarbal* heic legunt. Quod est אדיר־בעל ut Maharbal מהר־בעל. *Salm. Adherbalem*] Ita Mss. meliores, et v. e. alii editi *Meherbalem:* sequuti judicium Camertis, quod nescio an probari debeat: nam etsi ita vocet Livius, at non ideo sequitur Auctorem nostrum eosdem sequutum Scriptores: certe Meherbal ille dicitur filius Himilconis, non Bomilcaris, ut heic. *Grut.* Plutarchus in Fabio Maximo 'Barcam' appellat: qui illa dixerit. Cato in Orig. rem ita refert; 'Igitur Dictatorem Carthaginiensium magister equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum, die quinto in Capitolio tibi cœna

cocta erit.' Eadem fere Cælius ap. Agell. 10. 24. *Stad. Adarbalem Bomilcaris*] Ryck. *Maarbalem Bolmicaris* corrupte pro *Bomilcaris:* sic etiam nominari a Liv. Jorn. et aliis bene Viri doctissimi monuerunt, qui perperam tamen affirmant in omnibus Flori libris legi, *Adarbalem*, ut vides. Nam optimus Ryckianus plane *Maarbalem* præ se fert. Idem mox æque ac Naz. *Hannibal si quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset:* vide Salm. Ceterum N. Heins. legendum existimat in præcedente loco, *quod Pœnum in illum dixisse Adherbalem Bomilcaris:* quia τὸ *illum* illustrius aliquod nomen requirat. *Græv. Adherbalem* est in Regg. Voss. 1. et vett. edd. præter Ald. in qua *Maharbalem*, quod etiam habet Florent. et geminato *l Maharballem* Voss. 3. *Adharbalem* Berol. et Duisb. et detracta adspirata *Adarbalem* Magl. Voss. 2. Fran. et sic supra alia manu *Macharbalem. Maarabalem* Ryck. Ex hujus Libri auctoritate Begerus edidit *Maarbalem;* quum tamen ipse fateatur Mabarbalem illum, de quo hoc scribit Livius, ab eo vocari Himilconis fil. Debuerat itaque potius retinere scripturam vulgatam, quæ cur non sit mutanda bene ostenderunt Gruterus et Salm. *Illum*, pro quo Heins. malebat *in illum*, est in omnibus libris. Nec videtur quidquam mutandum. *Illum*, i. e. prudentem et clarum illum, ut infinitis locis ap. alios Scriptores, et ipsum Florum: v. Indic. Non enim erat ille, sive Adherbal, sive Maharbal, unus e plebe; sed satis honoratus, et clarus inter Pœnos, utpote Præfectus equitum, Liv. XXII. 51. Begerus contra fidem omnium librorum edidit *illi*, quia scil. id historia requirit, ut dicit. Pessime. Nec melius Idem mox omisit *Annibal* tamquam supervacuum. De ellipsi vocis 'filius,' quæ est in his 'Adherbal Bomilcaris,' plura Gronov. ad Liv. XXVIII. 12. et Sanct. Min. IV. 4. in ellipsi v. *Filius*. Adnotat ibi Perizonius, Latinos vix ita loquutos fuisse in designanda 'Filia,' et nomini mulieris adponentes nomen Viri in genitivo intellexisse ejus 'Uxorem,' non 'Filiam:' ut 'Terentia Ciceronis,' et alia hujusmodi. Non desunt tamen exempla de Filia, ut Virg. I. Georg. 138. 'Lycaonis Arcton:' et VI. Æn. 36. 'Deiphobe Glauci,' quæ observavit Gronov. l. d. In Fran. post *Bomilcaris* est glossa *filium*. Pro *Bomilcaris* in Voss. 3. *Hamilcaris*.

Si (quod Pœnum illum dixisse Adherbalem Bomilcaris ferunt)] Duplex *si* in hac eadem periodo agnoscit vetus Nazarianus, qui ad hunc modum legit: *si, quod Pœnum illum dixisse Adarbalem Bomilcaris ferunt, Annibal si, quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria sciret*. Nec putandum, alterum *si* ex vitiosa librariorum irrepsisse manu. Sic antiqui Auctores plurimi loquuti, a recentioribus criticis semper male correcti. Ex Jurisconsultis nostris aliquot exempla, quæ ad manum sunt, proferam. L. XVI. D. Qui testamentum facere possunt, in Pandectis Florentinis ita scribitur: 'Nam etiam compotibus mentis personales actiones, etiam ignorantibus acquiruntur.' Ubi alterum 'etiam' abundat. Sic ap. Ulpian. de Peculio, particula an otiose repetitur, in his verbis: 'Quæsitum est, ait Ulpianus, an, licet quis paternæ hereditatis nihil attingat, aliquid tamen propter voluntatem patris aut faciat, aut habeat, an creditoribus paternis cogatur respondere.' Similiter et apud Pomponium, de Verborum Obligatione, eadem particula bis ponitur, quæ semel satis esset: 'An etiam si me non prohibeas, uxorem autem meam prohiberes, vel contra uxore mea stipulata, me prohibeas, an committatur stipulatio.' Sic ap. Ulpian. de Extraordinariis Cognitionibus, iteratur istud idem *si*, et, quod magis mirum est in

brevi periodo: 'Si imprecatus est, si, ut vulgari verbo impostorum utar, si exorcizavit.' Idem etiam observavi sæpe apud alios Auctores, quos aliquando cum scriptis codicibus contuli, qui frequentius hoc faciunt in longioris spiritus periodis, aut hyperbato aliquo implexioribus. Quid mirum autem, particulam *si* in hac periodo præter necessitatem iterari, cum et nomen Annibalis bis in ea positum sit, ubi semel ad sententiam sufficeret? *Dubium deinde non erit, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit, si, quod Pœnum illum dixisse Adherbalem Bomilcaris ferunt, Annibal, si quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset.* Non opus erat repetito illo *Annibal*, quod secundo loco positum est. *Salm.* *Si* post 'Annibal' etiam repetitur in Berol. Duisb. et v. e. sed in iis paullo ante pro *si quod Pœnum*, est *siquidem Pœnum*. Tollius Fortuit. c. XXI. e Sarisberiensi ita laudat: *si (quod Pœnum illum dixisse Adarbalem Bomilcaris ferunt) si Annibal quemadmodum vincere, sic et uti victoria scisset.* Nec male, si et aliorum librorum auctoritas accederet. Sed imponit lectori Tollius: nam ap. Sarisber. III. 10. hæc ita leguntur: *essetque procul dubio tunc Roma diem ultimum habitura, si Hannibal, quemadmodum vincere, sic et victoria uti sciret.* Non dubito, quin vera sit scriptura, quæ geminat *si*: est enim idem, ac si post interjectam parenthesin dixisset, *si, inquam, quemadmodum...* Sunt et alibi exempla hujusmodi geminationum. *Si* interpositis quibusdam repetit Livius III. 19. 9. 'Si quis vobis humillimus homo de plebe vestra.... si quis ex his.' 'An' sic repetitur in l. 52. pr. D. de Pecul. quoque l. 38. §. 4. D. de Usur. et 'ut' sæpiss. ap. Liv. XXXIV. 3. et 56. XLII. 28. et aliis locis ap. eumd. quæ adnotat J. Fr. Gronov. ad Liv. XXVIII. 9. Sic in l. 5. D. Quod fals. tutor. et l. 7. §. 10. D. de SCto Macedon. 'Tamen' interposita parenthesi iterari observat Rævard. v. Var. 9. Add. Wopkeus. Lection. Tullian. Lib. I. Cap. VI. Idem parelcon pronominis *se* Scaliger putat esse in Catull. Carm. XXXVII. 'Et hoc pessima se puella vidit Joco se et lepide vovere Divis.' Sed de eo aliter sentit Scriverius ad Macrob. I. Sat. 7.

Uti victoria] Simile dictum Cæsaris de Pompeio ap. Suet. in Vita, 36. 3. *Freinsh.*

§. 20 *Tum quidem illum, ut dici vulgo solet*] Quid est, quod vulgo dici solitum ait? Nempe Annibalem a Roma, statim post pugnam Cannensem, adoriunda avertisse vel fatum urbis, vel ipsius malam mentem. Invertit quod ab ipso Annibale dictum Livius adfirmat, non quidem tunc, cum devicisset pugna Cannensi Romanos; sed aliquamdiu post, cum, Capua a Romanis obsessa, ut eam liberaret obsidione, contendit et ipse ad Romam obsidio premendam. Quo quidem tempore, cum, castris ad tertium lapidem positis, bis instructa acie decertare parasset, tempestate immani desubito exorta, semper diremptum est prælium. 'Quæ res,' inquit Livius, 'in religionem apud Pœnos versa est, auditaque vox Annibalis fertur, potiundæ sibi urbis Romæ modo mentem non dari, modo fortunam.' Mentem tum sibi non datam fuisse significat, cum, post Cannensem pugnam, consilium danti Maharbali recta Romam adire et adoriri, non auscultavit, et in alia ipse mente fuit: fortunam vero tunc ejus rei sibi denegatam innuit, cum Romam expugnare aggresso non respondit eventus, tempestate quasi cœlitus missa semper eadem prælium cœptum dirimente. Quæ diversorum fuere temporum Florus hic junxit, et utrumque ad illud tempus, quod proxime fuit post Cannensem cladem,

transtulit. Atqui tunc sola mens defuit Annibali. Nam fortuna in ipsius erat manu. Fortunam tamen aliter interpretatus est, pro fato ejus urbis quæ imperare debebat, quod fatum Annibalem tum dementavit. *Salm. Ut dici vulgo solet*] Hoc est, quod vulgo jactatur de Hannibalis peccato. Hic sensus est hujus loci, qui immerito suspectus est doctis hominibus. *Græv.* Lipsium pro glossa habuisse adnotarat Auditor ejus.

Aut ipsius mens mala] Alio sensu heic dicitur 'mala mens,' alio ap. Comicum, cum dixit, 'Mala mens, malus animus.' Ibi enim 'Mala mens' pro, improba; heic ap. Florum 'mala mens' opponitur bonæ menti, quæ in illo esse dicitur, qui suæ mentis est compos. Ut ap. Propert. 'Mens bona, si qua Dea es, tua me in sacraria dono.' Qui mentem hanc bonam habet, utique et suæ mentis est. Qui ea caret, is demens vel dementatus. At qui malæ mentis est, is quidem mentis suæ potens, sed malæ et improbæ. Atqui defectus potius mentis, quam malus ejus affectus, prohibuit Annibalem a Roma potiunda. Mala mens adversus Romam illi non deerat, immo etiam supererat, sed mentem ad hoc versam non habuit, cum occasio in manu fuit. Mens, inquam, defuit illi tunc, cum fortuna adfuit: at fortuna defuit, cum mens adfuit. Hic sensus illius dicti, Annibalis, et Livii, fuit, quem alio detorsit et male etiam expressit Florus. *Salm.* Salmasius argutatur in verbis apertis et simplici sententia. *Mens mala* est, non sana, stulta, expers consilii. Catull. Carm. xv. 'Quod si te mala mens, furorque vecors, In tantam impulerit, sceleste, culpam.' Et c. xli. 'Quænam te mala mens, miselle Ravide, Agit præcipitem in meos iambos?' Tibull. ii. 5. 104. 'Et se jurabit mente fuisse mala:' ubi vid. Dous. in Præcidan. c. viii. 'Mentem lævam' dicit Virg. Ecl. i. 16. Contra *bona mens.* Liv. xxx. 30. 'Quod si in secundis rebus bonam quoque mentem darent Dii.' Et ibid. 42. 'Raro simul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari.' Add. Interpr. Petron. c. lxi. 'Aversi Dii' sunt irati, non propitii, non faventes. Serv. et al. in Virg. Æn. i. 482. et ii. 170. et Heins. ad Ov. Ep. Didon. vs. 4. Sic 'Aversis auribus animisque' sæpe ap. Liv. vid. Gron. ad Liv. xxiv. 26. 'In diversum abstulerunt,' i. e. ut Freinsh. in Ind. aliud persuaserunt, alio impulerunt. 'Auferri' dicuntur, quibus mens et consilium eripitur, ut magis impetum quemdam et adfectum animi sequantur, quam quod ratio suadet, velut qui impetu amnis, aut alia aliqua vi majore, trahuntur, atque auferuntur. Virg. Ecl. viii. 41. 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!' Ov. Ep. Hypsip. 131. 'O demens, Colchisque ablate venenis.' Quintil. viii. Inst. Orat. 3. 'Plerumque ipsa delectatione capiuntur, nonnumquam admiratione auferuntur.' Vid. Gron. ad Liv. xxxv. 11. et Heins. ad Ov. Ep. Sapph. vs. 140.

§. 21 *Quum victoria posset uti, frui maluit*] Nec acumen hujus Flori sententiæ capio. Acutius sane dictum, quam verius. Quo enim tendit hæc argutia? Dixerat de Annibale Maharbal, vincere quidem illum scire, sed victoria uti nescire. Nempe quod occasionem et fortunam majoris rei, Romæ nimirum, potiundæ, quam illi hæc victoria obtulerat, de manibus amitteret, nec ea uti vellet. At quid sibi vult iste, dum ait, Annibalem victoria cum posset uti, frui maluisse? Immo vel fructum hujus victoriæ amplissimum tulisset, si Romam cepisset, quod illi fortuna tum videbatur quasi in manum dare, si ea usus esset. Scio quidem aliarum rerum usum esse, aliarum, immo et in eadem re potiunda et usurpanda, usum a fructu plerumque distinguí.

Ceterum nihil heic tale fingi aut accommodari potest. Aliquid esset, si Annibal, post hanc victoriam Cannensem, ab armis ac bello in totum cessasset, atque otio desidiæque, ut victoriæ bonis frueretur, sese dedisset. Tum sane diei posset, victoria illum frui maluisse, quam uti. Quod enim relicta Roma in Campaniam flexit, non eo id fecit animo ac proposito, ut deliciis Campanis frueretur, sed voto ac spe nobilissimæ urbis capiundæ Capuæ, quæ duarum tum toto orbe maximarum, Romæ et Carthaginis, erat æmula. Sed robur ejus exercitus luxuria Capuana enervatum est. Quid tum? Hoc noluerat Annibal, et magno redemptum vellet, non accidisse. Certe cum a victoria Cannensi Romam capere posset, rem tantam statim animo concipere non potuit. Sic victoria uti nesciit. ‘ Mora ejus diei,’ ut Livius tradit, ‘ satis creditur saluti fuisse urbi atque imperio.’ *Salm.* Quæ hic Begerus pro Floro adfert, non intelligo. Dicit, debuisse quidem Annibalem victoria uti ad occupandam Romam: eo quippe facto tutissime postea omni Italia potiturum fuisse, et ea tamquam præda frui potuisse: ‘ quod,’ inquit, ‘ cum inverso ordine fecerit, nescio an adeo male Florus scripserit, ‘ victoria eum frui, quam uti maluisse.’’ Si Annibal non potuit frui victoria, nisi Roma expugnata, non admodum bene sic defenditur Florus. Sed non puto hæc ita accipienda, aut verba Flori ad summam illam ἀκρίβειαν exigenda esse. Annibal non eo proposito sprevit consilium Adherbalis, quod cupiebat frui deliciis Campanis, iisque milites suos euervari. Sed quum potuisset ac debuisset uti victoria ad occupandam Romam, contentus fuit Campania in ditionem redigenda, non solum ut ibi se et exercitum tot laboribus fessum aliquantum reficeret; verum etiam ut in potestate haberet regionem illam ad oram maris sitam, quæ ei et ob copiam commeatuum, et propter frequentiam commodorum portuum, multas magnasque utilitates præbere poterat; unde et jam ante illius occupandæ consilium agitaverat, ut scribit Polyb. III. 91. Itaque eum satis amplum victoriæ suæ fructum, et victoria Cannensi satis actum esse putavit, quod per eam potitus fuit Campania. Quod autem exercitus ejus ibi deinde luxuria et deliciis Campanis corruptus fuit, id ex accidenti, ut vulgo dicunt, et præter consilium illius factum est.

Ubi mox et ipse, et exercitus ardor, elanguit] De Annibale ipso hoc nemo prodidit, ardorem ejus elanguisse Capuanis hibernis. Exercitum ejus ea res plane perdidit. In Annibale autem duo præcipue notata ac reprehensa ducis magni peccata a peritis artium militarium. Quod ex Cannensi acie non recta Romam duxisset. Et quod in hiberna Capuam militem misisset. Ac posterius quidem hoc peccatum majus illis visum priore. Nam mora, et cunctatione, tum peccasse tantum videri potuit, quæ solam victoriæ dilationem attulerit. Hic secundus error inhabilem ad vincendum prorsus reddidit, viresque ademit. *Salm.* Vide Strab. lib. 5. p. 173. et quæ notamus supra, 1. 16, 4. Sic ap. Curt. 5. 1, 39. de Babylone: ‘ Inter hæc flagitia exercitus ille domitor Asiæ per XXXIV. dies saginatus, ad ea quæ sequebantur discrimina haud dubie debilior futurus fuit, si hostem habuisset:’ licet etiam Cimbros ex Italiæ fuisse delitiis domitos Dio refert in Excerpt. Vales. Adde Diod. Sic. 26, 8. et ap. Vales. p. 297. Liv. 7, 38, 4. *Fr.* Malebat N. Heinsius *ipsi et exercitui ardor elanguit.* Græv. Ryck. Regg. Fran. et Magl. *ubi mox et ipse exercitus:* ad quam scripturam propius accedit *ipsius exercitus*, quam *ipsi et exercitui.* Jord. *ubi mox et ipse, et ipsius exercitus ardor elanguit*, quod

non temere rejecerim; nam in vulgata utique supplendum est *ipsius*, et vox illa propter præcedens *ipse* præteriri potuit. Sed forsitan melius fuerit *et ipsius et exercitus*. Nam *ipse* non optime congruit cum sequentibus *exercitus ardor*. Tamen nihil muto, et satis tolerari potest, quod editur. Annibalem ipsum deliciis his emollitum fuisse, Polyb. Liv. aliique Historici quidem non produnt: sed tamen probabile est. Et Alexander de eo ap. Lucian. in Dial. Mort. Ἐκλελῆσθαί μοι δοκεῖ, οἷα ἐποίει ἐν Καπύῃ, ἑταίραις συνὼν, καὶ τοὺς τοῦ πολέμου καιροὺς καθηδυπαθῶν. Regg. *ardor languit*. Begerus e Cod. Berol. edidit, *ubi mox et ipse et exercitus ardore languit*. Ut ille exsultasset, si scivisset etiam in Ryck. Magl. Duisb. Fran. Voss. 3. et v. e. esse *ardore languit*. Sed ut non solum unius libri auctoritate, verum etiam ratione niti videatur, addit, quod Florus hic dicit, Annibalem et exercitum ejus ardore languisse, id esse, quod mox dicitur, 'Campaniæ soles et tepentes fontibus Baiæ subegerunt.' Non potuit quidquam inscitius dici. Nam quid in Campania ardore languerent Afri, qui a meridie et sole, ut paullo ante Florus, et multo calidiore atque æstuosiore regione venerant? Nec minus absurdum est, quod 'soles Campaniæ' interpretatur ardores solis. Nemo ignorat *soles* interdum dici pro sole ardente, nimioque et intenso calore, ut quum Horat. Epod. II. 41. dicit, 'Perusta solibus Pernicis uxor Appuli.' Sed Campaniam non peruri ardoribus solis, verum naturali quadam ac perpetua apricitate aëris gaudere, eoque nomine commendari, discere potuerat ex ipso Floro I. 16. et aliis, quorum testimonia ibi adnotata sunt. Et sic 'Baianos soles' laudat Martial. VI. 43. et alii *soles* de modico ac temperato calore solis, qualis apricantibus aptus est, dicunt, quemadmodum Horat. I. Ep. 20. 24. 'Se solibus aptum' esse scribens. Nec rectius 'teporem fontium et balnearum' Baianarum 'ardorem' dici posse putat. Quis enim umquam audivit 'teporem' idem esse, quod 'ardorem,' aut thermis Baianis 'ardorem' tribui? quas non 'ardentes,' sed 'tepidas' et 'calidas' dicunt omnes. Nisi forte existimavit, veteres, quum thermis apud Baias utebantur, aqua fervente perfusos, aut in eam immersos fuisse; quomodo nonnulli olim in balneis occisi traduntur. Palam est in libris, qui habent *ardore languit*, literam *e* per errorem et imperitiam scribentium a capite posterioris vocis avulsam fini prioris adhæsisse. Omnino rectum est, *exercitus ardor elanguit*, ut inf. III. 3. 13. 'Soli cæliqne clementia robur elanguit.' Aur. Vict. c. XLII. 'Cumque urbem capere posset, in Campaniam devertit, cujus deliciis elanguit.' Cæs. II. B. G. 15. Nervios 'nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri; quod his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent:' quod Id. IV. B. G. 2. 'ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effeminari,' dicit. Ov. II. Am. 9. 27. 'Animoque relanguit ardor.' Sed pecco fortassis, qui tempus et chartam his tam futilibus refellendis perdam.

Adeo, ut verum dictum sit] It. Flori libri. At in optimis Jord. scriptis: *Adeo, ut vere dictum sit*. Sequitur in antiquiss. Nazariano: *Capuam Annibali Cannam fuisse*. Supra notabamus, *Cannam* etiam de fluvio dici, ad quem pugna Cannensi victi sunt Romani. Liv. lib. XXV. 'Et Diomedis Argivi campos, et Cannam flumen, qui in illis locis militaverant, agnoscebant.' Præterea scimus, quam frequens sit enallage numerorum apud Auctores in urbium nominibus significandis. Hoc dictum porro, cui veritas fidem adstruxit: *Capuam Annibali Cannas*

fuisse, sumptum ex oratione Marcelli ad milites, quæ ap. Liv. est, lib. XXIII. ' Reliquias illorum virorum, vix arma membraque sustinentes, pugnare. Capuam Annibali Cannas fuisse. Ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi præteriti temporis famam, ibi spem futuri extinctam.' Vide reliqua. *Sal.* Verba sunt Marcelli ap. Liv. 23, 45, 5. *Freinsh. Vere* etiam Reg. Q. Nec displicebat Heins. et Perizonio. Et ita Beger. edidit. Nihil muto. Terent. Heaut. IV. 5. 47. ' Verum illud, Chreme, Dicunt, jus summum sæpe summa est malitia.' Liv. XXXV. 19. ' Id me verum dicere, pater Hamilcar et Dii testes sunt.'

§. 22 *Campaniæ (quis crederet?) soles, et tepentes fontibus Baiæ, subegerunt*] Hæc Poëtica potius elegantia, quam historica fide dicuntur. Intra muros ac tecta Capuæ urbis hibernavit exercitus Annibalis. Ibi maximam hiemis partem in vino, epulis, balneis, scortis, transegerunt. Hæ res enim perdiderunt, non Campaniæ soles, aut tepentes fontibus Baiæ, quæ in Campania quidem, sed satis longe a Capua. Liv. lib. XXIII. ' In hiberna Capuam concessit. Ibi partem majorem hiemis exercitum in tectis habuit.' Et paulo post: ' Somnus enim, et vinum, et epulæ, et scorta, balneaque, et otium consuetudine in dies blandius, ita ea enervarunt corpora animosque, ut magis deinde præteritæ eos victoriæ, quam præsentes tutarentur vires.' Eadem ferme habentur in oratione Marcelli, cum militi suo, ad Nolam, degenerem prioribus factis et animis Pœnum militem inculcaret: ' Non omnes esse in acie, prædantes vagari in agro, sed, qui pugnant, marcere Campana luxuria, vino, scortis, omnibusque lustris per totam hiemem confectos.' Soles Campaniæ Floro et tepentes Baiæ pro lustris illis sunt, et scortis, et vinis, et balneis, somnoque, quibus totam hiemem intra tecta Capuana traduxere milites Annibalis. Sic sola naturalia cœli solique bona corrumpendo Pœno militi reliquit, soles amœnos ac molles Campaniæ, tepidosque soli fontes. Quam bene, aliorum esto judicium. *Salm.* Non intellexit interpres Gallicus, qui vertit *par les soleils.* Cum ' soles Campaniæ ' significent apricitatem Campaniæ, cœlum illud molle ac delicatum Campaniæ. Ov. II. F. ' Solibus et campis corpora nuda dabant.' *Græv.*

§. 23 *Ab inferis emergere*] Vid. Freinsh. in Ind. et Herald. ad Arnob. p. 112.

Arma non erant; detracta sunt templis] Exequitur heic quædam ultimæ necessitatis tela, ad quæ confugerunt Romani, Cannensis cladis vi subacti. Sed nonnulla ex his refert, quæ longe post Cannensem cladem usurpata sunt. Arma ut templis detraherentur, et servitia ad delectum empta publice armarentur, necessitas et inopia armorum ac liberorum capitum ex Cannensi coorta strage fecit. Reliqua, quæ post enumerantur, aliorum sunt temporum. Liv. lib. XXII. ' Et vetera hostium spolia detrahunt templis porticibusque. Et aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum ac necessitas dedit. Octo millia juvenum validorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos, vellentne militare, empta publice armaverunt.' Quod non alii autem sumpti, quam qui militare se velle respondissent, inde ' volones ' appellati: ἐθελουσίους Græci dicerent. Sic eos perpetuo deinde vocat idem Livius. Ita autem ' volones ' a volo, ut ' colones ' a colo Sallustio, pro clientibus, qui magnates colunt. Ut ' accendones ' Tertulliano lanistæ, qui pugnæ ardorem accendunt inter gladiatores. Diversi autem hi ' volones ' a ' voluntariis ' militibus, quorum etiam frequens ap. Liv. mentio. Ita vocati

qui emeritis stipendiis erant, quive per ætatem militare cogi non poterant, hi, si voluntate sua militiæ nomen dederant, 'voluntarii' dicebantur. Præter servorum delectum non debuit etiam omittere Florus ultimum desperatæ reipublicæ auxilium, ad quod tum descendere coacti sunt Romani, cum dictator ita pronuntiavit et edixit: 'Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniæ judicati in vinculis essent, qui eorum apud se milites fierent, eos noxa pecuniaque se exsolvi jussurum.' Vide Liv. lib. XXIII. *Salm.* Sic Argivorum feminas Cleomenem rejecisse, τὰ ἀπὸ τῶν ἱερῶν καθελούσας ὅπλα, legimus ap. Plutarch. in Apophth. Lac. cap. 73. *Fr.* De more veterum armis hostium captis templa ornandi multa Rupert. ad h. l. et Perizon. Animadv. Hist. c. VII.

In sacramentum militiæ liberata servitia] Non vero liberata ad delectum, sed publice empta, dinque in ea conditione retenta, donec, post fortem fidelemque in bello navatam operam, merucre libertatem. Qua de re videndus Liv. lib. XXIV. *Salm.* Liv. 22. 57, 11. Exemplum inf. n. 30. Nam meliori rerum statu ne libertinos quidem militare sinebant; sed, ubi necessitas ingruit, speciosa cedunt utilibus. Ita post Trasimeni quidem cladem libertinos sacramento adegerunt, ut Macrob. 1. 11. Saturn. auctor est; post Cannensem autem cladem etiam servis uti coacti sunt, nisi perire maluissent. Fecerant hoc idem antea Lacedæmonii: et post ipsos Agathocles ap. Justin. 3. 5, 6. et 22. 4, 5. Item Miltiades ante pugnam Marathoniam: et ejus exemplo Diæus, ap. Pausan. in Achaicis: sunt etiam hujus generis exempla ap. Diodor. item ap. Natal. Comitem in Histor. p. 557. Adde inf. 2. 6, 30. *Freinsh.* 'In sacramentum,' i. e. sacramenti causa; ut sacramento adigi possent. Vid. Buchner. de Commut. Rat. Dic. I. 22.

§. 24 *Egebat ærarium; opes suas libens senatus in medium protulit*] Non hoc eos facere adegit Cannensis calamitatis necessitas, nec statim post eam ad id venerunt, sed diu post, cum jam Capua recepta esset, ac Sicilia tota, captis Syracusis, in potestatem venisset, Marcello et Lævino consulibus. In eorum, inquam, consulatu, cum ornanda classis esset, ac de remigum supplemento in senatu ageretur, nec ad eam rem pecunia in ærario foret, unde homines pararentur, et stipendium his constitueretur, decreverunt consules, ut privati ex censu et ordinibus remiges darent, cum stipendio cibariisque dierum triginta. Cum ex eo edicto tanta indignatio plebis insequuta esset, ut ad seditionem haud dubiam tenderet animus, utpote oneri tanto injuncto ferendo impar, in ea difficultate hærentes patres explicuit Lævinus consul, qui senatui auctor fuit, ut ipsi exemplum plebi monstrarent, et aurum, argentum, æsque signatum omnes senatores in medium proferrent. Sic edictum, sic factum. Quo de negotio Livius consulendus, lib. XXVI. *Salm.* Optimo exemplo, eoque tam privatim quam publice utilissimo. Quod imitati sæpius, Romanorum qua licet æmuli, Veneti, ap. Egnatium, 4, 8. 8, 10. Bembum, Hist. Venet. lib. 7. et 10. Justinian. Hist. Ven. lib. 6. Zwing. Theatr. p. 1799. p. 2. *Freinsh.*

In bullis singulisque anulis] Emendatio est a tribus Pall. ut et a veterrima edit. sequentes enim falso, *quod in bullis, cingulis, atque anulis erat*: unde conjecerat Lips. d. cap. XIX. *singulis atque anulis*; ut fuerit loco corrumpendo copulæ transpositio: sed nostra lectio, ut est simplicior, ita et melior; quasi nihil sibi reliquerint Patres præter anulum signatorium. *Grut.* Salm. mallet *nec præter quod in bullis, singulis, atque anulis erat*, pro

nec præter quod singulis, in bullis atque anulis erat. Lips. tamen lib. 3. de Mil. Rom. in analect. ad Dial. tertium, eo, quo scripsimus, modo locum hunc citat. Pro *singulis*, conjiciebat *sigillis* Krapfius Vangio. *Freinsh.* Lipsius putat elegantiam esse in transpositione copulæ, quod merito rejicit J. Fr. Gron. ad Gell. I. 2. Barth. XXXIV. Adv. 9. laudat, *in bullis, cingulis, anulisque*, contra omnes s. et e. vett. in quibus est *singulisque anulis.* Et confirmat hanc scripturam Augustin. III. de C.D. 19. apud quem paucis immutatis ita legitur: 'Ut præter singulos anulos aureos, singulasque bullas . . . nihil sibi auri . . . relinquerent.' Quod de bullis dicit Florus, Lipsius et Barthius non minus de bullis cingulorum, quam puerorum accipi posse existimant. Non venerat illis in mentem locus Livii XXVI. 36. hic a Ruperto adnotatus: 'Aurum, argentum . . . . in publicum conferamus: ita ut anulos sibi quisque, et conjugi, et liberis, et filio bullam . . . relinquant.' Salmasii conjectura ap. Freinsh. est e primis illius curis. *Præter quod*, pro, præterquam quod. Cæs. I. B. G. 5. 'Frumentum omne, præter quod secum portaturi erant, comburunt.' Justin. XIII. 5. 'Epistolas in Græciam scripserat, quibus omnium civitatium exules, præter cædis damnati, restituebantur.' Vid ibi Græv. *Reliquerunt*, an *reliquere* scribas, non multum interesse credo. Hoc habent Voss. I. 2. et o. e. v. illud ceteri s. Sic mox *petiverunt* plerique s. et v. e. *petivere* Voss. 1. et al. edd. vett.

§. 25 *Eques secutus exemplum, imitatæque equitem tribus*] Hoc quippe proficit dominantium exemplum, ut subjecti non gravate subsequantur. Ita cum ad stipendium militare conferenda esset pecunia, 'quum senatus summa fide ex censu contulisset, certamen conferendi est ortum,' ap. Liv. 4. 60, 9. Contra ubi superiores publicas necessitates subditorum tantum opibus propellunt, suas inde eximunt, aut, quod iniquius est, fieri tamen alibi solet, augent: quo putemus animo, tolerari aut conferri sumptus istos? Tac. H. 2. 84, 5. de Muciano, vide. *Freinsh.* Augustin. l. d. 'Ut . . . nihil sibi auri Senatus ipse, quanto magis ceteri ordines tribusque relinquerent.' Livius post Senatum et Equites plebem memorat XXVI. 36. 'Hunc consensum Senatus Equester ordo est, sequutus: Equestris ordinis plebes.' Sed Florus 'tribus' pro plebe, sive infimo ordine civium Rom. dicit, ut Statius, Martial. aliique ejus ætatis Scriptores, quorum loca adnotarunt Turneb. VII. Adv. 11. et XXVIII. 33. et Casaub. ad Suet. Aug. CI. An Vetustiores sic quoque loquantur, mihi nondum constat: sed tamen non omnino novum esse hujus vocabuli usum ea significatione, inde colligi potest, quod jam olim, ut observat Turnebus, 'tributa comitia' sunt dicta, ad quæ sola plebs vocabatur, exclusis Patriciis, et quod Horatius 'tribulem' dicit, pro homine de plebe. Auctor Hist. Misc. de hac re: 'Itaque equester ordo, ita plebs trepida, oblita studiorum, in commune consulunt.' Interdum autem nomine 'tribuum' apud eosdem posteriores Scriptores designatur infima et vilissima pars plebis, quæ congiaria, aliasque liberalitates publicas accipiebat, ad quas honestiores non accedebant. Casaub. l. d. Gron. ad Stat. c. XXXVIII. et Græv. in Proleg. ad Tom. I. Antiquit. Rom. p. 16. Paullo post Ryck. Reg. F, Flor. et Magl. *in publicum transferrentur.* Livius XXVI. 36. et XXVIII. 26. 'in publicum conferre' dicit: idque usitatius est.

Tabulæ, vix scribarum manus] Referebatur enim in tabulas quantum quisque contulisset, ut meliori Reip. statu redderetur, quod etiam finito hoc bello tribus æquis portionibus factum est. *Stad.* Ex Liv. 24. 18, 14. Si-

milis in Cic. locutio Philip. 2. 7. 'Quis nomen non dedit? quamquam nec scribæ sufficere, nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt.' *Freinsh.*

§. 26 *Quid autem in deligendis magistratibus*] Unde pendet *Quid autem?* Novi 'quid enim' eleganter interponi nonnunquam. Sed huic loco non potest convenire. Vide quam plana sint omnia, si deleas τὸ *Quid*, et scribas: *In deligendis autem magistratibus quæ centuriarum sapientia, cum juniores a senioribus consilium de creandis consulibus petivere!* Græv. *Quid autem* hic videtur habere vim connectendi et transeundi ad aliud, ut 'jam vero:' quasi dicat: Quid autem commemorem, quæ...? Donat. ad hoc Terent. Phorm. 1. 2, 97. 'Quid? senem quoad exspectatis vestrum?' 'Animadvertite,' inquit, ''Quid' secundum morem quotidianum tum dici, quum fit transitus a mentione alterius rei ad alteram.' In interrogatione autem 'Quid' sæpissime absolute ita ponitur, ut aliquid supplendum sit; quod interdum etiam integra oratione effertur, 'Jam quid ego commemorem,' vel 'dicam?' Add. inf. ad III. 12. 10.

In deligendis magistratibus] Tribus prærogativa, Veturia juniorum, Cos. T. Manlium Torquatum, anno 544. declarabat; qui vitio oculorum sese excusavit, et ut meminissent, bellum Punicum in Italia, hostiumque ducem Annibalem esse. Tanti Viri auctoritate mota juniorum centuria, petit, Veturiam seniorum a Cos. citari; quos postquam in Ovili, (erat is locus septus in comitiis, in quem transibant per pontem, qui suffragii sui tabellam in cistas demisissent,) consuluissent; M. Claudium Marcellum et M. Valerium Lævinum, ut bello clarissimos, neque petentes tamen, Coss. renuntiarunt; auctoritatemque prærogativæ omnes centuriæ secutæ sunt. Ante etiam, anno 539. prærogativa juniorum Coss. rei gerendæ imperitos designaverat, sed revocata Fabii Max. auctoritate, mutavit sententiam, creavitque Coss. M. Marcellum III. Q. Fab. Max. IV. *Stad.* ex Liv. 24, 9. et 26, 22. *Freinsh. Deligendis* primum invenio in Edd. Freinshemii. Retinendum putavi *eligendis*, quod etiam libri scripti habent, et Beger. edidit.

Adversus hostem totiens victorem, tam callidum] Vide rationes Auctoris, tum etiam, quam conveniant, videbis. Post pugnam Cannensem dicit eam fuisse centuriarum in eligendis magistratibus prudentiam, ut juniores consilium a senioribus petierint, cuinam potissimum mandandus esset tum summus honos. Rationem addit: 'Quippe adversus hostem totiens victorem, tam callidum, non virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat.' Eos igitur tum electos ac creatos consules oportuit, qui non solum bellicosi essent, et virtute militari pollerent, sed etiam qui astutia et consiliorum calliditate prævalerent, ut suismet ipsius artibus Annibalem premerent. Hoc sane voluit. Atque illis ipsis comitiis, quibus seniores a junioribus consulti sunt, consules creatos esse constat Marcellum et Lævinum. Cujus electionis ipsam propemodum plebem paulo post pœnituit, non ob aliam causam, nisi quod nimium acres et feroces essent Viri creati, ut memorat Livius, lib. XXVI. 26. Ad Lævinum quidem quod attinet, ei statim decreta Sicilia provincia, nihilque callide calideque cum Annibale egit. Marcellus aliquot prœliis, imperii, quod ei prorogatum est, tempore, cum Annibale commissis, partim male pugnavit, partim prospere quidem, non tamen ulla insidiarum fallacia aut fraude, quibus artibus summus erat Annibal. Quin et accusatus a Tribuno plebis eodem tempore Marcellus, quod bis cæsus exercitus ejus foret, et quod æstiva Venusiæ sub

tectis egisset. Ad quam deprecandam ignominiam cum Romam venire coactus esset, ita se purgavit, ut summo consensu consul crearetur. Quo in consulatu adeo nulla astutiæ aut calliditatis laude claruit, ut etiam insidiis ab Annibale circumventus, in quas improvide præcipitaverat, et occisus sit. De Fabio quidem, quem primam imperii reviviscentis spem fuisse mox dicit, certum est, Annibalem aliquando dixisse, ab eo duce suis se artibus premi. Sed ille Fabius in imperio fuit, et hæc omnia prudentiæ et calliditatis exempla edidit, ante Cannensem pugnam. *Salm.* Breviter, opus erat, ut ' et Romani suum Annibalem haberent,' quod postea in Fab. Max. assecuti sunt, ipso Annibale confitente, ut Liv. scribit, 27. 16. 9. *Freinsh.*

Non virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat] Non hoc tunc allegatum est, creandos esse consules, qui Annibalem suis artibus et consiliis petere ac premere possent; sed cum consulem declarasset Veturia Juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Manlium Torquatum, cui ab oculis male erat, et is, valetudinem excusans, redire in suffragium eam centuriam juberet, cogitandum ipsis esse dixit, bellum Punicum in Italia, et hostium ducem Annibalem esse. Imprudentem enim et gubernatorem et imperatorem esse, postulantem sibi credi capita et fortunas omnium, cui alienis oculis omnia agenda sint. Auctoritate tanti Viri mota Veturia Juniorum, velle se colloqui cum senioribus dixit, et ab his consilium petere, quos consules facere deberent. Citata seniorum Veturia respondit, de tribus consulendum esse, duobus jam magistratu perfunctis, Q. Fabio et M. Marcello, et tertio M. Valerio Lævino, qui adversus Philippum Regem terra marique res egregie gesserat, si novum aliquem vellent adversus Annibalem creari consulem. Tum Juniorum Veturia, ex consilio Veturiæ seniorum, Marcellum honorum veterem, et novum Lævinum, consules pronuntiavit. Auctoritatem prærogativæ ceteræ centuriæ sequutæ sunt. Ceterum adeo certum est, Lævinum et Marcellum hac seniorum consultatione ita consulatum adeptos, non ad hoc creatos fuisse, ut dolis cum Annibale certarent, et fraudes ejus paribus fraudibus repellerent, ut post mortem Marcelli consulis, per dolum Annibalis interempti, ea prima cura patres populumque incesserit, eos potissimum consules deligendi, quorum virtus tuta esse posset a fraude Punica. Verba eorum ita refert Liv. ' Cum toto eo bello damnosa, præpropera, ac fervida ingenia imperatorum fuisse, tum eo ipso anno consules nimia cupiditate conserendi cum hoste manum in nec opinatam fraudem lapsos esse.' De Marcello intelligit, et collega ejus Crispino. Hæc fuere enucleatius explicanda; ut constet, veritatem historiæ ab hujusmodi compendiorum scriptoribus non esse semper exigendam, concinnitatis magis studiosis, quam fidei, quæ requiritur in causis rerum exponendis, et ordine, quo quæque gesta sunt, memorando. *Salm.* Libri scripti et v. e. mutato ordine *consiliis pugnare* quod reducendum visum fuit cum Begero. De usu reciproci ' suus ' in h. l. vid. Perizon. ad Sanct. Min. II. 12, 1.

§. 27 *Reviviscentis imperii spes fuit*] Præpostere res Fabii gestas, cunctationisque ejus artem, qua Annibalis fervorem ludificatus est, et impetus ejus tardavit, in id tempus confert, quod sequutum est Cannensem cladem; cum nihil eorum ille gesserit, nisi ante Cannense prælium, nec post id omnino. Quæ sequuntur, post Cannensem pugnam omnia acta sunt. Pæne ultimum vulnus fuisse imperii Cannas, supra dixerat. Quid fecerint Romani postea, ut inde emerge-

rent, narrare instituit, quibusque ducibus præcipue ad res perditas restituendas usi sint. Arma detracta templis, liberata servitia ad militiæ delectum post illam pugnam narrat. Ducem autem Fabium primam imperii reviviscentis, et quasi ab inferis redeuntis, spem fuisse, cunctando ac ludificando. Marcellum etiam primum cominus congredi ausum. Ausum etiam Sempronium Gracchum per Lucaniam sequi et premere terga cedentis. *Salm.* Claud. de Bell. Get. vs. 138. ' Primus fulmineum lento luctamine Pœnum Compressit Fabius.' *Freinsh.* Etiam Cornelius Nepos Annib. v. scribens Fabium se Annibali ab Urbe Roma discedenti objecisse, eumque locorum angustiis clausisse, confundit ordinem rerum gestarum: quod ibi observavit Lambinus.

Nolle pugnare] Eadem illi ratio quæ Pompeio inf. 4. 2, 61. ' Simul ut hostem interclusum undique inopia commeatuum tereret, utque ardentissimi ducis consenesceret impetus.' Adde inf. 3. 3, 5. Istud *nolle pugn.* est ex vet. nostra ed. aliæ servant *non pugnare.* De Fabii cónsilio vide etiam Polyb. fragmentum ap. Suid. in ἡλίκον. *Freinsh.* Freinshemium sequuti sunt Grævius et Amst. Nusquam inveni *nolle* nisi in Ed. P. *non velle* habent Ald. Camert. et Stad. Reliquæ omnes Edd. vet. etiam Vineti et Grut. ad quam nullam varietatem e Naz. et Pall. adnotarat Salm. *non pugnare.* Et sic o. s. et Jord. In Ryck. tamen perperam erat *non repugnare. Non* recte revocavit Beger.

Cognomen novum] Fabio huic quatuor fuere cognomina; ' Maximus,' ' Ovicula,' ' Verrucosus,' ' Cunctator.' Auctor de Vir. Ill. cap. 43. Plut. in Vita cap. 1. *Cam.* Ryck. *Hinc illi cognomen verum et reip. salutare:* cognomen verum est, quod merito ei propter salutarem cunctationem fuit impositum, quod conveniebat ejus moribus, et rebus gestis. Sed pro *Cunctator* N. Heinsius malebat *Cunctatori,* quia sic Latini scriptores amant loqui, quod et ipse ostendi ad Justin. Mox idem Ryck. *per Falernos Garganosque saltus:* Male: Garganus enim mons est ad mare Hadriaticum in Apulia, longe a Campania. *Græv.* Tollius Fortuit. c. XXI. jubet legi *cognomen pravum, at Reip. salutare.* Nam initio datum fuisse in contumeliam; sed quia Reip. salutare deprehensum erat, postea vertisse in gloriam. Non credo ei. ' Cunctari' proprie non ponitur in vitio; sed est, secum deliberare, exigere, cogitare, ut apud Sueton. Cæs. XXXII. LXXX. LXXXI. et Domit. XVII. vid. Gron. I. Obs. 18. Sic *cunctans* pro eo, qui deliberat, et rem adcurate æstimat ac perpendit, et *cunctatio* pro deliberatione. Suet. Cæs. LX. ' Nec nisi tempore extremo cunctantior ad dimicandum factus est: quo sæpius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans.' Juv. VI. 221. ' Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.' Similiter *cunctator* pro cauto, circumspecto, qui non nisi deliberato consilio rem aliquam adgreditur, et qui, ut Augustus dicebat ap. Suet. XXV. βραδέως σπεύδει. Livius XXII. 12. Minucius Fabium ' pro cunctatore segnem, et cauto timidum, adfingens vicina virtutibus vitia compellabat.' Add. Liv. XXX. 26. Tac. II. Hist. 25. Amm. Marcell. XVI. ap. Rupert. et Salm. ad Spart. Adrian. c. XIV. Eadem omnia tamen etiam de his dicuntur, qui tardi segnesque sunt, ac plus justo cunctantur: eo quod nimia deliberatione occasio rei gerendæ sæpe elabitur. *Cunctatori* præferrem, si auctoritatem librorum haberet: nam ita fere loquuntur antiqui. Vid. Gron. ad Liv. I. 1. et 3. et Græv. ad Justin. XXIX. 1. quos hic adscripserat N. Heinsius, ac simul remiserat ad suas Adnotationes in Tac. v. A. de quibus quum mihi antea nihil compertum fuisset, deinde partem earum ad I. et II. Annal. in Obs.

Miscell. Vol. IX. publicatam vidi.

Imperii scutum] Sicut contra Marcellus, 'ensis,' quod ex Posidonio recenset Plut. in Vita Fabii, cap. 36. Alia de causa (ob crudelitatem nempe) 'gladium' appellatum fuisse Ochum, idem Auctor scribit de Iside, cap. 1. 3. *Freinsh.*

§. 28 *Per Falernos Gauranosque saltus*] Hoc falsum. Gaurus fuit mons non longe Puteolis, sed Falernus fuit pars Massici, quem tenuit Fabius, qui est ad Sinuessam. Liv. 'Per juga Massici montis Fabio ducente.' Error inde natus est, quod uterque mons præstantissimum vinum ferat, inde a Floro pro uno eodemque monte habetur, ut doctissimus Camillus Peregrinus observavit in Campania Felice. *Græv.*

Mora comminueretur] Tac. H. 2, 32, 4. 'Multa bella impetu valida, per tædia et moras evanuisse.' *Freinsh.* Add. Flor. IV. 2. 42. 43.

§. 29 *Ausus est. Cominus venit*] Ryckius adnotarat Gronovium delere *est*. *Cominus ire* et *venire* est, manum conserere, congredi, Flor. III. 8. 6. 'Postquam cominus ventum est, expertique rostra et pila.' Et III. 22. 7. 'Ipsi duces cominus invicem experti.' Propert. II. 19. (Ed. Broekh. 15.) 21. 'Non tamen ut vastos ausim tentare leones, Aut celer agrestes cominus ire sues.' Et III. 1. 26. 'Fluminaque Æmonio cominus isse viro.' Vid. Passerat. ad hæc loca Propertii. 'Cominus tendere' pro, propius accedere. Suet. Cæs. LXIII.

Cominus venit, et pepulit e Campania sua] Mirum, non animadversum hujus vitium lectionis a tot ante correctoribus. Ut Marcellus Annibalem e Campania sua pepulerit? Atqui Capuam, Campaniæ caput, non eo anno amisit Annibal, nec opera Marcelli Campaniæ possessione cessit, sed obsidione tantum Nolæ urbis excussus est. Solus ex nostris vett. libris Nazarianus Codex sinceram retinuit lectionem, qui habet: *Cominus venit, et pepulit in Campania sua.* Suam jam pæne totam fecerat Campaniam Annibal. Nam et Capuam sedem, et domum, et patriam alteram Annibalis fuisse, noster Annæus paulo post dicit. Quo magis mirum est, in ea provincia, in qua tantum poterat, pulsum a Marcello esse. Sic proverbii vicem 'in castris suis' aliquis 'cædi' dicitur. Nola autem Campaniæ urbs. Eamque Livius, ut et Neapolim, inter Campaniæ urbes recenset. Scripsisse olim Virgil. volunt Grammatici: 'vicina Vesevo Nola jugo.' Mox iratum Nolanis id mutavisse, et rescripsisse *Ora* pro *Nola.* Vesevus porro Campaniæ mons. Alii Piceno Nolam vindicant. Si ex illis fuit Noster, scripserit: *repulit in Campaniam suam, et ab obsidione Nolæ urbis excussit.* Sic inf. lib. III. cap. 4. 'Didius vagos, et libera populatione diffusos, intra suam repulit Thraciam.' Sed priorem cum lectionem, tum expositionem magis amplector. Et Nola omnino Campaniæ. Bis autem ad Nolam cum Annibale congressus est Marcellus, semel tamen tantum ab Annibale Nola obsessa. Nam prima vice spes illi hujus urbis potiundæ affulserat proditione plebis. Ad eam spem votumque propius urbem castra appulerat, a qua repulsus est eruptione Marcelli ex urbe. Anno sequente eamdem urbem legitima obsidione cinxit et corona circumdedit, acieque justa etiam cum eodem Marcello pugnavit, ac victus est, quod hibernis Capuanis militum ejus ardor et robur omne elanguisset. De hoc secundo prælio hic Florus accipiendus, cum ait, Marcellum cominus ausum congredi cum Annibale, et ab obsidione Nolæ urbis eum excussisse. Tertio quoque eam item rem tentasse Annibalem scribit Livius, lib. XXIV. cap. XVII. et cum eodem Marcello acie pugnasse, victumque esse: et exinde spem in posterum omisisse Nolæ po-

tiundæ. *Salm.* Marcellus ad Nolam ter pugnavit cum Annibale: primum non multo post prælium Cannense. Liv. XXIII. 16. deinde anno sequenti Ibid. 44. et seqq. Postremo A. 539. Idem. XXIV. 17.

Pepulit e Campania sua] *In Campania sua;* ita præfert Nazarianus: nec scio tamen, quid velit alter Pal. *a Campania:* optimum factu censeo nihil mutare: verum posset illius optimi Cod. γραφὴ sic defendi, *pepulit in Campania sua*, eodem modo quo dicimus, 'in castris suis aliquem cædere.' Sic Marcellus in Campania sua cecidit Annibalem pepulitque, quem ab obsidio Nolæ urbis excussit: sed hac lectione legeretur melius, *perculit in Campania sua.* Nos eo tandem redimus, ut NIHIL MUTANDUM pronuntiemus. *Salm. Pepulit in Campania sua*] Libuit arripere scripturam Pal. pr. Jordanis: codd. scripti, *perpulit in Camp. sua.* Grut. Salmasius nihil mutandum censet in vulgatis, ubi est *e Camp. sua.* Freinsh. *Pepulit in Campania sua*] Ryck. et Pal. *pepulit a Campania sua:* rectius editi: *pepulit e Campania sua.* Paullo post leg. cum Freinsh. *libertate donata.* Aut forte scripsit Florus *libertate donatos fecerat de servitiis Romanos. Servitia* pro servis, ut 'matrimonium' pro uxore, et sexcenta talia passim. *De servitute*, vel *servo, Romanus*, est ut 'De consule Rhetor.' Sed N. Heinsius conjicit Florum scripsisse: *fecerant se de servis virtute Romanos.* Non, addit, debuit dubitare Salmasius. *Græv.* Edd. Beroald. Sab. Parv. et Camert. *et pepulit, et Campania sua, et ab obsidione Nolæ urbis excussit.* Nazariani libri scripturam expresserunt Elzevirii in Edit. Lugd. 1657. Anna Fabri, et Grævius, quod Lipsio quoque placuisse adscripserat Auditor ejus, pro quo Amstelodamenses revocarunt *e Campania.* Salmasius infra ad n. 51. sententia mutata vult legi *in Campaniam suam.* Begerus recepit *a Campania.* Forsitan ita scripserit Florus; sed ratio, qua Begerus inductus ita potissimum legendum putavit, nulla est. Vulgatam scripturam *e Campania*, eo rejicit, quod Annibal Nolam obsidens non jam amplius in Campania, verum in Picentinis fuerit. Si hæc ratio firma est, etiam valere debet contra scripturam illam, quam Begerus probat. Deinde, pro confesso ponit, Nolam in Picentinis fuisse, quam tamen plerique Veterum in Campania locant, Livius multis locis, Strabo lib. v. p. 249. Plin. III. H. N. 5. Suet. Tib. XL. et, ut videtur, etiam ipse Florus III. 20. 5. aliique. *A Campania* ideo retinendum dicit, quod quamvis eam adhuc præsidiis suis obtineret, tamen ab ea pulsus per Lucaniam Romanis insequentibus cedere coactus fuerit. Sed primum, si quid firmi est in hac ratione, id etiam potest facere ad tuendam lectionem *e Campania* a Begero improbatam. Deinde, velim scire, unde hoc cognoverit, Annibalem a Marcello Nola depulsum coactum fuisse per Lucaniam fugere, de quo nec Livius, nec alii, quod quidem sciam, quidquam tradiderunt. Si existimavit Annibalem, ad Nolam a Marcello victum, deinde Graccho premente per Lucaniam fugisse, ut prodit Florus, omnino erravit. Nam hoc falsum esse ostendit Salmasius e Liv. XXIV. 14. e quo etiam intelligi potest, pugnam Gracchi cum Pœnis ante postremam cladem Annibalis ad Nolam factam fuisse. Marcellus quidem Annibalem cedentem per Lucaniam secutus est, et in Apuliam abire coëgit, ut Liv. XXVII. 2. sed demum A. U. 543. et aliquot annis post ultimam pugnam ad Nolam. Quamquam autem præfero scripturam Cod. Naz. tamen mihi propter consensum aliorum librorum retinendum visum fuit *a Campania:* idque eo referri potest, quod Livius XXIV. 17. scribit, Annibalem postremo prælio ad Nolam

victum relicta Campania Tarentum profectum fuisse. Nam hoc quoque, ut pleraque alia, fortassis in majus extulit Florus, et Annibalem Campania pulsum dixit, qui quum magnam partem illius obtineret, nemine impediente in ea manere potuerat, sed spe Tarentinæ urbis potiundæ sponte illa excesserat. *Sua* deest in Berol. Duisb. et v. e. Si Begero credimus, etiam in altero Pal. Non scio unde hoc habeat: nam Grut. et Salm. tacent.

Ab obsidione Nolæ urbis] Nam Annibal, sicut ap. Liv. 30, 20, 7. ipse queritur, cum 'cruentum ab Cannensi victoria militem Romam ducere' debuisset, 'circa Casilinum, Cumas, Nolamque consenuit:' et interea Romanis ex tanta clade respirandi tempus concessit; suorum autem ardorem popinis et comessationibus et Campana luxuria deteri passus est: itaque cum Nolam obsideret, pulsus est a Marcello, et, quamvis obstinate propositum urgeret, infecta re discessit. Vide Liv. 23, 14. et deinceps. *Freinsh.* 'Excutere' pro depellere, ejicere, expellere, rursus infr. n. 42. Cic. II. Phil. 22. 'Consules ex Italia excussos.' Virg. VII. Æn. 299. 'Patria excussos,' et IX. Æn. 68. 'Excutiat Teucros vallo.' Begerus hic quoque solita sibi audacia grassatus exclusit *ab:* quod ne quis putaret errore operarum typographicarum factum, etiam verbis, quæ adnotationi Freinshemii præscribebantur, particulam illam detraxit.

§. 30 *Ausus et Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi*] Nusquam id legi, Sempronium Gracchum per Lucaniam institisse fugienti Annibali, et cedentis terga pressisse, præsertim cum id dicat eum fecisse, cum servili manu. Volones Livii intelligit, hoc est, servos publice redemptos, qui voluntate sua sacramento dixerant, octo millium numero. His militibus Gracchus ad Beneventum prælio decertavit cum Hannone, eumque devicit, ut narrat Liv. lib. XXIV. At, cum Annibale ipso eum pugnasse, non leges. Multo minus, ut vestigiis ejus fugientis institerit, aut terga cedentis presserit. De Marcello id memorat idem Liv. lib. XXVII. Is per Lucaniam cedentem Annibalem insequutus est, et aliquoties cum eo conflixit, interim vincentis fato, interim victi fortuna. Epitome illius libri, de Numistrone Lucaniæ oppido, ad quam incerta victoria pugnatum est ab Annibale et Marcello: 'Inde Annibal noctu recessit, et subinde cedentem pressit, donec effugeret.' Sempronio igitur Graccho dat Noster, quod Marcellus fecit. Cui porro verisimile fiat, Sempronium cum servili ac parva manu coëgisse ad fugam Annibalem, ac cedentem subinde pressisse? *Salm.* Ryck. *Gracho*, Duisb. Fran. V. Ed. Ald. et Sab. *Gracco.* Vid. ad II. 17. 9.

O pudor] Fuerint enim tum 'necessaria gloriosis præposita,' ut ap. Vellei. 2, 110. 3. et, 2, 113, 3. 'Utilia speciosis præferens.' *Freinsh.* Tollius ad Auson. Ep. IX. vs. 23. et Fortuit. c. VII. ejiciendum censet *o*. Sed habent illud o. s. et e.

Manu servili] Liv. 22, 57, 11. 'Aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas, dedit; octo millia juvenum validorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos, vellentne militare, empta publice, armaverunt.' Quos tamen 'dominis ultro donantibus' collectos, Appianus in Annibalico scribit. De hujusmodi delectibus vide ap. Pausan. p. 425. Polyb. ap. Vales. p. 181. et notata supr. 2, 6, 23. *Freinsh.*

Quamvis tunc (o pudor!) manu servili pugnaret] De his ipsis supra dixerat, in sacramentum militiæ liberata servitia. Si liberati priusquam militarent, ergo liberi tum fuere, cum pugnaverunt duce Sempronio Graccho. Verum quidem, etiam tum servos fuisse, cum eorum opera usus est.

Gracchus in debellando Hannone. Ita falsum, quod supra scripsit Annæus, liberatos illos servos ad militiæ sacramentum. Addit statim: *Sed libertate donati fecerant de servitute Romanos.* Obscura omnimodo hæc verba. Genus ipsum loquendi non satis assequor: *Libertate donati fecerant de servitute Romanos.* Quis hæc intelligit? Servi illi nempe, donati libertate, Romanos fecerunt de servitute. Quid est, *Romanos de servitute facere?* Mitto elegantiam, solam quæro Latinitatem. Sed fac Latina esse, jam ego de historia inquisierim. Quid vult sibi? Si servi tum pugnarunt, quando, aut quomodo libertate donati sunt? Hoc debuit dicere. In re ita est. Gracchus, cum Pœnis et eorum duce Hannone pugnaturus, istis servorum copiis, qui, jam alterum annum servi militantes, libertatem taciti suspirabant, cum arbitrio ejus reliquisset senatus quid de illis faceret, priusquam cum Pœnis manum consereret, pronuntiavit, eum se extemplo liberum esse jussurum, qui caput hostis retulisset. Cum strenue pugnassent, virtutem eorum libertate remuneratus est. Sic ergo virtute de servis liberi facti. Hoc opinor dicere voluisse Florum, atque etiam dixisse, si verba ejus integra haberemus; quæ ad hanc faciem, ut ab Auctore concepta sunt, restituenda censeo: *Sed libertate donati. Fecerat de servis virtus Romanos.* Vel, quomodo fortasse mallet aliquis: *Fecerunt se de servis virtute Romanos.* Libertatem virtute meruerunt. Ita fecerunt se de servis Romanos ac liberos propria virtute. Perperam coaluerant istæ duæ voces in unam, ob soni affinitatem: *De servitute*, pro, *de servis virtute.* Priorem tamen malo lectionem, ut genio Flori convenientiorem: *Fecerat de servis virtus Romanos.* Cum vitio librariorum scriptum esset *servitus*, pro *de servis virtus*, correctores præsto fuerunt, ac *de servitute* fecerunt, ut solœcismum tollerent. Nihil certius nostra correctione. *Salm.*

Nam hucusque tot mala compulerant: sed libertate donati, fecerant de servitute Romanos] Duodecim istas voces adulterinum quid et barbarum sapere, diximus in Suspicionibus; neque nunc aliter sapit palatum: sane horum omnium, nec volam nec vestigium extare in Pal. 2. jam testor. *Grut.* Si tamen retinere libeat, ita commodius sonent; *sed libertate donata fecerant de servitute Romanos.* Quomodo Justinus, 7, 2, 11. 'Captivum de Rege facturi:' et Noster mox: 'Mediamque de Italia Africam facerent.' *Freinsh.* Heinsius conjecturam suam repetit ad Vellei. II. 26. vel aliter legi posse censet, *fecerant de servis sua se virtute Romanos.* Tollius ad Auson. Ep. IX. vs. 23. et Fortuit. c. VII. *sed libertate donati fecerant se virtute Romanos.* Vulgata scriptura est in Naz. Pal. 3. Toll. Duisb. Fran. Voss. et omnibus Edd. tam vetustis, quam recentioribus; a quibus Ryck. in hoc uno abit, quod pro *fecerant* habet *fuerant*; Regg. *data*, pro *donati.* Jord. *sed libertate donatos de servitute Romanos fecerunt.* In tanta varietate scripturæ veteris, et conjecturarum, difficile est judicare, quid præferendum sit. E libro Ryck. conjectura nasci possit, *libertate donati fuerunt de servitute Romani:* nam ultima vox per compendium unius vel paucarum literarum scribi potuit. Sed magis puto *fuerant*, quod in illo legitur, esse a scriba errante, pro *fecerant.* Freinshemii emendatio quam minimum quidem discedit ab aliis scriptis, et firmatur a Regiis, in quibus est *data:* eamque præter Grævium etiam Gerh. Vossius et Ryck. probarant. Nec ausim damnare cum Salm. *facere de servitute Romanos*, quasi non Latine dictum: quod nec Is. Vossio damnandum videbatur. Et tamen res ipsa videtur postulare, ut fiat mentio *virtutis*, qua libertatem sibi

pepererunt, qui ante pugnam adhuc servi fuerant. Itaque potius locum dandum censeo conjecturæ Salmasii ab Heinsio probatæ. Begerus hic adnotat: Si conjecturis agendum, quidni ad historiæ filum *fecit de servis Romanos?* Nec eo contentus, etiam insigni temeritate id, et *donata* in τὸ κείμενον intulit. Amst. mutata distinctione ediderunt: *Sed libertate donati. Fecerant de servitute Romanos.* Ego, ut in loco corrupto, credidi relinquendum esse, quod ante edebatur.

§. 31 *O horribilem*] De Agathocle Justinus, 22, 4, 2. 'Mira prorsus audacia, ut quibus in solo urbis suæ par non erat, eorum urbi bellum inferret; et qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena; victusque victoribus insultaret.' Consule etiam notam Bernecceri ad Justin. Similis locus est Eutropii, 3. 12. Huic autem animo Romanorum prioris etiam belli Punici victoriam acceptam refert Polyb. 1. 59. *Freinsh.*

Tam arctis afflictisque rebus] Tac. III. H. 69. 'Qui circumsideri ipsos, et, ni subveniretur, artas res nunciaret.' Sil. It. VII. 310. 'Quoniam res artæ.' Colum. I. R. R. 5. 'Spes arctior.' 'Angustas res' dicit Horat. II. Carm. 10. 21. Duisb. Fran. et V. E. *artis*, ut fere optimi quique libri scripti. Vid. Rittersh. ad Phædr. IV. Fab. 5. et Drakenb. ad Sil. It. VII. 280.

Ausus est tamen in diversa respicere] Claud. de Laud. Stilicon. 3, 145. 'Post Cannas major *(Pop. Rom.)* Trebiamque fremebat, Et cum jam premerent flammæ, murumque feriret Hostis, in extremos aciem mittebat Iberos.' Adde Frontin. 3, 18. *Freinsh.* 'In diversa respicere' dicit, pro, de aliis, iisque longinquis provinciis, exercitibusque in eas mittendis, cogitare: ut III. 10. 16. 'Respexit Oceanum.' Liv. XXVI. 24. 'Philippum satis implicatum bello finitimo, ne Italiam, Pœnosque, et pacta cum Annibale posset respicere.'

§. 32 *Hostes*] Cum statim sequatur *eodem tempore, et hunc sustinuit, [sustinebat,]* maluerim cum Jordaneis: *cumque hostis, &c.* Grut. Scripturam hanc Jordanis sequutus est Beger.

Mediamque jam de Italia Africam facerent] *Jam* non habetur in Nazariano, et potest vel haberi, vel abesse, sine magno, ut quidem puto, sententiæ detrimento. *Salm.* Ita Naz. nam alii *mediamque jam de Ital. &c.* eodem quidem sensu, sed asperiore vocum positu. *Freinsh.* N. Heinsio videtur aliquid deesse, et forte scripsisse Florum: *in jugulo reip. per Campaniam Apuliamque volitarent, mediaque de Italia Africam facerent.* In Naz. abest *jam.* Græv. *Jam* est in Pall. et Voss. 3. in editis id nusquam inveni, nisi in Camertis, Stad. Grut. et recentioribus quibusdam Edd. Heinsii conjecturam recepit Beger.

Divisa per terrarum orbem] Ita v. e. et confirmavi eam loquutionem in Suspicionum libellis: vulgatur passim *diversa*, quod nec malum tamen: immo malum; cum alteri scripturæ adhæreant Pall. o. et Jord. *Grut.* Et alii scripti.

§. 33 *Sicilia mandata Marcello*] Scribuntur hæc a Liv. 25, 23, &c. Sil. lib. 14. in princip. *Cam.*

Nec diu restitit] Immo diu. Nec aliter dicat, qui historiam oppugnationis Syracusanæ ap. Liv. legerit. Quot labores, quot pericula circa mœnia Syracusana Marcellus exhauserit, non uno libro pertexuit. Sed nec in una urbe superata Sicilia est. Nam successori suo Lævino consuli, quod in ea ageret, reliquit. Agrigentum adhuc tenebatur valido Carthaginiensium præsidio, quod ille expulit; et sic quod reliquum erat belli in Sicilia perfecit. *Salm.* Sicilia restitit ab A. U. 539. quo Marcellus in eam missus est, usque ad A. U. 543. quo M. Valerius Lævinus, Agrigento aliisque oppidis

captis, Pœnos tota insula expulit. Liv. XXVI. 40.

In una urbe superata est] Liv. XXVI. 43. ‘ In una urbe universam ceperitis Hispaniam.’ Justin. XII. 9. ‘ Si possint in uno capite orbis bella finire.’ Et XXXII. 1. ‘ Velut in illo omne bellum confecissent.’ Florus quoque eodem modo alibi. Vid. Ind.

Syracusæ] De nobilissima hac urbe scitu dignissima collegit e monumentis veterum doctiss. Cluver. Siciliæ Antiquæ 1, 12. Vide etiam Cic. in Verr. 4, 53. *Freinsh.*

Quamvis Archimedis ingenio defenderentur] Archimedis ingenium nihil contra proditionem valuit, qua captæ sunt Syracusæ. Eo sane usque processerat ingenio suo et machinis Archimedes, ut non solum navalem oppugnationis maritimæ apparatum Marcelli eluserit, sed etiam terrestrem iisdem artibus impedierit, et ab oppugnatione eum in totum absistere coëgerit. Nec hic debuit tacere, proditione potissimum captas fuisse Syracusas. *Salm.* *Archimedis*] De quo Claudian. in Epigram. ibique Camers. Item Liv. 24. 34, 1. Plut. in Vita Marcelli, cap. 20. &c. Silius 14, 343. *Freinsh.*

Aliquando cesserunt] Ryck. *tamen aliquando cesserunt:* non male. *Græv.* Sic quoque Florent. et Fran. sed in hoc *tn* alia manu adscriptum. Dubito an intrusum sit ab iis, qui putabant particulis ‘ quamvis,’ ‘ etsi,’ et similibus, semper subjiciendum esse ‘ tamen;’ quod sæpissime post eas desideratur. Vid. Cic. I. Off. 22. Liv. XXVII. 39. Gron. ad Liv. XXII. 20. et XXV. 35. et quæ vir doctus adnotavit in Obs. Misc. Vol. VII. p. 141.

§. 34 *Longe illi triplex murus, totidemque arces*] Nusquam reperio, triplici fuisse muro cinctam Syracusarum urbem. Interpretatione itaque sublevandus vanus ac nugax Scriptor. Amplissimam quidem civitatem fuisse Syracusas constat, ac lato ambitu diffusam, sed vastam ac spatiis dissipatam, et in plures divisam partes, quæ singulæ fere instar urbium fuere. Eæ partes muro etiam invicem disclusæ et interseptæ. Tres præcipuas videtur facere Noster, qui et totidem arces quasi singularum urbium agnoscit. Hoc modo et triplicem murum habuisse intellexerit. Cum enim unaquæque harum arcium ac partium urbis Syracusanæ proprio muro ab altera fuerit separata, trinus murus illi fuit superandus, qui totis Syracusis potiri in animum induxerit. Livius urbem et partem eam, quæ proprie ‘ Insula’ vocabatur, distinctam fuisse docet. Νᾶσον incolæ vocabant. Atque ita legendum ap. Liv. ubi edd. ejus ubique *Nasson* cum duplici *ss* scribunt: Lib. XXIV. ‘ Epicydes ab insula, quam ipsi Nason vocant, citato profectus agmine.’ Ea insula muro peculiari ab cetera urbe, quasi intersepimento, disjuncta. Idem Livius: ‘ Murique ea pars, quæ ab cetera urbe nimis firmo munimento intersepiebat insulam.’ Jam ceteræ urbis, quæ ab insula, sive Naso proprie dicta, separabatur, variæ quoque partes, et ipsæ urbium instar. Neapolim, et Tycham, inter has nominat Livius his verbis: ‘ Marcellus, ut Euryalum neque tradi neque capi vidit posse, inter Neapolim et Tycham, nomina partium urbis, et instar urbium sunt, posuit castra.’ Meminit Hexapyli, urbis partis non modicæ, a numero portarum sic dictæ. Ex Livio tamen colligo, nomen portæ potius fuisse. Sic enim scribit, lib. XXIV. cap. XXI. ‘ Hexapylo Theodotus ac Sosis post solis occasum, jam obscura luce, invecti, transvecti per Tycham.’ Item lib. XXV. cap. 24. ‘ Prope Hexapylon est portula. Ea magna vi refringi cœpta.’ Et paulo post: ‘ Sub luce Hexapylo effracto, Marcellus omnibus copiis urbem ingressus.’ Apparet igitur ex his, portam fuisse, a nu-

mero portarum, vel portularum, sic appellatam. At Achradina, portio urbis longe maxima ac munitissima, ad mare posita, cujus frequens in oppugnatione Syracusarum ap. eund. Liv. mentio. Sic quatuor urbis partes, quas instar urbium idem fuisse dicit, Nasos, Achradina, Neapolis, et Tycha. Arces trinas fuisse hic Annæus vult. At Livius duas tantum commemorat. Unius arcis primum habet mentionem, quæ in insula erat. Horrea ibi fuere publica. ' In insula,' inquit, ' inter cetera Andronodorus præsidiis firmat horrea publica. Locus saxo quadrato septus, atque arcis in modum emunitus, capitur a juventute, quæ præsidio ejus loci attributa erat.' Ea est arx, de qua ibidem paulo ante loquutus est: ' Itaque Andronodorus et insulam, et arcem, et alia quæ poterat, quæque opportuna erant, præsidiis firmat.' Hæc arx insulæ fuit. Altera porro arx, in extrema parte urbis, a mari versa, et viæ imminens, quæ in agros ferebat et mediterranea loca, Euryalus vocabatur. ' Ad Euryalum signa referri jussit. Tumulus est in extrema parte urbis versus a mari, viæque imminens ferenti in agros mediterraneaque insulæ, pereommodus ad commeatus excipiendos.' Præter has duas arces alterius non meminit Auctor ille, cum diligentissime exsequatur obsidionem Syracusarum. Noster vero triplicem murum, totidemque arces, Syracusis tribuit, non solum obscure, sed etiam parum scienter loquutus. *Salm.* De partibus Syracusarum add. Cic. IV. Verr. 52. et 53.

Portus ille marmoreus, et fons celebratus Arethusæ] Non video quam magni momenti instar efficere potuerit ad defensionem Syracusarum, portus, marmoreus potius, quam ex alio lapide factus, et fons Arethusæ Poëtis decantatus. Facile quidem patiar dici, nihil profuisse urbi quæ capta sit, triplicem murum, totidemque arces. Sed quid urbi prodesse tali in tempore quibat, magnifica portus substructio, et celebris fontis amœnitas? Portus majoris meminit ad Syracusas Livius. Ergo et minorem alterum habuerit. Is portus in Achradina. Ibidem et Arethusæ fons. Hic portum cum Arethusa jungit. Similiter et Livius, ubi memorat, Achradinam sub tribus præfectis fuisse, quorum unus Mœrichus Hispanus, qui Achradinam tradidit Romanis. Cum Achradinæ partes inter tres præfectos divisæ essent, et suam quisque tuendam partem suscepit, Mœricho obtigisse regionem dicit Livius ab Arethusa fonte ad ostium magni portus: ' Ipsi regio evenit ab Arethusa fonte usque ad ostium magni portus. Id ut scirent Romani, fecit.' Hæc cum ap. Liv. legisset Noster, fortasse inde arripuit, ut diceret, nihil illi profuisse, quominus caperetur, portum marmoreum, et fontem Arethusam. Nempe eam partem obtinuit præfectus ille, qui Achradinam prodidit Marcello, et milites ejus recepti per eam portam, quæ prope Arethusam erat. Qua proditione non solum capta Achradina, sed etiam eadem opera et Nasos sive insula. Urbs ipsa ante in ditionem venerat Marcelli cum arce Euryalo. Magnum autem portum fortasse pro magnifico vel magnifice extructo accepit Florus. Nusquam enim prodidit Livius, ex marmore fuisse. Utut sit, ineptum est, quod Florus portum heic marmoreum, fontemque Arethusam, cum triplicis muri et trinæ arcis munimentis jungit, quasi et in illis satis præsidii esse debuerit, ne urbs caperetur; quod tamen parum valuerit: ' Longe illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, et fons celebratus Arethusæ.' Sic supr. cum vellet dicere, parum valuisse artes nauticas Carthaginiensibus: ' Longe illis nauticæ artes, detergere remos, et ludi-

ficari fuga rostra.' Ceterum, ut 'adesse' alicui dicitur, qui eum defendit ac protegit, ita 'abesse,' et 'longe esse,' a quo non potest præsens auxilium sperari. Virg. in Æn. XII. 'Longe illi Dea mater erit.' Longinquum auxilium ei, cui præsens periculum, pro nullo putandum est. Ideo vicinos auxiliatores præferebat Hesiodus longe habitantibus, si forte cognatis: Τείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί. Vicinus, in qualicunque habitu deprehensus, etiam seminudus, etiam discinctus, ex proximo potest accurrere. Cognatus, qui longe incolat, præter moram itineris, id etiam temporis moratur, quod in vestiendo se, ac cingendo, sumere cogitur. Quia nudus ex longinquo per mediam urbem discinctus venire non possit. Ut serum igitur auxilium idem fere quod nullum, ita, qui longe alicui sunt vel absunt, in præsenti periculo constitutis parum idonei defensores. Inde illa loquutio, e medio vulgi sermone sumpta. 'Longe esse aliquid' vel 'aliquem,' qui parum prodest, vel non defendit. Cæsar de Bell. Gall. 'Longe illis abfuturum nomen populi Romani.' Ubi etiam emendari potest *longe illis futurum.* Etsi nec improbem *abfuturum.* Sic 'adsistere,' quod adesse ac præsentem esse significat, recens Latinitas pro, adjuvare posuit. Et ita nos quoque nunc Francoceltæ in idiomate nostro Romanensi usurpamus. *Salm.*

Nisi quod hactenus] Ita tres Pall. et e. v. *Grut.* Ita recte Grut. noster restituit ex veteri sua ed. cum reliquæ recentiores haberent: *Quid nisi hactenus profuere?* cum interrogatione. Veteribus editis nostri codices scripti suffragantur. Portum marmoreum, et fontem Arethusæ, hactenus Syracusis profuisse, ut victæ urbi parceretur, Flori somnium est. Pulcritudo urbis ac vetusta gloria, omnium ferme illa tempestate clarissimæ ac pulcerrimæ, memoria præterea beneficiorum Hieronis, socii regis, potius effecerunt ut ne deleretur. *Salm.* Hanc sententiam Flori post Salm. etiam improbat Grævius in Præf. Begerus hic quoque Florum ab eorum reprehensione defendit; sed, ut mihi videtur, parum feliciter. Dicit Flori mentem hanc esse, 'Nec pulchritudinem nec celebritatem locorum valere adversus vim aut proditionem; sed ad hoc forte, ut victori commiserationem moveant, ne perdantur: adeoque Romanos nec munitionum robore, nec venustatis respectu manus ab oppugnatione cohibuisse: sed utrisque postea motos fuisse, ut captæ Urbi parcerent.' Hoc nihil aliud est, quam verba Flori quæsitis ratiunculis in alienam sententiam detorquere. Apertum est, quæ sit mens Flori. Conjungit ille uno tenore muros, arces, portum marmoreum, et fontem Arethusæ, quasi ea omnia peræque potuissent prodesse adversus vim Romanorum: quod eum non debuisse facere, sed muros et arces, quæ sola valebant adversus vim hostium, a portu marmoreo, et fonte Arethusæ, quæ nihil faciebant ad defensionem Urbis, separare, recte disputant Salmasius et Grævius. Sed nec munimenta urbis ei profuerunt, quo minus a Romanis capta deleretur, ut putat Begerus. Pulchritudo fortassis ei ad hoc prodesse poterat: quamquam ne illa quidem præcipua causa fuit, cur ei parcendum existimaverint Romani. Rectius Florum defendere potuisset Begerus, si posita distinctione maxima ante vocem 'Portus,' arripuisset lectionem Edd. quas memorat Gruterus: *Portus ille marmoreus, et fons celebratus Arethusæ, quid, nisi hactenus, profuere?* Sed ea destituitur auctoritate librorum veterum, et excogitata videtur ab iis, qui intelligebant hæc non recte conjungi.

§. 35 *Sardiniam*] De hac insula

quoad ejus fieri potuit, accuratissime scribit modo laudatus Cluverius, in Sardinia sua antiqua: quo lectorem remissum volumus. *Freinsh.*

Gracchus] Tib. Sempronio Graccho quicquam hoc Punico bello in Sardinia imperii fuisse, haud facile invenias, cum neque prætura functus sit, et prætores hoc fere tempore solum in eam provinciam (erat enim in provinciæ formam ante hoc bellum annis quatuordecim redacta, per M. Mathonem Cos.) mittebantur: nam hunc Gracchum in ædilitate magistrum equitum a M. Junio Pera dictatore dictum fuisse, Liv. 22, 57, 9. testatur; inde mox Cos. designatum anno 538. iterumque post biennium, et semper illi bellum cum Annibale in Italia, idque in Lucania, mandatum fuisse, quousque procos. ipse anno 541. hospitis Lucani sui fraude, insidiis circumventus a Magone Pœno interfectus est. Sed Consularis facta est, propter belli magnitudinem, Sardinia anno 576. hoc est annis 41. post hujus belli initium, eamque tunc sortitus est Sempronius Gracchus Cos. hujus, de quo diximus, nepos: deque iis procos. Gracchum triumphasse testantur triumphi Capitolini, tantumque captivorum Romam deportasse, ut in proverbium abierit, 'Sardi venales.' Quod si rem tanto intervallo gestam cum hoc Punico bello confundit intolerabilis est ἀνιστορησία. Verum isto, quo cum Annibale bellatum est tempore, rem bene gestam adversus Pœnos et Sardos in Sardinia a T. Manlio prætore, qui Q. Mucio Scævolæ valetudinario successor datus est, Liv. 23, 40. testatur: ut qui captos a Manlio Asdrubalem, Magonem, Annonem Pœnorum: Harsicoram et Hiostum Sardorum duces cæsos esse scripserit. 'Insanorum' etiam 'montium' Liv. 30, 39, 3. meminit: Ptolem. Μαινόμενα ὄρη lib. 2. Geogr. vocat. *Stad.* Rupertus 'Insanos montes' sic dictos suspicatur ab immanitate: nam veteres 'insanum' pro magno dicebant. Sed e Claud. de Bell. Gild. in fin. intelligi potest, eos hoc nomen accepisse a nautis, quod ibi mare sævum ac scopulosum esset. Et infesta ac periculosa navigantibus fuisse ea loca etiam Liv. indicat xxx. 39.

Sardiniam Gracchus arripuit] In Sardinia tum quidquam egisse Gracchum, non reperio. Sardiniam a Graccho perdomitam post captas Syracusas, ordo rerum, prout hic narrantur, postulat. Atqui nihil in Sardinia gestum eo anno, quo expugnatæ Syracusæ. Tribus aut quatuor annis ante domita fuit Sardinia per T. Manlium prætorem, qui triginta millia Sardorum uno prælio cecidit, duce Hiosto filio Hamsicoris. Qui etiam altera acie Sardos cum Pœnis devicit, quibus præerat imperator Asdrubal, Cornumque urbem totius gentis primam cepit. His perpetratis, ac debellata insula, Manlius Romam navigavit, perdomitamque Sardiniam patribus nuntiavit. Vide Liv. lib. XXIII. Non potest de alia subactione Sardiniæ Florus intelligi, nec ipse potuit intelligere. Sed perperam Graccho tribuit, quod a Manlio gestum est. Sempronius Gracchus, tum Consul, Campanos cecidit: Epit. Liv. 'Sempronius Gracchus Consul Campanos cecidit. Præterea in Sardinia feliciter, T. Manlio prætore, adversus Pœnos Sardosque res gestas continet, a quo Asdrubal dux, et Mago, et Hanno, capti.' Multa igitur heic a Floro peccata. Primum, quod subactam Sardiniam a Graccho facit, quam Manlius subegit. Deinde, quod post captas Syracusas id actum memorat, quo tempore constat nondum obsessas fuisse. At tres annos integros in obsidione Syracusarum contrivit Marcellus. Postremo, quod in Caralim urbem sævitum ait, quæ Romanorum tunc fuit, et sedes erat belli Romano imperatori. Ducem

Sardorum Livius in editis *Harsicoram* vocat. Sed vetustiss. liber Bibliothecæ Puteanorum modo *Hamsicoram* appellat, modo *Hapsicoram;* Græcis Ἀψικόρας. *Pellidos Sardos* ibidem commemorat, qui debent esse *pelliti*, a pellibus, quas gerebant pro veste. Sic *pelliti Scythæ*. Livius, *Hapsicoratum forte profectus erat in pellitos Sardos*. Ita scribendum. Pellitos fuisse Sardos aliquos vel 'mastruga' vestis indicio est, quam a Sardis acceptam Auctores scribunt, et pelliceam esse volunt. *Salm.* Ad ea, quæ de 'pellitis Sardis' scribit Salm. add. Gron. ad Liv. XXIII. 40. et Interpp. Cic. ad Oration. de Provinc. Consul. c. VII. Carales tum in potestate Romanorum fuisse ostendit Liv. l. d.

Nihil illi gentium feritas] Hunc etiam locum in mendo cubare N. Heinsius affirmat, quia Sardinia plures populos, unam tantum gentem complecti potuit. Liv. XLI. 17. 'Omnes Sardorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti.' Scribebat igitur *nihil illa gentis feritas*, ut in lib. III. cap. 3. 'Donec invicta illa rabies et impetus.' *Græv.* Sic de Sardinia Plin. III. H. N. 7. 'Celeberrimi in ea populorum Ilienses, Balari, Corsi.' Et Mela II. 7. 'In ea antiquissimi populorum sunt Ilienses.' Idem de Britannia III. 6. 'Fert populos, regesque populorum.' De discrimine 'gentis' et 'populi' Gron. ad Liv. V. 34. quem locum etiam Heinsius adscripserat. Nec tamen hic quidquam mutandum puto: vid. quæ adnotata sunt ad Liv. XXIII. 41. 1.

Nihil illi gentium feritas, insanorumque immanitas montium profuere] De Syracusis idem dixerat alio modo: 'Longe illi triplex murus, totidemque arces.' Hoc est: Nihil illi triplex murus profuit, totidemque arces. Frigida porro et absurda Flori hæc conceptio de Insanis montibus, qui nihil Sardiniæ profuere quo minus subigeretur. Quasi Insani illi montes tam ardui, atque ascensu difficiles fuerint, ut prohibere potuerint insulam adiri, vel domari. Ad mare illi montes, ac cognomine horrendi magis, quam re ipsa. Meminit eorum Liv. lib. XXX. Ea inde accepit Noster, quamvis ibi de alia re mentio fiat, quam de Sardinia a Manlio subacta. 'Ilvam insulam, et ab Ilva Corsicam, a Corsica in Sardiniam trajecit. Ibi superantem Insanos montes multo et sævior, et infestioribus locis, tempestas adorta disjecit classem.' Ex eo loco arripuit Insanos istos montes, quorum immanitatem heic nihil profuisse dicit Sardiniæ, cum a Graccho perdomaretur. Quæ de re nihil ibi Livius, cum Sardiniam redactam in ditionem memorat. Et sane ineptum est. Nullum enim impedimentum aut moram objecisse armis Romanis montes illos historia ipsa perhibet, haud sane magis, quam fons Arethusæ. *Salm.* Historia quidem non tradit montes hos impedimentum adtulisse Romanis in subigenda Sardinia: sed tamen montes rectius referuntur inter ea, quæ valent ad defendendam regionem, quam fontes: nam montes sunt naturalia munimenta regionum. Itaque hoc speciosius defendit Begerus, quam quod de portu marmoreo, et fonte Arethusæ dixerat Florus.

Urbemque urbium] 'Caput urbium' supr. I. 16, 6. Eodem modo IV. 12, 13. 'Mysi barbari barbarorum.' Plura hujusmodi vid. ap. Spanh. Diss. VIII. de Præstant. et Us. Numism.

Gens contumax, vilisque mortis] Verius legerim, *vilisque morti; vilem morti*, eleganter vocat facilem ad mortem excipiendam, et mortem nihili facientem. *Salm.* *Vilisque morti*] Sic quidem Pall. tres; non, ut editur, *mortis*. Grut. Sic 'Vilis sibi juventus,' ap. Lucan. 4. 276. *Freinsh.* Cum Pall. consentiunt o. s. et v. e. *Viles morti* dicit eos, qui projiciunt vitam, et nihili faciunt mortem, ut

Lucan. IV. 506. de Opiterginis, 'Morti faciles animas.' Vid. Burmann. ad Quintil. Declam. 377. 'Vilitatem sui' sæpe etiam alii de hoc habitu animi dicunt. Freinsh. in Ind. Curt.

§. 36 *Cn. et P. Scipiones*] Historiam hanc scribunt Liv. lib. 23, 24, 25. Appian. Libyco. Plut. in Vita Scip. Val. M. 1. 6, 2. 3. 7, 1. Sil. 13, 381. et 15, 3. Serv. Æn. 6, 843. Eutrop. Oros. 4. 17. *Cam.* Adde inf. 2. 17, 6. *Freinsh.*

Rursus amiserunt] *Amiserant*, Jord. *amiserunt* probamus. *Salm.* Pall. et Voss. *amiserunt.* Naz. in exemplari Salmasii, et ceteri s. et o. e. *amiserant:* sed *eripuerunt* Berol. Duisb. et v. e. Vinetus edidit *amiserunt*, e libris suis, ut puto. Idque sententiæ magis convenire videtur. Adnotat hic Beger. e Grut. in quibusdam Edd. esse *spem pæne totam;* sed in Berol. *spem totam.* Idem est in Duisb. Fran. Voss. 2. Ed. V. B. S. et P. ac deinde Camertis et Stadii. Facile adparet hoc ortum esse ex ultima litera vocis præcedentis, et sequente voce *pene:* quod jam monuit Grut.

Sed Punicæ insidiæ] Lipsium omnia, quæ sunt inter *eripuerant*, et hæc verba, pro glossis habere adscripserat illius Auditor. Sane non admodum elegans est iteratio illa eorumdem prope verborum, *sed insidiis Punicæ fraudis oppressi*, et *sed Punicæ insidiæ alterum....oppresserunt*, in primisque particulæ *sed*, cujus repetitio plane ingrata est. Et omnino mihi persuadeo hic aliquid vitii latere. Nam et Jord. ea, quæ Lipsio suspecta erant, omittit, ap. quem hic locus ita legitur: *pæne totam Romanis eripuerant provinciam. Sed insidentes Punicæ fraudis insidiæ alterum ferro*, et reliqua, ut in Floro. Nec tamen credo illa omnia tollenda esse, quæ ejiciebat Lipsius. Nam videtur genuina phrasis Flori esse, *magnis illi prœliis quum Punicas opes cecidissent.* Sic II. 17. 6. de Scipionibus: 'Prœliisque ingentibus Annonem et Asdrubalem ceciderunt:' IV. 2. 75. 'Oceanus utramque classem naufragio cecidit.' Et alibi.

In turrim] Dubitat tamen Liv. 25. 36, 11. *Freinsh.*

§. 37 *Scipio*] Quæ hic scribuntur de Scipione superiori, habentur late a Liv. lib. 26. et seqq. Plut. in Vita Scip. Val. M. 3, 7, 4. 3, 9, 8. et sæpe alibi. Plura Gell. 4, 18, 6. 8, 12, 8. (Nam reliqua quæ ex hoc Auctore citat Camers, ad Æmilianum attinent) Plin. 7, 9, 7. 30, 16, 4. August. 3, 21. Civ. Silius, lib. 18. usque ad finem operis. Virg. Æn. 6. 842. Claudianus. *Cam.*

§. 38 *Bellatricem*] De bellica veterum Hispanorum gloria, pleni scriptorum libri, quos hic coacervare fastidio sit. Occurrent aliqua inf. cap. 17. et 18. huj. lib. *Idem.* Add. Liv. XXVIII. 12. et Barth. XXV. Adv. 12.

Seminarium] Ita recte per appositionem: q. l. *seminariam*, quod vix probo. Sic Appuleius, in Apolog. Herenn. Rufinum vocat 'omnium malorum seminarium.' *Freinsh.* Liv. VI. 12. 'Quæ' loca 'nunc vix seminario exiguo militum relicto, servitia Romana ab solitudine vindicant:' vid. Ind.

Totam a Pyren. montibus] Nam hi sunt utrinque ejus termini. Justin. 44, 1, 3. 'Hispania, inter Africam et Galliam posita, Oceani freto, et Pyrenæis montibus, clauditur.' *Fr.* Scipio eam præcipue partem Hispaniæ subegit, quæ est ad mare mediterraneum a Pyrenæo ad Anam fluvium: Lusitaniam, Callæciam, Asturiam, Cantabriam, et alias quasdam partes Hispaniæ non attigit. Patet e Liv. Add. Sigon. I. de Ant. Jur. Prov. 5.

Nescias citius, an facilius] Quod cito fit, etiam fieri facile puto. Scribendum igitur *felicius*, ex veteri ed. et optimo Nazariano, utroque Pal. et Jord. ipso denique. Sic lib. III. cap.

6. 'Quid prius in hac mirere victoria, velocitatem, quod quadragesimo die parta est; an felicitatem, quod ne una quidem navis amissa est?' Sic inf. lege *feliciter* pro *facile*. Salm. *Felicius*] Sequenda erat turba, Mss. Pall. confirmata insuper editionibus antiquitatis. Ceterum paullo post, retinui *quam facile:* suadente majestate codicis Naz. neque enim *felicitas* heic aliud quam *facilitas:* itaque, ut supra dixerat, 'citius,' ac postea tamen iterat 'velociter;' ita et *felicitatem* mox mutat *facilitate*. Interim non ideo concesserim, quod 'cito' fit, etiam 'facile' fieri: immo fere est, ut arbitrer potius, heic convenire, *an facilius*. Grut. Similis omnino locus inf. 3, 6, 15. *Freinsh.* Idem quod in Pall. etiam in Berol. Magl. Duisb. Voss. V. E. et Junt. erat. In ceteris s. et e. *facilius*. Paullo post plerique libri habebant *facile*, Berol. Duisb. et V. Ed. *feliciter*. Et ita quidem etiam Lipsius emendarat, et paullo ante *felicius*, quod Perizonio quoque et Toll. placebat, et edidit Beger. Mihi antea cum Grut. turba sequenda, et *an felicius*, et *quam facile* relinquendum videbatur; cum propter numerum librorum, tum quod etiam Freinsh. et Græv. ea retinuerant, etsi paullo ante ediderant *felicius*. Nunc Lipsii, Salm. Toll. et Perizon. sententiam præferendam putavi, accedente præsertim auctoritate duorum Mss. et v. e. Quemadmodum 'velociter' respondet præcedenti 'citius,' sic præcedenti *felicius* respondere debet *feliciter*. Qui hic non probant *feliciter*, nec ibi, quidquid dicat Grut. retinere possunt *felicius;* sed sequi debent scriptos illos et olim editos, qui habent *facilius* et *facile:* quorum scripturam non confirmant sequentia, 'quod tam facile victa est Hispana Carthago;' nam voce 'facile' ibi tam velocitas, quam felicitas comprehenditur. *Facilis* et *felix* autem, item *facilitas* et *felicitas* in Mss. sæpe permutantur. Vid. cl. Burm. ad Vell. II. 53. Dion. Voss. ad Cæs. III. Civ. 73. et ad Liv. XXXI. 26. 7. adnotata. Sic inf. II. 8. 17. in vulgatis *mira facilitate*, pro *felicitate*.

§. 39 *Fatentur*] V. ad IV. 12. 62.

Eodem quippe die] Vide Liv. 26, 42. &c. Eutrop. 3, 15. Oros. 4, 18. Polyb. 10, 9. Sil. 15, 220. Auctor. de Vir. Illustr. cap. 39. Plut. Scipione (si modo is auctor) Plin. 26, 4. Appian. Hispan. et Nostrum, inf. 2, 17, 7. *Freinsh.*

Eodem quippe, quo obsessa est die, capta est, omenque Africanæ victoriæ fuit] Ter quaterque τὸ *est* iteratur, tam hic, quam in proximis: prorsus inconcinne. Forte: *quo obsessa est die capta omen Africanæ fuit, quod tam facile victa esset Hispana Carthago.* Deleto *victoriæ*, ut subintelligatur ex sequentibus, vincendæ Carthaginis. Ipsa scribendi ratio succinctum in Floro dicendi genus requirit, cum epitomen nobis dederit. Omen Africanæ non difficulter vincendæ Carthaginis fuit, quod tam facile victa est Hispana Carthago. Val. M. IV. 3. 'Scipio cum in Hispania Carthagine oppressa majoris Carthaginis capiendæ sumsisset auspicia.' Hæc. N. Heinsius. *Græv.* Heins. in ora libri sui pro *victoriæ* etiam adscripserat *victori*, mutata, ut videtur sententia, quum prius delendum censuisset *victoriæ*. Non credo locum indigere mutatione. *Hispana Carthago*, ut 'Hispani agri' ap. Liv. XXVIII. 35. et alia hujus generis ap. Heins. ad Ov. v. F. 580. mox Florus n. 42. 'Pœnus Dux.' Ov. IV. Tr. 6. 5. 'Pœni leones.' Ryck. Fran. et ed. Sab. *Hispania Carthago.* Aldus, Camers, et Plantinus *Hispanica:* non recte.

§. 40 *Ad profligandam*] Vid. Ind. et ad II. 15. 'Sanctitatem' Freinsh. in Ind. interpretatur integritatem, et abstinentiam. 'Sanctitas' quidem interdum hæc significat, quum de his

dicitur, qui in imperiis magistratibusque sunt, et opponitur avaritiæ, rapacitati, et crudelitati, ut in C. Nep. Lys. IV. Verum hic non tam de illis virtutibus agitur, quam de continentia morum, et abstinentia a libidine Venerea. Nam et hæc 'sanctitas' dicitur. Cic. III. Phil. 6. 'Quis hoc adolescente castior? quis modestior? quod in juventute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis?' Liv. XXXIV. 6. 'Pudor sanctitasque fœminarum.' Et 'sanctus' et 'sancte' eadem significatione ap. Phædr. III. Fab. 10. et Curt. III. 12. Sed hæc in universum etiam de vita moribusque, qui incorrupti, et sine reprehensione sunt, dicuntur. Sic Liv. XXVII. 8. 'sanctitatem vitæ' opponit negligenti, dissolutæ, et luxuriosæ vitæ.

Captivos pueros puellasque] Historiam hanc habet Livius, 26. 49. et 50. Eutrop. 3. 5. Plut. in Vita: Auctor de Vir. Ill. cap. 49. Notanter Sil. 15. 268. Val. M. 4. 3, 1. *Cam.* Quantæ autem ad conciliandos hostium animos efficaciæ sit ista continentia et humanitas, patet exemplo Alexandri et Darii ap. Curt. 4. 10, 34. et Plut. Orat. de virtute Alex. cap. 14. Itemque Val. M. 5. 1. toto capite. *Freinsh.* Valerium Antiatem aliter de hac re adversus omnes alios Scriptores sensisse, prodit Gell. VI. 8.

Saltem oculis videretur] Legebatur prius, *saltem vel oculis.* Incpte: alterutrum enim tantum probum est, alterum ejiciendum: in Flori libris certe omnibus, *vel oculis videretur*, scriptum extat. *Salm. Saltem oculis*] Alii: *saltem vel oculis*, sed istud *vel* non habet Jordanes: quod et glossarion esse suspicor. *Saltem* namque hujus *vel* significationem habet tam h. l. quam inf. 3, 8, 2. ubi 'vel' nulla subjiciunt exemplaria. *Vin.* Sed exemplar Ms. ut et editi ante, *saltem vel oculis*, quod etiam totidem literis in Pall. tribus. *Grut.* Et in Ryck. Toll. Duisb. Fran. Voss. et o. e. ante Vinetum. In Voss. itidem est *vel*; sed excerpta non satis clare indicabant, utrum in iis *delibasse vel oculis*, an *delibasse saltem vel oculis* esset. Begerus edidit, *delibasse vel oculis.* Mihi quoque verosimilius videtur *saltem*, ut notius, pro interpretatione τοῦ *vel* adscriptum fuisse. Sed retinui *delibasse saltem oculis*, quod post Vin. Gruterus, Freinsh. Græv. et alii ediderunt: et ita Regg. Paullo ante Regg. Toll. Duisb. Fran. Voss. 3. et v. e. *nec in conspectum quidem suum.* Ryck. Voss. 1. 2. Jord. et al. e. v. *ne in c. q. s.* de quo vid. supr. ad cap. 5.

§. 41 *Inter diversa terrarum*] Tollius malebat *per diversa*, ut III. 19, 2. Et sic rursus Florus III. 5, 27. et III. 6, 1. Nihil mutandum puto. *Inter* sæpe est idem, quod, in, vel, per, et de loco, tempore, et re dicitur. Terent. Eun. IV. 2. 'Cœpi egomet mecum inter vias cogitare.' Suet. Aug. XLV. 'Inter angustias vicorum pugnantes.' Liv. I. 10. 'Inter tot annos,' ubi vid. Gronov. Suet. Cæs. IV. 'Supplicio, quod illis sæpe minatus inter jocum fuerat.' Et Galb. V. 'Inter conventum matronarum.' Ita ibi est in Edd. vett. pro quo Torrent. Græv. et Jac. Gronov. e libris suis prætulerunt *in conventu.* Sed hoc pro glossa habet Sciopp. V. Suspect. Lect. 19. Et causa est, cur suspectum esse possit. Certe in eod. Suet. Cæs. IV. minime sequendos arbitror libros scriptos Casaubono memoratos, qui habebant *per jocum.*

Visceribus inhærentem] Hoc sæpe dicunt veteres de malis, quæ pertinaciter urgent, et vix ulla vi depelli possunt, tamquam intestina et inveterata quædam ulcera. Cic. IV. Tusc. 11. 'Permanat in venas, et inhæret in visceribus illud malum.' Liv. XXXIII. 44. 'Hærere et aliud in visceribus Græciæ ingens malum.' Id. XXXIV. 48. Tyrannum 'hærentem

visceribus nobilissimæ civitatis.' Et XXXII. 21. 'Quod (bellum) per XVI. annos velut intra viscera Italiæ toleraverant.' Alia significatione Cic. I. Phil. 15. 'In medullis Pop. Rom. ac visceribus hærebant;' de summo amore.

Contra Romanos Italicis quoque viribus utebatur] Nimirum hoc etiam inter cetera habet commodi bellum in hostili solo. 'Quippe' (verbis Agathoclis ap. Justin. 22. 5, 4.) verum est, 'aliter domi, aliter foris, bella tractari: domi ea sola auxilia esse, quæ patriæ vires subministrent; foris hostem etiam suis viribus vinci, deficientibus sociis, et odio diuturni imperii externa auxilia circumspicientibus,' &c. Suadet hoc idem Antiocho expertus Annibal, ap. Liv. 34, 59. Vide Aristidem, Orat. 13. p. 263. *Freinsh.*

§. 42 *Tarentus ad nos redierat*] In vett. Nazarii membranis scribitur: *Idem Tarentius.* Facilis emendatio: *Pridem Tarentinus ad nos redierat.* Sic fere semper loquitur Florus. 'Tarentinus' pro, Tarentini, 'Romanus' pro, Romani, 'Germanus' pro, Germani, et talia passim obvia sunt multa hunc Auctorem pervolventibus. *Sal.* Ryck. *Idem Tarentinus ad nos redierat.* Sic et Nazar. Probo Salmasii conjecturam: *Pridem Tarentinus ad nos redierat.* Mox pro vulgato, *ut inde totis viribus Romam converteretur*, non inepte idem, *ut ille totis viribus Romam converteretur.* Græv. Voss. *idem Tarentinus.* Regg. *Id est Tarentus.* Tollius Fortuitor. c. XXI. legit *Jam Tarentus. Tarentinus*, quod probant Salmas. et Græv. est in Edd. Beroald. Sab. et Parv. Et ita e Naz. descripsit Gruterus, et Salm. ipse in exemplari suo, non *Tarentius.* Begerus e Ryck. et Berol. recepit, *ut ille.* Et sic habent etiam plerique alii scripti, et edd. vett.

Ad nos redierat] Qua arte Tarentum a Fabio recuperatum, docet Liv. 27, 17. August. 1, 6. Civ. Eleganter Sil. 15, 320. *Cam.* De hac re extat pulcer jocus Fabii ap. Plut. Apophth. cap. 5. 'Cum M. Livius, qui Tarentinam arcem præsidio tutabatur, sua opera eum Tarento potitum diceret: aliis ridentibus, vera, inquit Fabius, dicis: nisi enim tu urbem amisisses, nunquam ego recepissem.' *Freinsh.*

Jam Capua sedes et domus et patria altera Annibalis] Hallucinatur Florus, cum harum urbium recuperationem iter Hannibalis ad urbem præcessisse scribit. Nam cum Capua obsideretur a Consule Romano, non aliter urbi obsessæ ferri opem posse putabat, quam si Romam obsideret. Vide Liv. 26, 7. Appian. in Hannib. *Græv.* Sententia Flori est, quum jam in eo esset, ut caperetur Capua, Annibalem, ut Romanos ab ea abstraheret, et impediret amissionem Capuæ, Romam petivisse. Nam Capuam tum nondum captam fuisse, quum Hannibal Romam proficiscebatur, mox ipse ostendit. Nec tamen satis aperte, et adcurate expressit hanc sententiam. Observat etiam Fabrettus in Apolog. advers. Jac. Gronovium p. III. Florum præpostere narrare de Tarento. Nam hoc receptum est A. U. 544. biennio post Capuam captam. Liv. XXVII. 15.

Patria altera Annibalis] Silius, II. 425. 'Altera jam patria, atque æquo sub honore vocatur, Altera Carthago Capua.' Cic. in Verr. 4. 8. 'Tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circumvenit.' *Fr.* Annibal Capuam Carthagini æquare solitus erat. Liv. XXV. 15.

§. 43 *Populum dignum orbis imperio*] Ob virtutem et constantiam. Pertinet huc, quod supr. 1. 13, 3. dixit: 'Ea certe fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem divinitus, scire volentibus immortalibus Diis, an Romana virtus imperium orbis mereretur.' *Freinsh.*

Dignum omnium favore] Dele *om-*

nium, et lege : *dignum favore et admirvatione hominum ac deorum.* Sal. *Dignum omnium favore*] Ita dudum editio accuratissima Vineti, quomodo postea legendum monuit, ex veteri suo cod. Lipsius d. cap. 19. nec aliter sane aut Pall. aut vett. edd. aliæ *et administratione:* ridicule. Ceterum sciat lector, illa quæ præcedunt, *dignum orbis imperio*, omissa in vet. ed. cui ansam dedit repetitio vocis *dignum.* Grut. V. E. *omni*, quod probabant Gerard. Vossius, et Heins. Beger. ex sententia Salmasii exclusit *omnium*, contra o. s. et e. Salmasii conjectura hac ratione niti videtur, quod satis erat ' hominum ac Deorum,' etiam non addito illo *omnium*, ut inf. III. 21, 12. et in Sall. Cat. XV. ' Diis hominibusque infestus.' Liv. X. 7. ' Cui Deorum hominumve indignum videri potest?' Et XXVIII. 21. ' Nec alium Deorum hominumve, quam Martem se judicem habituros esse.' Sed non minus sæpe in hac formula additur *omnis.* Liv. VII. 5. et IX. 26. ' Ut omnes Dii hominesque scirent.' Petron. c. LXXXVIII. ' Quum omnibus Diis hominibusque formosior videatur massa auri.' Et c. CXXXII. ' Quid dicis omnium hominum Deorumque pudor?' Sed tamen hoc loco præfero *omni*, quod etiam probabat Perizonius. Salmasius adnotarat in quibusdam Mss. non haberi *omnium.* Non usus est aliis, quam Palatinis; et in his tamen *omnium* fuisse testatur Gruterus.

Compulsus ad ultimos metus] Quid videbitur, si legamus *ad ultimas metas?* Ita sane elegantius multo censeam legi juxta scripturam Nazariani libri. ' Ad ultimas metas compelli,' paræmiæ vicem obtinet, et simile est illi, ' ad incitas redigi.' Cyrus Prodromus, lib. v. Amorum Rhodanthes et Dosiclis, ἔσχατον πέταυρον eleganter dicit pro eodem. Senecæ ' extrema tegula.' Notum illud Poëtæ: ' His ego nec metas rerum.' *Salm.* Naz. a manu correctrice habet, *ultimas metas*, metaphora non inepta. Sed vulgatum propugnant ceteræ membranæ, item Jord. codd. Mss. *Grut.* Et alii o. s. et e. Amm. Marcell. ap. Rupert. ' Quibus visis compulsus ad ultimos metus.'

Appio Consule] Immo Proconsule. Liv. XXVI. 1. et 8. Iterum Deos Annibali tum restitisse dicit, quod hi jam ante quoque a Carthagine aversi ei eripuerant mentem statim post pugnam ad Cannas Romam proficiscendi supr. n. 20.

§. 44 *Nec fateri pudebit*] Adjicit hoc ideo, quod probrosum videretur viris fortibus, Deorum potius favore, quam sua virtute victoriam consequi. Quo respicit Ajax Sophocleus, vs. 765. qui patri monenti: Τέκνον, δορὶ Βούλου κρατεῖν μὲν, ξὺν Θεῷ δ' ἀεὶ κρατεῖν: satis ferociter respondet: Πάτερ, Θεοῖς μὲν, κἂν ὁ μηδὲν ὢν, ὁμοῦ Κράτος κατακτήσαιτ'. ἐγὼ δὲ καὶ δίχα Κείνων πέποιθα τοῦτ' ἐπισπάσειν κλέος. Sic ille ' contemptor Superum Mezentius' ap. Poëtam 10,773. ' Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro, Nunc adsint:' quem locum imitatur, ut solet Statius in Capaneo, Theb. 9. 547. ' Ades o mihi dextera tantum, Tu præsens bellis, et inevitabile numen: Te voco, te solam, superum contemptor adoro.' Eadem mens erat Augusto, cum classibus tempestate perditis, exclamaret: ' Etiam invito Neptuno victoriam se adepturum.' Suet. in Vit. 16, 5. *Freinsh.*

§. 45 *Non a cœlo, sed ab urbis ipsius mœnibus*] Non dubitem ita concinnatam et deproperatam hanc esse lectionem manibus et ingenio correctorum, retentis quæ volebant, quæ nolebant rejectis. Vetus editio, ut nos docuit Vir doctiss. qui ea usus est, habet: *nec cœlo, sed ab urbis ipsius mœnibus in Capitolio ferri videretur.* Vide facinus eorrectorum. *Ferri* sustulerunt, in quo cardo erat sententiæ. *Nec* in *non* perverterunt, et alia, quæ

omitto, commiserunt. Totum hunc locum ita ex veteri ed. et libris scriptis emendamus: *Tanta enim ad singulos illius motus vis imbrium effusa est; tanta ventorum violentia coorta, ut divinitus hostem summoveri, nec cœlo, sed ab urbis ipsius mœnibus et Capitolio, ferri videretur.* Hoc sensu: Tanta imbrium et ventorum vis coorta, ut divinitus hostem summoveri putares, nec illam vim imbrium cœlo ferri, sed ab ipsis mœnibus urbis et Capitolio, diceres. Quid planius? An hæc pervertenda erant, ut intelligi possent? Isne autem erat Hannibal, quem mœnia urbis Romæ fugarent et summoverent? Quod illa lectio omnino innuit. Satis et nobis et illis hæc diximus. *Salm. Neque cœlo*] Reduxi lectionem Pall. utcumque firmatam ab editione primaria. *Grut.* Respexit huc Claudianus de Bel. Get. vs. 508. cum caneret: 'Hanc urbem insano nullus qui Marte petivit, Lætatus violasse redit: nec numina sedem Destituunt, jactata procul dicuntur in hostem Fulmina, divinique volant pro mœnibus ignes, Seu cœlum, seu Roma tonat.' *Freinsh.* Hunc locum pulchre Salm. restituit. Firmat cod. Ryck. hanc emendationem, nisi quod rotundius et elegantius: *ab urbe* (corrupte pro *urbis*) *ipsius mœnibus et Capitolii ferri videretur.* Nam Capitolina quoque arx fuit munita, quod nec tyrones ignorant. *Græv. Non a cœlo* est in Ald. et recentioribus quibusdam Editt. quæ, ut et Voss. 2. 3. omittunt *ferri.* Regg. *nec a cœlo, sed....ferri videretur:* reliqui s. et vett. edd. *nec cœlo, sed.... ferri videretur:* quo etiam tendunt Vossiani, in quibus est *ne cœlo, sed:* et sic emendaverat Auditor Lipsii: quod haud dubie verum est, et recte defenditur a Reinesio in Epistolis ad Bosium Ep. LXXXII. adversus eos, qui pro *ferri* legebant *feriri.* N. Heinsius pro *hostem* in ora libri sui scripserat, fort. *hostis.* Et Tollius adnotaverat, vel legendum esse *summovere,* vel, si id retineatur, *neque ea cœlo.... videretur.* Nempe Viris doctis dura visa est hæc oratio, *ut summoveri hostem videretur.* Et certe mollius esset *hostis summoveri,* vel *hostem summovere videretur,* scil. illa violentia, quæ est glossa in Voss. 1. adscripta verbis *Capitolio ferri.* Nec tamen alterum illud sine exemplo est. Varro v. de Ling. Lat. p. 62. 'Ubi ei videbatur horam esse tertiam.' Liv. XXXVI. 13. 'Quia videbatur et Limnæam eodem tempore oppugnari posse.' Paulus in l. 8. D. Quod cum eo, qui in al. pot. est. 'Nec videtur hoc dominum mandasse.' Ita liber Florent. ubi alii mutarunt, *Nec videri hoc d. m.* Sic 'traditur' sequente infinitivo cum accusativo, Sen. Controv. XXXIV. in fin. et Val. M. VI. 9, 6. Rom. et 'creditur,' Liv. XL. 29. et Tac. I. H. 50. Nec alia ratio est in eo, quod sæpe legitur ap. Liv. 'quem,' vel 'quos ei videretur, mitteret,' lib. XXIII. c. 34. XXXIX. 20. et XXXI. 8. Nam quod doctiss. Wopkens. in Adversar. ad Dictyn Tom. II. Obs. Misc. Nov. p. 33. negat hanc formam quidquam adfine habere cum forma Flori, non satis intelligo; nam utique hoc adfine habet, quod in ea quartus casus est, quum primus adhiberi potuisset. Plura hujus generis habent Heins. ad Ov. Fast. IV. 507. Gronov. ad Arrian. I. 1. et Perizon. ad Sanct. Min. III. 1. 2. Suetonius quoque in eadem periodo variat Oth. VII. 'Dicitur ea nocte per quietem pavefactus....repertusque....postridie quoque in augurando tempestate orta graviter prolapsum.' Torrentius corrigit *prolapsus.* Sed Suet. rursus eod. modo ib. XII. 'Fuisse enim traditur et modicæ staturæ, et male pedatus, scambusque....quin et faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum.' Et Scriptor Bel. Afr. c. XXVIII. 'Petiisse dicitur major Titus a centurionibus, uti se priorem, quam fratrem, interficerent: idque ab eis fa-

cile impetrasse, atque ita esse interfectos.' Ceterum quod dicit Florus, imbres illos ventosque ab Urbis ipsius mœnibus et Capitolio ferri visos, id ποιητικώτερον est; nam sic Claudian. ap. Freinsh. et Silius XII. 609. Livius XXVI. 11. in hac re exponenda simplici narratione defungitur. Sed et Justinus XXIV. 8. in historia templi Delphici a Gallis oppugnati tempestatem, et grandinem memorans, qua Galli a templo submoti sunt, ampullis illis abstinet.

§. 46 *Fugit*] Celerrimo, et fugæ simili itinere ab urbe discessit in Bruttios, ita ut ibi repentino adventu Romanos prope incautos oppresserit. Liv. XXVI. 12. Nam hoc interdum significant 'fugere,' et 'fuga.' Serv. ad Virg. Georg. I. 286. Æn. I. 406. et IX. 15. Cerd. in Georg. III. 201. et Gron. ad Sen. Thyest. 629.

In ultimum Italiæ sinum] In Bruttios. Liv. l. d. 'Ultimum Italiæ angulum' vocat n. 51. hic 'sinum,' i. e. ultimam partem, et quasi extremam laciniam, ut Virgil. cujus locum hic adnotarunt alii, Georg. II. 122. 'Aut quos Oceano propior gerit India lucos Extremi sinus orbis.' Vid. Gron. I. Obs. 4. Tac. Germ. c. 1. 'Cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens;' 'sinus' videtur dicere pro promontoriis et pæninsulis in extremum Oceanum Septemtrionalem procurrentibus.

Adoratam] Cum fateretur Vinetus, ita lectionem concipi in omnib. Mss., eam quoque ausus sum revocare; rationibus iis motus, quas posui in Suspicionum Libellis. Vulgo erat *adortam;* quod et in Pal. 3. nam reliqui, ut et membranæ Jord. stabiliunt scripturam primam. *Grut.* Idem in Paneg. 587. p. *Freinsh.* Hoc est: Cum tantum ideo videatur venisse, ut urbem videret, et mox se cum exercitu, cum illam non posset capere, converteret et abiret, quasi adorasset. Nam hic erat mos adorantium. Plin. XXVIII. 2. 'In adorando dextram ad osculum referimus, totum corpus circumagimus.' Suet. Vitel. 2. 'Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorari ut Deum instituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens.' Liv. V. 21. de Camillo preces fundente: 'Convertentem se inter hanc venerationem traditur memoriæ prolapsum cecidisse.' Sic 'adorare citharam' ap. Suet. Ner. 21. 'adorare vulgum' ap. Tac. In hoc adorationis ritu vertitur acumen hujus argutiæ Flori. *Græv.* Ryck. *adortum*, pro *adoratam*, quod est in aliis o. s. et e. v. et recte tuetur rursus Gruterus ad Orat. Eumenii pro Restaur. Scholis c. XI. De ritu adorandi, quem hic exponit Grævius, plura Briss. I. Form. p. 36. et Interpp. Suetonii ad Vitel. II. In Ryck. perperam omissum erat *non.* Apud alios quoque sæpe corruptam esse hanc particulam ostendunt Gron. ad Liv. IV. 2. et Græv. ad Suet. Vespas. V. Sic Fran. hoc loco *tamen non.* Vid. inf. III. 21, 21.

§. 47 *Parva res dictu*] Formula de rebus, quæ vix merentur memorari. Vid. Turneb. XXII. Adv. ult.

Ager quem Annibal castris insederat] Refert hoc præter ceteros Frontin. 3. 18, 2. et Plut. in Vita Annibalis. *Cam.* Item Val. M. 3. 7, 10. et Zonaras. *Freinsh.* Zonaras IX. 6. scribit, agrum publicum fuisse. Frontinus privati cujusdam fuisse indicat. Hoc si verum est, confirmat sententiam Ant. Matthæi in libro de Auctionib. etiam in privatis auctionibus hastam positam fuisse existimantis. Non volo hic in eam rem inquirere. Sed locus C. Nepotis Attic. VI. non juvat Matthæum; nam ibi agitur de hasta censoria. *Obsidebantur* Naz. Reg. Q, Voss. 1. 2. et edd. B. S. et P. deinde Naz. *insideat*, pro *insiderat*,

ut in quibusdam libris Vineti, Ryck. Regg. et iisdem edd. atque insuper Ald. et Junt. Vid. ad IV. 7, 6.

§. 48 *Subjecitque argentarias*] Potest repeti e superioribus 'hastæ.' Nec tamen necessarium est addi. Nam et *subjici* absolute dicitur, quod usitatius 'hastæ,' vel 'præconi subjici.' Suet. Tit. VIII. 'Delatores, mandatoresque... partim subjici in servos, ac venire imperavit.' Emendant ibi Viri doctiss. *hastæ partim subjici*, eo quod 'subjicere' pro, vendere, nisi addatur 'præconi' aut 'hastæ,' Romanis ignotum sit. Et tamen sic rursus Suet. Calig. XXXVIII. 'Auctione proposita reliquias omnium spectaculorum subjecit, et venditavit.' Sed alterum frequentius est. Vid. quæ collegit Briss. VI. Form. p. 510. 511. De tabernis argentariis Budæus ad l. 7. D. Depos. Sigon. II. de Ant. Jur. Civ. Rom. 11. et Briss. II. Antiquit. ex Jur. Civ. 12.

Etiam præsagia fatis fuisse] In duobus Pal. *et præsagia satis fuisse:* editam retinemus. *Salm.* Interpretor, fata, quæ mansura erant utrumque (pop. Romanum et Annibalem), his velut ominibus esse significata. *Fr.* Id est: Ea fiducia privatorum, vel diffidentia, fuit velut præsagium felicitatis Romanæ, et infortunii Carthaginis. *Rupert.* Ex adnotatione Salmasii liquet in Naz. fuisse *fatis.* Ita etiam Voss. et omnes edd., excepta prima, quas vidi, ante Freinsh. et Grævianam, quæ habent *satis*, ut ceteri s. et v. e. pro quo in Ryck. est *sat'*. Begerus corrupit notam Salmasii: nam in verbis, quæ ei præscribuntur, edidit *satis*, ac deinde in iis, quæ Salm. e Pall. descripsit, *fatis.* Perizonius et Toll. malebant *fati*, ut n. 53. 'Non sine præsagio fati imminentis.' Cic. IX. Phil. 4. 'Mecum ita loquutus est, ut ejus oratio omen fati videretur.' Potest tamen ita dici, 'Hæc fuerunt præsagia fatis utriusque populi,' ut ap. Plaut. prol. Amphitr. vs. 44. 'Quis benefactis meus pater architectus omnibus,' et alia apud alios, in quibus secundus et tertius casus promiscue ponuntur. Vid. Dous. Plautin. Explanat. I. 1.

§. 49 *Asdrubal frater Annibalis*] Auctores historiæ sunt Livius, 27, 38. &c. Val. M. 3, 7, 4. 7, 4, 4. Frontinus, 2, 3, 8. Eleganter Sil. 15, 494. Idem scribunt citati superius. *Cam.* Ryck. *siquidem ab Hispania Hasdrubal Hannibalis frater:* quod non est contemnendum, si plures libri adstipulentur. Ceterum sequentia etiam verba *cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole veniebat*, multis ulceribus scatere N. Heinsius existimat. Nec enim ait se videre quid intersit inter *novum exercitum, novas vires, novam belli molem.* Itaque, pergit, aut vitiosam esse orationem et inaniter loquacem fateamur necesse est, cum Florus tamen brevitati in aliis mire studeat, aut locum esse interpolatum. Cujus invidia reprehensionis ut liberemus scriptorem politum, non magna mutatione locum omnem sic refingi posse sum opinatus: *cum exercitu novo, novis liburnis, nova bellucæ mole veniebat*, ut nova supplementa exercitus, nova classis, et elephanti novi designentur. Historiam primo videamus, quam Silius Italicus fuse persequitur præ aliis lib. XI. belli Punici. Post prælium Cannense Hannibal Magonem fratrem victoriæ nuncium misit Carthaginem, qui eadem opera a senatu nova auxilia flagitaret, hoc est, militem, classem, elephantos inter alia præcipue, quæ et impetravit, etsi obnitente Hannone, qui exaggerat hoc modo postulata Magonis ap. Sil. lib. XI. vs. 566. 'Tela, viros, aurum, classes, alimenta precatur Belligeramque feram: victus non plura dedissem.' Ubi *victis* malim, vel certe *victus non plura petisset:* vides viros, classem, et feram belligeram. Mox idem Hanno magis ad rem vs. 587. 'Scilicet e gremio matrum rapiamus

in hostem Nondum portandis habiles gravioribus armis, Æratas jussi texamus mille carinas, Atque omnis Libyæ quæratur bellua terris.' Ubi hæc tria denuo habes, supplementa militis, classem, elephantos. Sed et de elephantis requisitis Mago jam ante vs. 543. 'Defit jam bellua castris Ausoniis terror.' Ubi perperam libri habent editi ac scripti *bellua tristis*. Certe Liv. XL. elephantos impetratos scribit. Sed de classe prius videamus, sive *novis liburnis*, quo vocabulo idem Flor. lib. III. cap. 9. usus est, ubi agit de expeditione Cypria Catonis, 'Cyprias opes liburnis per Tiberinum ostium invexit.' Plutarchus in Catonis Vita ait hanc ejus classem a triremibus ad hexeres crevisse. Idem testantur scriptores de Actiaca Cæsaris Augusti classe, quam e navibus liburnis constitisse Plutarchus testis est. Eutropius primo Punico bello a Romanis pugnatum liburnis asseverat, quæ Polybio sunt 'quinqueremes.' Liburnicæ igitur sunt naves bellicæ majores, etsi idem vocabulum de navibus onerariis quandoque in usu fuisse non ignoro. De majoribus quoque illa Horatiana capienda: 'Ibis liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula.' Vides 'alta propugnacula.' Solito minores liburnas biremes fuisse Lucanus satis innuit, cum ait: 'Ordine contentæ gemino crevisse liburnæ.' Plinius lib. VI. Ep. 16. *Liburnicæ quadriremis* meminit de avunculo suo. 'Jubet liburnicam aptari,' et mox, 'Deductam quadriremem ascendit,' ita enim malo, vel certe, *deducta quadriremi*, quam quod illic nunc circumfertur *deducit quadriremes:* videndus et Vegetius lib. VI. cap. 32. atque ibi Stewechius. Et hæc de liburnis. 'Belluam' pro belluis poni non magis mirum, quam 'Romanum' pro Romanis, 'militem' pro militibus, et mille talia: nec novum 'belluam' dici elephantum; ut alios omittam, Noster lib. I. cap. 18. 'Mori posse belluas ostenderat.' Ap. Curt. quoque 'belluæ' pro elephantis passim occurrunt. Porro quod *novam belluæ molem* dixit, hic quoque proprie locutus est, pro novis belluis. Ipse Florus lib. I. cap. 18. de elephanto: 'Omnia circa quasi hostilia gravi mole permiscuit:' ita enim illic jam recte restitutum pro *timore:* et firmat Ryckianus. *Turritas moles*, elephantes Sil. appellat lib. IX. 'Turritæ moles, et propugnacula dorso Bellua nigranti gestans.' Ita enim scripsi, non *Turritas moles*. Lib. III. Dixit idem: 'Feræ turrigeræ molem.' Eod. lib. vs. 464. 'At gregis illapsu fremebundo territus acres Expavit moles Rhodanus.' Ubi *atras moles* scribe. Et lib. IX. idem: 'Nec ferro sævire sat est: appellitur atra Mole fera, et monstris componitur Itala pubes.' Et in Catalect. Pithœan. de elephanto: 'Horret mole nigra, dente micat niveo.' Claudian. de iisdem lib. III. in Laud. Stilic. 'Insedit nigra cervice gementum, Et fixum Dea quassat ebur.' De mole eorundem Sid. Apollinaris descriptione triumphi: 'Grex niger albentes tegeret cum mole jugales:' Plin. lib. VIII. cap. 1. de iisdem: 'Visi sunt fessi ægritudine, quando et illas moles morbi infestant.' Curt. lib. IX. de his ipsis: 'Ubi nec stare nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles.' 'Tantæ molis bellua' Livio; sic et Seneca aliique. Colum. III. de R. Rust. 8. 'India perhibetur molibus ferarum mirabilis. Pari tamen in hac terra vastitate belluas progenerari quis neget? cum intra mœnia nostra natos animadvertamus elephantos.' Vide et Liv. XXVII. 19. ubi itidem 'moles' et 'belluas' conjungit de elephantis, et Curtium VIII. 12. IX. 2. *Grær.* Etiam Florent. Magl. Fran. Voss. 1. et edd. vett. excepta 1. habent *siquidem ab Hispania Asdrubal.* Atque id quidem probo. In reliquis nihil mutandum censeo; nec

puto resecari, vel mutari deberc omnia, quæ scriptores veteres sæpe per synonymiam ponunt. De liburnis quod dicunt Viri doctiss. id nihil ad rem pertinet. Nam Asdrubalem non mari, sed terrestri itinere per Pyrenæum, Galliamque, et Alpes in Italiam venisse, constat e Livio XXVII. 20. 36. et 39. Præterea, etsi 'bellua' et 'moles' de elephantis recte dicuntur; tamen 'nova belluæ moles,' pro novo agmine elephantorum, est genus loquendi plane insolens: 'nova belli moles' contra usitatissimum.

§. 50 *Si vir ille se cum fratre junxisset*] Sex. Ampelius: 'Qui sese cum Annibali junxisset, dubitari non potest, paria eis præstaturum non fuisse.' Quæ corrupta sunt; et leg. *qui, si se cum Annibale junxisset, dubitari non potest, parem eis P. R.* (i. e. *populum Romanum*) *futurum non fuisse.* Freinsh.

§. 51 *Nero in ultimos Italiæ angulos*] Optimus Nazarianus, *ultimo Italiæ angulo:* corrupte sane: nam, *ultimos Italiæ angulos*, rectum est; sic supra, 'Et pepulit in Campania sua,' pro, in Campaniam suam: ad quem locum annotationem nostram delere debes, et pro nulla putare; nam vera lectio illius loci, *pepulit in Campaniam suam, et ab obsidione urbis Nolæ excussit*, quod tunc non videramus: tantum enim abest, ut Hannibalem a Campania pepulerit Marcellus, ut vel ad ultimas metas redactus, Capuam tamen, quæ caput est Campaniæ, non omiserit. Nola urbs est Piceni, cujus obsidionem relinquere coactus est Hannibal, et in Campaniam suam refugere: videes ut perpetuo nobis cor non recte saliat. *Salm. In ultimo Italiæ angulo*] Ita omnino tres Pall. et vet. edd. male Vinctus, qui substituit *in ultimos Italiæ angulos.* Grut. Infra 3. 20, 13. est 'Bruttius angulus.' *Freinsh. In ultimos Italiæ angulos summovebat Annibalem*] Naz. et Ryck. *in ultimo Italiæ angulo summovebat Annibalem*, quam scripturam recte se habere censeo. Nam 'summovere' hostem est arcere. Superius I. 10. 'Postquam undique instantes solus submovere non poterat.' Submovebant itaque et arcebant ibi ab aliis Italiæ regionibus invadendis Hannibalem Romani in illo angulo Bruttio. Verum lectionem etiam a Salmasio constitutam possumus tueri. Nam et hujus sententia probari potest, cum ap. Liv. legamus 'In ultimam aciem submovent.' Sed consensus optimorum codicum me movet, et quod illud, quod recentiores edd. occupat, profectum sit ex conjectura magni Viri, non ex libris. Accedit et ratio hæc, quod Nero non submoverit Hannibalis exercitum in Bruttios, sed quod Hannibalem, cum se jam ante recepisset illuc, retineret et arceret a reliqua Italia, et impediret, ne cum Asdrubalis jungeret exercitu suas copias. *Græv. In ultimos I. angulos* habent Voss. 2. et 3. ceteri s. et o. e. ante Vinetum et Gruterum *in ultimo I. angulo:* quod cur non sit mutandum satis exposuit Grævius. Vult autem Florus, Annibalem tum in Bruttiis a Nerone observatum fuisse: nam hi sunt 'ultimus,' vel 'extremus angulus Italiæ,' ut paullo ante n. 46. et III. 20. 13. 'Circa Bruttium angulum clusi,' ubi vid. Freinsh. Liv. XXVI. 41. et XXVIII. 42. 'Extremus angulus agri Bruttii.' Sed Liv. XXVII. 40. et seqq. et ult. ostendit, Annibalem, antequam Nero in provinciam veniret, in Bruttiis fuisse, inde in Lucaniam se contulisse, ibique a Nerone victum ad Canusium in Apulia consedisse, ac denique post acceptum nuncium de clade fratris Bruttios repetiisse. Itaque tum quum Nero inscio Annibale egressus est castris, utrique stativa habebant in Apulia: quod etiam disertis verbis prodit Liv. XXVIII. 9.

In diversissimam partem et in ipsas nascentis Italiæ fauces] Lege ex libris: *id est, in ipsas nascentis Italiæ fauces.*

Paulo ante dixerat, 'ultimos Italiæ angulos.' Nunc diversissimam partem opponit, id est, 'nascentis Italiæ fauces.' Nec dubium quin hæc sit vera scriptura: cujus nisi auctores essent fidei non culpandæ libri, nec eam proponerem, nedum tueri vellem. Sic infra memini correxisse: *Senatus, id est, Pompeius.* Ubi vulgo: *Senatus, et Pompeius.* Salm. *Id est, in ipsas*] Ita recte Stadius, et probant Pall. tres: q. l. *et in ipsas:* perperam. *Grut.* Florus rem aliquantum exaggerat, quum mox scribit, 'omni, qua longissima Italia, solo interjacente.' Nam Livius quidem missus fuerat ad Asdrubalem ab Alpibus descendentem retinendum: sed hic omnium opinione citius in Italiam venerat, et jam in Umbriam usque processerat, ubi ei ad Senam castra opposita habebat Livius. Tamen non multo aliter ap. Liv. XXVIII. 9. vulgus in laudibus Neronis: 'Illum sex dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiæ.'

§. 52 *Castra conjunxerint*] Vide præter modo citatos egregie restitutum a Stewechio Frontinum, 1, 2. exemplo ultimo. *Freinsh.*

Conjunxerint] Uterque Pal. *coniunxerant.* Sequitur: *inopinantemque hostem.* Optimæ membranæ: *inopinanterque.* Si verum licet dicere, *inopinantem* vix Latinum censeo. Jord. veteres libri: *inopinatumque.* Glossæ, 'Inopinanter: ἀπροσδοκήτως.' Certe aut *inopinatum* scribendum, aut *inopinanter.* Salm. Salmasii sententiam firmat Gruterus auctoritate Palatinorum. *Freinsh. Inopinanterque* habent libri Vineti, Toll. Ryck. Fran. Duisb. et o. e. v. *Inopinantemque* Regg. et Voss. idque præferebat Tollius. 'Inopinans' quidem non ejiciendum est civitate Romana cum Salmasio: nam est apud Cæs. VI. B. G. 30. Liv. XXVII. 48. Justin. I. 10. II. 4. et alibi. Sed non est, cur recedatur a plerisque scriptis, et vett. edd. Idem Tollius mox pro *compresserint* substituebat *oppresserint*, quod etiam in exemplari suo scripserat N. Heinsius. Sed hoc nusquam scriptum, aut editum inveni. Et hæc interdum sine discrimine videntur poni. Phædr. IV. Fab. 1. 'Mus compressus occubuit neci.' Justin. V. 10. 'Ad quod' bellum 'comprimendum.' Sall. Jug. LXXII. 'Iram oppresserat.' Suet. Calig. XII. 'Fauces manu sua oppressit.' In his non minus recte adhiberi potuisset *comprimere;* ut in illis *opprimere.*

Difficile dictu est] Ryck. ignorat τὸ *est:* paullo ante idem codex *inopinanter*, non *inopinantem* quod vetustiores edd. tenent, tuetur. *Græv.*

§. 53 *Agnosco infelicitatem Carthaginis*] Liv. XXVII. fin. 'Agnoscere se fortunam Carthaginis fertur dixisse:' quod idem est, ac si dixisset, se intelligere, quid fata decrevissent de Carthagine: quemadmodum ap. Justin. XII. 15. 'Alexander indubitatam mortem sentiens, agnoscere se fatum domus majorum suorum ait: nam plerosque Æacidarum intra XXX. annum defunctos:' in quo simul consolatio quædam videtur inesse.

§. 54 *Magni æstimabat*] I. e. plurimum momenti ad debellandos hostes in eo futurum putabat, si bellum in Africam transferretur. Paullo aliter utitur phrasi 'magni æstimare,' quam vulgo Latini. Nam alioqui æque magni æstimandum erat, sive in Italia, sive in Africa hostis debellari, et ad pacem petendam adigi potuisset.

§. 55 *In Africam vindicare*] Ita o. s. ed. v. et Junt. Alii olim impressi, Camers, Stadius, et plerique recentiores, *in Africa*, quod etiam Græv. et Amst. sequuti sunt. Justin. XXXVII. 3. 'Facinus in auctores vindicavit.'

§. 56 *Dii boni*] 'Dii magni,' 'Dii boni,' et simpliciter 'Dii,' ubique obviæ sunt exclamationes admirantium et obtestantium. Terent. And. II.

2. 1. et Eun. II. 1, 19. Ach. Stat. ad Catull. Carm. LIII. et Heins. ad Ov. Ep. Leand. v. 102. De rebus, quas hic Florus tantum verbo tangit, copiosius agit Livius XXX. 5. 8. 11. et seqq.

Non a tertio lapide] Comparat Annibalis factum, idque longe postponit huic Corneliano. Ille enim Romam non propius, quam a tertio lapide, vidit (quamvis Plinius, 34, 6. 'intra muros' urbis 'hastam emisisse' dicat): hic autem 'ipsis' Carthaginis 'portis inhærebat,' ut de Regulo dixit Auctor, 2, 2, 21. qui locus me movet, ut præ illo quod sequitur, *portas obsidione quatiebat*, mihi placeat, *portas obsidio quatiebat:* quamvis nihil intersit quoad sensum. *Freinsh.*

§. 57 *Sic factum est*] Adde Frontin. 1, 3, 8. de Langaro, supplem. Curt. 1, 12, 14. de Agathocle, Justin. 22, 6. Vide Scipionis Orationem ap. Liv. 28, 43. *Idem.*

Incubantem Italiæ] Ryck. *incombentem Italiæ*, pro *incumbentem*. Græv. *Incubantem* dicit, pro, tam pertinaciter inhærentem, ut vix ulla vi inde abstrahi et avelli posset: translatione sumta ab avibus ova foventibus, Turneb. XXIV. Adv. 24. Livius XXX. 20. hoc dicit: 'Ex diutina possessione Italiæ est detractus.' Sæpe de his dicitur, qui per vim et injuriam res alienas tenent. Unde 'incubator' pro malæ fidei possessore, ac tyranno. Turneb. l. d. Serv. in Virg. I. Æn. 89. Jac. Gothofr. ad l. I. C. Th. de Fructib. et lit. exp. et Burm. ad Petron. c. LXXX. *Incumbentem* habent etiam Berol. apud Begerum, qui et sic edidit, Duisb. et v. e. Hæc etiam alibi sæpe permutantur. Vid. cl. Burm. ad Petron. c. LXXX. Similiter Tribonianum in l. 2. C. de Fructib. et lit. exp. pro eo, quod in d. l. I. C. Th. est, 'Qui post conventionem rei incubavit alienæ,' posuisse *incumbit* adnotat J. Gothofr. l. d.

§. 58 *Major dies*] I. e. nullo umquam die res major gesta est. 'Dies' pro rebus, quæ aliquo die fiunt. Vid. Gron. ad Justin. IX. 3. Vell. II. 86. de pugna Actiaca: 'Quid ille dies terrarum orbi præstiterit.'

Ducum maximi] Naz. Ryck. Reg. Q, Voss. et Jord. *ducum maximi duces.* Pall. Reg. F, Berol. Duisb. Fran. et v. e. *ducum clarissimi duces.* Flor. et Magl. *ducum clarissimi.* Utrum alterum horum e glossa sit, an Florus utrumque conjunxerit, non facile dictu est. Vir doctiss. in Animadv. ad Apul. Met. vol. IV. Obs. Misc. p. 139. utrumque pro glossa habet. Sed non temere rejecerim *duces:* quod retinendum etiam Idem, quem dixi, censet Vir doct. Liv. XXX. 30. ita: 'Non suæ modo ætatis maximi duces; sed omnis ante se memoriæ omnium gentium cuilibet regum imperatorumve pares.'

§. 59 *Steterunt diu*] Quæ hic scribuntur, lege ap. Liv. 30, 30. Plut. Scipione, Silium, lib. 17. *Cam.* Liv. l. d. 'Paullisper alter alterius conspectu admiratione mutua prope attoniti conticuere.' *Defigere* et *defigi* frequenter legas de his, qui admiratione, pavore, aliove quodam animi adfectu stupentes nihil proloqui possunt. Liv. III. 47. 'Primo stupor omnes cum admiratione rei tam atrocis defixit: silentium inde aliquamdiu tenuit.' Idem. v. 39. 'Pavore defixi primum steterunt velut ignari quid accidisset:' VI. 40. 'Quum præ indignitate rerum stupor, silentiumque inde ceteros Patrum defixisset.' Et VII. 10. 'Defixerat pavor cum admiratione Gallos.' Add. Val. Flac. IV. 226. VI. 534. et Sen. I. de Clem. 9. De ira Val. Flac. VII. 82. 'Et mœsta stabat defixus in ira.' De mœrore Liv. I. 29. 'Silentium triste, ac tacita mœstitia ita defixit omnium animos.' Val. Flac. VIII. 369. 'Visu mœret defixus acerbo.' Vid. Barth. ad Claudian. VI. Consul. Honorii vs.

257. Freinsh. in Ind. et Voss. VI. Inst. Orat. II. 3.

Signa cecinere] Manut. ad Sall. Jug. XCIX. putat, quum 'signa' dicuntur 'canere,' vocem 'signa' et nominandi et accusandi casu posse accipi. Illo modo, 'signa' esse tubas; quia tubæ militibus signa dant, et sic 'signa canunt,' idem esse, quod tubæ canunt. Nam tubæ, buccinæ, et alia hujus generis instrumenta etiam 'canere' et 'cantare' dicuntur. Hoc modo, 'Signa canunt' esse, Tubicines tubarum clangore spiritum excitant. Certum quidem est, in hoc genere loquendi 'signa' esse accusativum: idque patet e Sall. l. d. 'Tubicines simul omnes signa canere' jubet: hoc enim idem est, ac si dicatur: Jubet tubicines cantu dare signa. Idem casus est in Liv. IV. 31. 'Signum aliis dari receptui, aliis cani jubentibus.' Et in Cæs. III. Civ. 82. 'Classicumque apud eum cani jubet.' Eodemque modo, quum dicitur 'canere bellicum,' vel 'receptui,' supplendus est accusativus 'signum,' ut sit, canendo dare signum. An hæc ut accusandi, sic etiam nominandi casu accipi possint, mihi non plane liquet. Nam temere negare non velim. Vid. doctiss. Wopkens. in Obss. in Sall. Vol. VI. Tom. I. p. 311. Obss. Misc. cujus sententiam maxime juvat locus Statii XI. Theb. 409. 'Signa tacent.'

§. 60 *Nec melius instrui aciem*] Pugnam hanc, et aciei ultro citroque instructionem, præter Liv. Plutarch. Sil. lege ap. Frontin. 2, 3, 16. Latius Appian. in libro, qui Libycus inscribitur. *Cam.*

Hoc Scipio de Annibalis] Si licet a Viro magno dissentire, dicam equidem, nec ista, nec ultima hujus capitis verba, supposititia videri. Nam (hæc postrema præsertim) optime cohærent seqq. 'Post Carthaginem vinci neminem puduit.' *Freinsh.* Gruterum designat, qui putabat post 'pugnari' tantum genuina esse 'Sed tamen A. c. p. v. A. fuit.'

§. 61 *Cessit, præmiumque victoriæ*] V. E. *cessit: præmium victoriæ.* Non abhorret a genio Flori, et Perizonius putabat non desiderari copulam *que:* 'Cessit' est, victus est, victus discessit. Flor. I. 14. 'Quo tempore quis cessisse hostem mirabitur:' II. 2. 25. 'Quia Carthago non cesserat.' Et hoc cap. n. 33. 'Syracusæ aliquando cesserunt.' Nam non sequor Freinshemium, qui in Ind. 'cedere' in his exponit, obvenire. Et sic sæpe alii 'cedere' dicunt pro, vinci, victas manus dare, et inferiorem se fateri. Vid. supr. I. 14. 2.

Cap. 7 Ea quæ hoc capite continentur, scribunt Liv. libris 31, 32, 33, 34. Val. M. 4, 8, 5. et 5, 2, 6. Justin. lib. 29, et 30. Eutrop. 4. 1. Oros. 4, 20. Plut. Flaminio, cap. 3. &c. Sil. 15, 286. Gestum autem est bellum hoc, anno 551. ab urbe condita, secundum Eutropium. Orosius dicit anno 555. *Cam.*

§. 2 *Sed primi omnium Macedones*] Num ex *sed* sit faciendum *sic*, videamus: ita mihi videtur, adstipulante veteri scriptura, et postulante sententia: duabus enim ante lineis scribit, Africam statim Macedones sequutos esse. Recte igitur nunc, quasi repetens, ait, *sic primi omnium Macedones*, scilicet, cum quibus bellum, Africa devicta, aut pacata, Romani gesserint. Sequitur, *affectator quondam imperii populus: quondam* retineo, nec otiosum arbitror, imo maxime ἐνεργεῖ hoc loco: respicit ad tempora Philippi et Alexandri Macedonis, post quos, reges nulla imperia inveniuntur affectasse, ut qui multum a viribus et virtute majorum excidissent. *Salm. Quondam*] Hoc firmant Pall. o. vetus tamen ed. Gruteri vocem istam omittit: in cujus favorem allegari possit, quod infra, 2, 12, 2. hos ipsos Macedonas 'fortissimum populum' vocat. Justino quin etiam teste 29

3, 8. ‘ Philippus (hic) studio Alexandri æmulationis incensus (erat), promptusque in bella et industrius.’ Pro priori tamen opinione faciunt sequentia. *Freinsh.* Probo sententiam Salmasii et Freinsh. Plin. IV. H. N. 10. ‘ Macedonia inclita quondam terrarum imperio.’ Liv. XXXI. 1. de hoc bello : ‘ Magnitudine imperii, quo multam quondam Europæ, majorem partem Asiæ obtinuerant armis, prope nobilius ’ Punico. ‘ Imperium’ dicit pro summo orbis terrarum imperio, Monarchiam vulgo vocant. C. Nep. Eum. III. ‘ Semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperii potirentur.’ Flor. II. 17. 3. ‘ Imperium experiri.’ Et II. 6. 20. de Roma, ‘ Urbs imperatura.’ De imperio Macedonum Liv. XLV. 9.

Itaque quamvis] Explicationem hujus loci pete ex Grutero, Discursuum in Tac. septimo §. 4. *Freinsh.* Justin. XXIX. 3. ‘ Terrebat eos et vetus Macedonum virtus, et devicti Orientis gloria, et Philippus studio Alexandri æmulationis incensus, quem promtum in bella, industriumque cognoverant.’

§. 3 *Nomine amplius, quam exspectatione*] Hanc pridem vocem explodendam judicaveram, substituta meliore, quam extare in veteri editione, indicante magno Viro, cognoveram : nempe, *spectatione : exspectatione*, ut vulgo legitur, quid heic sonat? ‘ spectatio ’ est, consideratio, et respectus, ut dicat, amplius illud bellum nomine fuisse, propter nomen et memoriam olim virtutis Macedonum, quam consideratione, et respectu ipsius gentis, quæ illo tempore non multum laudata erat. *Exspectare*, pro *spectare*, scriptum, millies in veteribus libris animadverti. *Salm.* *Spectatione*] Ita scripsi volentibus trib. Pall. atque editis vetuste : nam seqq. *exspectatione :* alterum ipsum Latinum esse, ostendi alibi ad Senecæ Animadversiones. *Grut.* Ita ap. Plin. 37. 9. de pæderote gemma ; ‘ Est et suum genus exspectatione sua dignum :’ ubi Mss. *spectatione.* Freinsh. *Nomine amplius quam spectatione gentis fuit*] Egregie hunc locum restituit Salmasius, suffragante Ryckiano et Regio. Fama Macedonici belli major erat, quam rebus ipsis Macedones ostendebant ac experimentis. *Spectatio* est experimentum. Cic. Act. II. in Verr. ‘ Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, primum pro spectatione et collybo :’ hos est, probatione nummorum, essentne idonei et justi ponderis. Sic et ‘ spectatus ’ est, probatus : ‘ spectata virtus ’ multis documentis probata. Terent. And. ‘ Satis spectata erga te est amicitia mea.’ *Græv.* *Spectatione* etiam Toll. Duisb. Regg. Fran. Voss. 1. 2. et o. e. Add. rursus Salmasium ad Solin. p. 399. ubi emendatur locus Plinii, de quo hic Freinshemius. *Exspectare* et *spectare* sæpe permutari ostendunt Interpp. Justini ad XIII. 1. et Munkerus ad Hygin. Poët. Astron. I. 6. Sic, ut ex Brencmanno nostro intellexi, quod in libro Florent. l. 33. D. de Contrah. emt. legitur, ‘ Primum expecari oportet, quid acti sit,’ et in aliis scriptis *exspectari*, id in Edd. est *spectari :* et recte. Munckerus ad Hygin. l. d. etiam adnotat, esse, qui *exspectare* pro *spectare* Latio vindicare velint, interque eos Grut. et Freinshemium ad Flor. II. 7. quam recte autem, ipsis videndum esse. Non recte eos inspexit Munckerus : nam nihil dicunt, e quo intelligi possit hanc esse illorum sententiam. Ad ea, quæ Grævius scribit de spectatione pecuniæ, add. Bud. ad l. ult. D. de Pigner. act. et Hotom. ad Cic. III. in Verr. 78.

§. 4 *Causa cœpit*] Ryck. Reg. F, Toll. Duisb. Fran. Voss. 3. et v. e. *Causa belli cœpit.* De re vid. Liv. XXIII. 33. Florus confuse narrat his-

toriam hujus belli: adcuratius Stadius e Livio l. d. XXIV. 40. et XXIX. 12.

Athenis] Hoc fuit secundum bellum cum Philippo. Primum, quum decem ferme annos gestum fuisset, pace facta finitum fuerat A. U. 548. Liv. XXIX. 12. et XXXI. 1. Deinde finito bello Punico secundo, de integro bellum adversus Philippum susceptum est A. U. 553. quod contra leges pacis Carthaginiensibus adversus Scipionem milites et pecuniam in Africam miserat, et Atheniensium, aliorumque sociorum Romanorum agros vastaverat. Liv. XXX. 26. et XXXI. 1.

Ultra jus victoriæ, in templa] Consule scriptores juris bellici, Grotium, 3, 12, 6, et 7. et Gentilem, 2, 24. *Freinsh.* Add. orationem legatorum Atheniensium in concilio Ætolorum ap. Liv. XXXI. 30. Sed Florus non recte ita narrat, quasi Romani hac sævitia et crudelitate Philippi erga Athenienses impulsi bellum ei intulerint. Nam Philippus demum post bellum inchoatum, quum jam Consul Rom. cum exercitu in Græciam venisset, hanc vastitatem agro Attico intulit. Liv. XXXI. 25. et seq.

Tantis ferre supplicibus] Tam nobili populo supplicanti. Sen. Troad. vs. 313. 'Supplices nostri patris Hostesque eosdem novimus:' et 732. 'Jacet ante pedes non minor illo Supplice supplex.' *Ryck.*

§. 5 *Quippe jam gentium reges*] Clare testantur hoc Rhodii ap. Liv. 37, 54, 11. 'Omne genus humanum vestrum nomen (an *numen?*) imperiumque, juxta ac Deos immortales, jam pridem intuetur.' *Freinsh.* Cic. II. Off. 8. 'Regum, populorum, nationum portus erat et refugium Senatus.' Conjungit rursus in Orat. pro Domo XXXIII. 'Speciem dignitatemque P. R. quam Reges, quam nationes, quam gentes ultimæ pertimescunt.' Et Sall. in Epist. Mithrid. IV. Hist. 'Romanis cum nationibus, populis, Regibus cunctis una et ea vetus causa bellandi est.'

§. 6 *Lævino Consule*] Legend. videtur, *Læv. prætore*, ex Liv. 31, 3, 2. (et 24, 40.) Justin. 29, 4, 4. Item ex Floro hoc ipso cap. 'Manifestam,' inquit, 'victoriam nata in prætoria puppe laurus pollicebatur.' Hujus historiæ meminit Claud. Bel. Get. vs. 386. *Cam.* Claudianus tamen eo loco consulem vocat Lævinum. *Freinsh.* Quæ Florus hic scribit, ea pertinent ad primum bellum cum Philippo, quo Romani cognito fœdere Philippi et Annibalis A. U. 539. primum M. Valerium Lævinum, tum Proprætorem, cum classe Brundusium miserunt ad tuendam oram maritimam, et observandos motus Philippi, Liv. XXIV. 10. Unde deinde ab Epirotis adversus Philippum auxilio vocatus in Epirum trajecit, et per aliquot annos eamdem provinciam prorogato imperio habuit, Liv. ib. c. 40. et 44. XXV. 3. et XXVI. 1. usque ad A. U. 543. quo Consul factus Siciliam obtinuit, et deinceps sequentibus aliquot annis Proconsul in ea fuit, Idem XXVI. 22. 29. et 40. Itaque Lævinus neque 'Consul,' ut Florus dicit, neque 'Prætor,' ut Camers, rem adversus Philippum gessit: etsi qui pro Prætore rem gerit, recte 'Prætor' dici potest, quemadmodum etiam a Livio Lævinus vocatur.

Classe peragravit] Sic improprie de navibus etiam alii. Et Cato *naves ambulare* dicit c. I. de R. R. 'Aut mare, aut amnis, qua naves ambulent:' vid. Gell. X. 26. Popm. ad Caton. l. d. Barth. XVII. Adv. 9. XXIII. 2. et Heins. ad Petron. c. CXIX.

§. 7 *Africæ*] Annibal tamen adhuc in Italia erat, Africa nondum spoliata, et debellata, quum Lævinus illa gerebat. *Vinet.* Satis apparet, Florum existimasse, Lævinum finito bello Punico in Græciam adversus Phi-

lippum missum fuisse; quod omnino falsum est. Confundit et miscet res primo et secundo bello Macedonico gestas. 'Spolia præferebat' dicit, quia paullo ante classem triumphantem memoraverat. Nam 'præferre' est vox triumphorum, in quibus præda et spolia ab hostibus capta *ferri* et *præferri* dicuntur. Liv. XXXI. 49. 'Neque captivi ulli ante currum ducti, neque spolia prælata.' Idem XXXVII. 46. 'Prælata sunt in triumpho signa militaria CCXXX.' 'Manifesta' dici, quæ tam certa sunt, ut de iis dubitari non possit, ostendit cl. Burm. ad Petron. c. CXIV.

In prætoria puppe laurus] T. Livius paulo aliter refert, 32, 1, 7. Prætoriam puppem non intellige cum Camerte, præced. nota qua prætor vehitur, sed eam quam Græci ναυαρχίδα, hodie vocant 'Admiralem,' hoc est, qua dux vehitur, quisquis ille sit, et quemcunque magistratum gerat, ut 'prætorium' dicitur tabernaculum ducis, quod de regum etiam tabernaculis dicunt Curt. 5, 2, 7. et Justin. 2, 11, 15. Sic postea sub imperatoribus 'prætoriani milites,' et 'præfecti prætorio,' dicti: sed hoc satis liquet. De sinceritate scripturæ paullulum addubito, magisque propendeo, ut pronuntiem scribendum *prætoriæ* (scilicet navis) *puppe*: ut non modo navis, sed et locus ejus annotetur: et vero in puppi navis enatam laurum etiam Livius prodit. Laurum autem victoriæ gloriæque omen fuisse, quis ignorat? quale etiam Cæsari obtigit: 'Trallibus in templo Victoriæ sub Cæsaris statua palma enata,' ut referunt, Cæsar ipse de B. C. 3. 105. Dio, lib. 41. p. 205. et Obsequens, cap. 125. et quidem, ut hic addit (penes ipsum fides sit,) 'magnitudine matura.' Sic enim ibi legendum puto, non *mature*, ut editur; nam et sic Val. M. 1, 6, 12. 'justæ magnitudinis.' Adde Suet. Aug. 92, 3. Narrat etiam Plutarch. in Sympos. 5, 3. in prætoriæ Antigoni navis puppi sponte enatum esse apium, quo victores Isthmiorum solebant coronari. *Freinsh.* Livius refert in A. U. 554. Sulpicio bellum adversus Philippum gerente. Camertem recte refellit Freinshemius. Sic rursus 'Prætoria navis' infr. IV. 8. 5. add. Perizon. de Prætor. p. 29. Nec inelegans est *prætoriæ*, quod placet Freinshemio. Sed Florus fortassis more poëtarum 'puppem' pro navi ponit.

§. 8 *Rhodii nauticus populus*] Scribit Eusebius, Lib. Temporum, Rhodios sæpe maris imperium obtinuisse. Faciunt ad hoc, quæ scribit Gell. 7. 3. *Cam.* De Rhodiorum imperio maris vid. Selden. Mar. claus. I. 10. et Jac. Gothofred. in Dissert. de Imper. maris c. VIII. Ceterum Pighius ad Val. M. IV. 8. adnotans 'solatia' pro subsidiis dici, id confirmat auctoritate Flori; cujus verba, quia in vulgatis libris non habentur, hæc adjungit: *Aderant Rhodii, nauticus populus. Nam Rhodos opinatissima insula, et totius Asiæ insularum metropolis, cum pæne omnibus Cycladibus arma pertimescens Romano jam dudum se fœderatam populo illi conjunxerat, et navali bello solatia condonabat.* Adnotavit hoc etiam e libello Colomesii lingua Francica scripto, cui Titulus est, Bibliotheque choisie, Begerus, et omnia in contextum quasi genuina recepit. Colomesius quoque de hoc fragmento ita loquitur, ac si hæc a Floro scripta putet: et doctiss. Wass. ad Fragm. Hist. Veter. p. 248. item Thysius et Oiselius ad Gell. II. 3. in explicanda voce 'opinatus,' ita ea laudant, ut qui et ipsi hæc pro genuinis habeant. Mihi contra videntur profecta ab homine ne quidem Linguæ Latinæ satis perito. Nihil dicam de voce 'opinatus,' de qua Salm. ad Trebell. Poll. Trig. Tyr. c. VI. et Savaro ad Sidon. I. Ep. 5. nisi falli Barthium XX. Adv. 17. scribentem, Alciatum observasse

eam ap. Ennium legi pro celebri, laudatoque. Nam Alciatus ita e conjectura emendabat verba Ennii ap. Gell. XI. 4. et lege metri, ut putabat, postulante pro *opulenti*, reponebat *opinati*. Vid. Column. ad Enn. Fragm. Hecub. p. 382. et Jac. Gron. ad Gell. l. d. Nec quæram, quæ sit sententia in his, *Romano se jam dudum fœderatam populo illi conjunxerat*. Hoc unum mihi ostendi velim, quis unquam vel mediocris auctoritatis Scriptor Latinus dixerit, 'solatia condonare bello,' pro, auxilium et subsidium ferre. Sed, ne diutius morer Lectorem, est hic cento libro Pighii adsutus e Jord. de Reg. Success. p. 84. Ed. Vulcan. Jordanes ibi agens de regno Attali Romanis testamento relicto ita scribit: 'Quod pæne non ante Rom. Pop. adiit, nisi et suo labore vicina loca cepisset, id est, Lydiam, Cariam, Hellespontum, utramque Phrygiam.' Hinc subdit verba quæ tamquam Flori e libro suo refert Pighius; ac deinde addit: 'Cum quibus Servilius Proconsul directus, quasi piratico bello, obtinuit tamen Pamphyliam, Lyciam, Pisidiamque devicit, fecitque provincias.' Expellantur igitur hinc illa tam insulsa, et auctori suo relinquantur. In Jordane porro pro *Asiæ* perperam legitur *Adriæ*, pro *Romano* autem rectius *Romana*.

Quibus a mari Consul, a terris omnia equis] Pravissima hujus loci distinctio, quam jam pridem non meliorem factam miror: omnino distinguendum, *aderant Rhodii, nauticus populus, quibus a mari, consul a terris omnia equis virisque quatiebat:* aliquid tamen subintelligendum: quibus a mari omnia infestantibus et quatientibus, Consul a terris equis et viris omnia quatiebat et infestabat: qui Florum leget, videbit illum sæpe ita loqui. *Salm. Qui navibus a mari*] Puto licere subvenire bonis Auctoribus, etiam sine libris; quapropter hanc lectionem ausus sum restituere: naves enim viris equisque opponit, ut Consulem Rhodiis, terram mari: similis antithesis supra 2, 2, 4. Nec rarum est, duas voces in unam coalescere, extritis mediis literis. Et sunt eadem verba ap. Liv. 38, 32, 2. Adde eund. 29, 35, 6. *Freinsh. Qui navibus a mari*] Hæc lectio debetur ingenio Freinshemii, qui *navibus* sine librorum ope in contextum Flori intrusit, quod nimis temerarium est. Elegantius perplexum hunc locum sic constituit N. Heinsius: *aderant Rhodii nauticus populus: quibus a mari, consule a terris omnia equis virisque quatiente, bis victus rex, bis fugatus.* Omnes Mss. et ed. ante Freinshemianam: *quibus a mari.* Græv. Receperunt conjecturam Freinshemii Anna Fabri, et Grævius in Edit. an. 1680. Ea etsi non absurda est, tamen neque scripti neque editi ullius libri auctoritate confirmatur. Itaque vulgatam lectionem et distinctionem Salmasii retinendam putavi. Anna quidem scribit, ellipsin, quam Salmasius statuit, durissimam, et fortassis sine exemplo esse. Sed Is. Vossius tamen et distinctionem Salmasii, et eamdem ellipsin probabat: nam ita adnotaverat: '*quibus a mari, Consul a terris.* Sic distingue, et tum demum omnia plana: quibus a mari omnia quatientibus.' Nec durior est hæc ellipsis, quam in his Phædri III. Fab. 12. 'Ego .... Nec tibi prodesse, nec mihi quidquam potes.' Et Liv. XXX. 30. 'Quem modo castris inter Anienem atque Urbem vestram positis, ac jam prope scandentem mœnia Romæ, hic cernis .... ante mœnia prope obsessæ patriæ, quibus terrui vestram Urbem, ea pro mea deprecantem.' Ubi correctores post vocem 'Romæ' de suo addiderant *videras;* quod intelligi poterat ex sequente 'cernis.' Vid. ibi Gronov. Nec tantum eadem verba omittuntur, quæ ex sententia sequentium vel antecedentium suppleri possunt; sed

etiam plane diversa; ut in illo Livii XXXVI. 17. 'Condidit se intra rupes; ne ante fauces quidem saltus, ut quondam Lacedæmonios fama est, sed intra penitus retractis castris.' Ubi in priore parte supplendum est, positis: nam *retractis* ibi locum non habet. Similis est locus Suet. Aug. LVII. 'Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant: item Kalendis Januariis strenam in Capitolio etiam absenti,' scil. conferebant, ut in Inscriptionibus ibi a Casaub. et Torrentio laudatis: nam 'strenam absenti jaciebant' dici non potest. Ejusdem generis ex sententia Servii sunt hæc Virgilii III. Æn. 260. 'Cecidere animi, nec jam amplius armis, Sed votis precibusque jubent exposcere pacem.' Et XII. Æn. 435. 'Disce puer virtutem ex me verumque laborem, Fortunam ex aliis.' Amstelodami hic locus ita corruptus erat: *qui a mari navibus Consul, a terris o. e. v. q.*

§. 9 *Bis victus*] Ap. Polybium quoque XVII. 11. Legati Græcorum in Senatu dicunt, Philippum ante postremam pugnam cum Quintio bis, terra et mari, victum. Navale prælium memorat Id. XVI. 1. Terrestre illud designari arbitror, quum Flamininus Regem ad Aonum amnem angustiis, quas insederat, expulit, de quo Liv. XXXII. 11. et 12. Quæ sequuntur apud Florum de magnitudine vulnerum, ea ad velitationes inter Romanos et Macedonas primo anno belli factas pertinere apparet e Liv. XXXI. 33. et seqq. Interim rem suo more auget, dum Regem ante adventum Flaminini bis castris exutum scribit; quem solus Valerius Antias a P. Villio, cui Flamininus successit, semel victum et castris exutum prodidit. Liv. XXXII. 6.

Nec ullo Græculo ferro] Ita in omnibus ferme libris: et haud dubie rectum est: verum in quodam Jordanis antiquissimo Codice, *gracili* legitur pro *Græculo:* sed perperam, ut arbitror. Græci levioribus et brevioribus utebantur armis et telis: contra Macedones vastis clipeis et longis sarissis. Inde *Græculum ferrum* dicit, per contumeliam: nam et Græcos 'Græculos' ignominiose vocabant. *Salm.* Add. Burm. ad Petron. c. XLVI.

Ingentibus pilis] Vide omnino Lipsium de Mil. Romana, lib. 3. Dialogo 4. *Freinsh.* Liv. XXXI. 34. Macedones, 'qui hastis sagittisque, et rara lanceis vulnera facta vidissent, cum Græcis Illyriisque pugnare adsueti, posteaquam gladio Hispaniensi detruncata corpora brachiis abscissis, aut tota cervice desecta, divisa a corpore capita, patentiaque viscera, et fœditatem aliam vulnerum viderunt; adversus quæ tela, quosque viros pugnandum esset, pavidi vulgo cernebant.' Sed hæc ille de pugna inter duas alas equitum utrimque exploratum missas scribit, e qua Florus justum prælium inter totos exercitus facit: unde et pila, quæ proprium peditum telum erant, memorat, de quibus nihil est ap. Liv. Quod autem 'gladios non minores pilis' dicit, id de totius pili longitudine intelligi non potest: nam hoc paullo minus septem pedes longum erat; lamina gladii Hispaniensis, quo utebantur Romani, duos: sed vel cum Lipsio de latitudine laminæ, vel de longitudine ferri, quod in pilo duos circiter pedes ex hastili eminebat, accipiendum est.

Ultra mortem] Ita malui, quam ut edidit Vinetus, Jordanis libros sequutus, *morem;* tum quod illud *mortem* et defendant aliæ edd. (quæ tamen perperam *potebat*) et Pall. membranæ omnes, et imprimis ratio: de ea loquutionis elegantia, nos alibi in Opinionibus nostris. *Grut.* Lege quæ notavit iste doctorum, etiam doctissimorum confessione, princeps Ca-

saubonus, ad Pers. 6, 41. Cf. cum h. l. Livium, 31, 34, 4. *Freinsh.* Id est, majora erant, quam necesse esset ad mortem inferendam. *Ryck.* Sententia est, tanta fuisse vulnera, ut, etiamsi multo leviora fuissent, tamen ea mors fuisset secutura. *Ultra* sæpe de his dicitur, quæ majora sunt quam convenit, vel necesse est. Vell. II. 68. 'Ultra fortem temerarius.' Claud. I. in Eutrop. 262. 'Verbis ultra nequitiam fractis.' Quint. Decl. VII. 'Animus ultra hominem,' pro majore, aut patientiore, quam fert conditio naturæ humanæ. Contra *citra* de his, quæ minora sunt. Quintil. Declam. CCXLVI. 'Sæpe in scelere virtutis est nosse veneni modum .... ut stetur citra mortem,' i. e. ut eo dato mors non consequatur, ut minor illius vis sit, quam ut eo homo pereat. Vid. ibi Burm. et ad Ov. XIII. Met. 537. et Gron. ad Sen. Œd. 951. *Ultra mortem* recte habent o. s. et e. v. etsi Lipsius quoque III. de Mil. Rom. 4. malebat *ultra morem.* Ryck. Duisb. Fran. V. Ed. et Sab. perperam *petebant. Patere* de vulneribus Liv. XXXVIII. 21. 'Fœdiores patebant plagæ.' Et, 'Non tam pateutibus plagis moventur.'

§. 10 *Flaminino*] *Flaminio* est in o. s. et e. idque retinuerant Freinsh. Græv. Beger. et Amst. Mihi nulla religio fuit post Edit. Plantin. Stadii, et Ann. Fabri verum nomen reducere. Idem vitium in plerisque aliis Scriptoribus dudum emendarunt Viri docti. Vid. Pigh. ad A. U. 555. Bongars. ad Justin. XXX. 3. Sigon. ad Liv. XXII. 33. et Schott. ad Aur. Vict. c. LI.

Chaonum montes, Aoumque amnem] Egregie nomen hujus amnis restitutum ab optimo et doctiss. Vineto, cum prius in omnibus editis corruptum haberetur. *Aum* vetus lectio in optimo Nazariano, postea facili mutatione *a* in *d* mutavit: ex eo alter Palatinus *dum amnem* exhibet: ex quo postea *indum*, et *pindum*, et alia quæ nescio, fecere correctores. Jordanes *savum* in editis; in scriptis *saum:* sed male *s* adhæsit ex præcedentis vocis ultima syllaba. Ἀῶος etiam fluvius Cypri, et mons Aous apud Isidorum: perperam, si recte memini, scriptum est *Alous*, aut alio modo etiam corruptius. *Salm. Aoum*] Sicut Philip. Beroaldus repererat, ita scriptum hic reliquit, *Indum:* ceterum quisquis locum istum fœdius postea corrupit, Indum, puto, nullum in Europa esse audierat, sed in illo Europæ tractu, montem, fluvium, urbem, 'Pindum.' *Aoum* autem, non *Indum*, neque *Pindum*, existimavimus legendum. Primum enim T. Livius 32, 5, 10. et 32, 10, 1. unde hæc fuerunt excerpta, ita fluvium appellat, non procul Apollonia in mare Ionium exeuntem: ad quem Flaminio res primum cum Macedone fuit, non 'Pindum,' nec 'Indum.' Denique Jornandes, qui hæc transcripsit, uti monuimus, *Savum* hic habet. Cujus vocabuli primam literam *s* video ex fine præcedentis vocis, 'montes,' huc esse adjectam, ut *molientibus sedem* fuit supr. 1, 7, 8. pro *molientibus ædem*, posteaque *o* in *u* negligentia imperitiaque simili mutatam: ut *Aous*, *Savus* scilicet omnino esset: qui inf. 4, 2, 8. memorabitur. Quod autem Plutarchus in Flaminio cap. 4, et 5. 'Apsum' nuncupare videtur, quem Livius 'Aoum' ('Apsi' etiam meminit idem Livius 31, 27, 1. sed in rebus Sulpicii Galbæ, prioris anni consulis) item Georg. Agricola de Natura eorum quæ effluunt ex terra p. 129. hoc quid sit, ex Polybio, puto, cognosci posset, si extaret integer. Utriusque fluminis mentionem facit Strabo lib. 7. p. 219. facit et Ptolemæus lib. 4. Geogr. sed apud quem, sicut et in Strabonis Epitome, Λῶος sit, pro Ἀῶος, Λ pro A. *Vin.* Sic igitur etiam scribendum ap. Liv. lib. 33. nuper reperto, ubi c. 4. 'Accep-

tæ ad Aovum fluvium in angustiis cladi,' pro *ad Aoum fluvium*. Nominat etiam Polyb. apud Vales. τὸν λωὸν ποταμὸν in rebus Persei: nbi in Ms. Λωτόν· ubi forsan etiam hic fluvius intelligitur. *Freinsh.* Libri scripti et editi omnes in hac voce corrupti sunt: nam in iis varie legitur *Indum, Indium, Pindum, Nidum, Inoum.* Voss. 1. *Aum omnem.* Voss. 2. *dumque omnem*, ut Naz. Voss. 3. *Indum amnem.* Primus Vinetus, ni fallor, edidit *Aoum*, et sic emendarat Auditor Lipsii. In loco Polybii ap. Freinsh. qui est in Excerpt. Peiresc. p. 130. etiam Palmerius in Exercitationibus emendavit 'Αῶον. Idemque in Polyb. v. 110. pro Λώϊον, et in Plutarch. Flamin. pro Ἄψον, restituit 'Αῶον, et in Pausan. Messen. c. XXXIV. pro Λώῳ, 'Αώῳ. Ap. Cononem Narrat. XXX. itidem male Λῶος pro 'Αῶος scribi observavit ibi Th. Gale. In Livio l. d. liber scriptus habebat *Aunum*, non *Aovum*. *Aoum* autem rursus vocat Liv. XXXII. 21. 'Cur excessit faucibus Epiri claustrisque illis inexpugnabilibus super Aoum amnem?' Et XXXVIII. 49. 'Philippum non eodem modo super Aoum amnem juga tenentem montium T. Quintius dejecit?' Pro *Chaonum* quidam s. et v. e. *Achaonum*, alii *Acchaonum*, et *Athaonum*. In his *a* ab ultima litera vocis præcedentis ortum, ac deinde in quibusdam libris *ante* scriptum fuisse, indicio est, quod in Flor. legitur *ante*.

Per abrupta vadentem] Forte *cadentem*. Propert. 'Et cadit in patulos lympha Aniena specus.' 'Vadere' de fluvio poëtis ægre concesserim: quibus tamen *ire* fluvii dicuntur, nedum historicis. Melius Ryck. et Reg. *per abrupta vagantem:* paullo ante id. cod. pro *Chaonum montes* scribit *Acarnanum montem.* Non longe a fine capitis perperam omissa sunt a librariis hæc verba: *quo certavere plausu.* Græv. *Vagantem* etiam Florent. Et ita adscripserat Auditor Lipsii. *Ire* fluvios non soli poëtæ dicunt. Mela I. 9. de Nilo: 'Iterum iterumque divisus ad Deltæ acumen it.' Et I. 12. 'Amnesque inter eas eunt Lycos, et Paltos, et Orontes.' Add. Brœkh. ad Tibull. I. 10. 36. Et sic Græci etiam in prosa fluvios dicunt ἔρχεσθαι et χωρεῖν. 'In mare evadere' fluvios quidem dicunt Mela II. 2. et Curt. III. 4. 9. Sed et fluvios *vadere*, quod poëtis vix concedit Grævius, dicit Seneca IV. de Benef. 5. 'Flumina hæc amœnissimis flexibus campos cingentia, illa præbitura commerciis viam, vasto et navigabili cursu vadentia.' Nec dubito, quin etiam alii sic loquantur. Sed propter illa 'per abrupta' hoc loco tamen præferam *cadentem:* quod etiam cl. Burm. ad Val. Flac. III. 594. videtur probasse.

Id est, ipsa] Sic ausus sum reponere, ex ingenio quidem, sed juvantibus aliis locis doctorum virorum Mss. quæ pares corruptiones eadem medicina sanant. Vide supr. 2, 6, 51. et inf. 4, 2, 15. sed nemo, puto, dubitabit; nam planissima est sententia. Similis locus inf. 3, 3, 6. *Freinsh.* Add. Græv. ad II. 6. 15. Conjecturam Freinshemii receperunt Anna Fabri, Græv. Beger. et Amst. Non improbo eam; sed non volui discedere a libris, quorum in nullo sive scripto, sive edito, inveni *id est.* Aliis locis plerique scripti ita habent, ubi id cum ratione præferri potuit. 'Claustra' hac significatione sæpe dicit Florus: vid. Ind. Et Liv. XXXII. 21. XLII. 67. XLIV. 7. XLV. 11. aliique quamplurimi. Adi Heins. ad Vell. I. 3. et Brœkh. ad Propert. III. 7. 55.

§. 11 *Introisse victoria fuit*] Conf. quæ notamus inf. 4, 2, 63. vet. ed. nostra, *victoriæ:* non ita bene, nec male tamen. *Fr.*

Quos Cynocephalas vocant] Scribendum contendo, *Cynoscephalas:* Græce

enim Κυνὸς κεφαλαὶ illi tumuli vocantur. Stephanus meus, Κυνὸς κεφαλαὶ, λόφος τῆς Θεσσαλίας: erat et locus Thebis hoc nomine, unde quidam illum Lyrices principem ortum volunt. Stephanus, Ἦν δὲ καὶ χωρίον Θηβῶν, ἀφ' οὗ Πίνδαρος Δαϊφάντου παῖς Βοιώτιος ἐκ Κυνὸς κεφαλῶν μελῶν ποιητής: quem locum Vir doctiss. et diligentiss. Lilius Giraldus, in Vita Pindari vertens, male scribit, 'vicum Cynocephalorum:' non enim Κυνοκέφαλοι, sed Κυνὸς κεφαλαὶ, vicus ille appellabatur: debuit igitur dicere, 'vico Cynoscephalis.' Quinam populi sint, qui dicuntur κυνοκέφαλοι, notissimum est: quos ita describit Apollonius his versibus, qui, quia corruptissimi vulgo leguntur, et emendari debent, obiter ponam: Ἡμικύνων τ' ἐνόησα γένος περιώσιον ἀνδρῶν, Τοῖς ὤμων καθύπερθεν ἐϋστεφέων κύνιος κρὰς Τέτραφε γαμφηλῇσι περικρατέεσσιν ἐρυμνὸς, Τῶν μέν θ' ὥστε κυνῶν ὑλακὴ πέλει, οὐδέ τι τοίγε Ἄλλων ἀγνώσσουσι βροτῶν ὀνομάκλυτον αὐδήν. Elegantissimi hi versus, nec satis scio, ex quo Apollonii opere sumpti sint: nunc ad ordinem redeo. *Salm.* Vide Liv. 33, 1, 7. *Fr.* Omnes scripti (excepto Voss. 3. qui habet *Cenocephalas,*) et editi *Cynocephalas.* 'Cynoscephalæ' est in Liv. XXXIII. 7. 10. 16. et 17. quod hic sequutus sum cum Grævio. Giraldum in errorem inductum credo a Thoma Magistro, qui in Vita Pindari scribit, eum fuisse ἀπὸ κώμης Κυνοκεφάλων. Salmasius ad Solin. p. 707. rursus Apollonium facit auctorem horum versuum Græcorum de Cynoscephalis. Sed Interpretes Stephani ad v. Ἡμικύνες e Tzetze Chil. VII. c. 144. ostendunt auctorem eorum esse Simmiam Rhodium in Carmine, cui Titulus erat Ἀπόλλων.

Uno, ac ne hoc quidem justo, prælio] Eleganter in hunc sensum inf. 4, 2, 63. 'Uno (et ut sic dixerim) non toto prælio.' *Fr.* 'Non justum prælium' ideo, ut puto, dicit, quod quum neuter ducum eo die decrevisset dimicare, neque exercitus e castris educti, nec acies instructæ fuissent, primo certamen inter paucos contractum, ac deinde subsidiis utrimque missis paullatim auctum fuerat, ita ut ad extremum omnibus copiis dimicaretur. Polyb. XVII. 17. et Liv. XXXIII. 7. Mox Quintium 'Consulem' vocat Florus, qui Procos. erat, Liv. XXXII. 28. De rebus tum in Bœotia gestis Polyb. Excerpt. Legat. cap. VIII. Liv. XXXIII. 1. 27. et seqq. et in Eubœa Id. XXXII. 16, 17.

§. 12 *Lacedæmoniam*] Historiam habes ex Liv. 34, 26. &c. Justino 31, 3, 1. Eutrop. et Orosio, ubi supra. *Cum.* Non damno *Lacedæmoniam*, sed Florum scripsisse dico *Lacedæmona*, præeuntibus libris. Sic 2. 23. cap. 'Cum Xanthippum illis ducem Lacedæmon misisset.' *Salm.* *Lacedæmona*] Restitui quod erat in binis Pall. nec abibat tert. quam quod is, *Lacedæmonia:* editi *Lacedæmoniam.* Grut. *Lacedæmona* etiam Ryck. Regg. Flor. Magl. Voss. 1. 3. et edd. vett. excepta prima. *Lacedæmonia* Voss. 2. *Lacedæmoniam* ceteri s. et v. e. Dictys Cret. I. 5. 'Eademque, qua apud Lacedæmoniam, cupiditate.' Adnotat ibi Barthius, *Lacedæmoniam* esse ipsam urbem Spartam, seque nescire, an ullus Latinus Scriptor ita usurparit. Vindingius *Lacedæmonam* legit, et pro regione sumi dicit, ut eod. lib. c. 12. et 17. Sed omnibus his locis vulgo aliter editur, nec satis apertum est *Lacedæmonam*, ut Vindingius vocat, in iisdem semper poni pro Laconica. Certe c. 5. et c. 12. de urbe potius agitur, quam de regione. Vid. Wopkens. Adv. in Dictyn in Obs. Misc. Nov. Tom. II. p. 4. Pro *sub Nabide suo* Naz. Berol. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et v. e. prave *summa vi de suo.* Reg. Q, etiam corruptius, *summa vi servo.* Ryck. *sub Onabile suo.*

§. 13 *Græciæ veterem statum reddidit*] Quantum prosit ista victoribus clementia, prolixe ostendit Gruterus

Disc. ad Tac. 27. Grotius de J. P. et B. 3. 15. *Freinsh.* De libertate Græciæ reddita Polyb. in Exc. Legat. c. IX. et Liv. XXXIII. 32. Nescio unde in Amst. editionem venerit turpis error, *ne legibus viveret suis.*

§. 14 *Quæ gaudia*] Nec immerito: vide supr. 1, 9, 3. *Freinsh.*

Nemeæ] 'Nemea' silva, locus, urbs, ludi. Quatuor Græciæ certamina sacra fuerunt, quos illi ἀγῶνας dictitabant: *Nemea, Pythia, Isthmia, Olympia.* Quod ergo Auctor hic dicit factum in Nemeis, Livius, 33, 18. et 34, 40. et Plut. Flaminino, cap. 17. id dicunt factum in Isthmiis primum, deinde in Nemeis, et magis etiam in Isthmiis. *Vin.* Petavius in Rat. Temp. IV. 8. hic duplicem Flori errorem notat, primum, quod Græcis libertatem in Nemeis pronunciatam dicit: nam in his eam solis Argivis a Nabide oppressis pronunciatam fuisse; Isthmiis autem Græciæ: alterum, quod Nemea quinquennalia facit. Verum est Nemeis solis Argivis libertatem redditam fuisse, Isthmiis autem reliquis Græcis: ita enim de illis Liv. XXXIV. 41. de his XXXIII. 32. Polyb. l. d. Plut. in Flamin. et Appian. in Exc. Legation. c. XXIV. Sed Nemeæ agonem etiam Ausonius una cum aliis sacris certaminibus Græcorum quinquennalem facit in fine Eclogarii, quemadmodum Isthmium Plinius IV. H. N. 5. et Solin. c. XIII. Verum et Nemea et Isthmia triennalia fuisse docent Scaliger ad Euseb. Chron. p. 91. et 139. in Proleg. de Emend. Temp. p. 4. et Lib. I. p. 53. Schmidius in Proleg. ad Pindari Nem. Viuetus ad Anson. et Dodwellus de Cyclis Dissert. VI. et VII. 'Cecinisse' præconem in theatro dicit, pro, modulata voce tamquam canentem decretum hoc Senatus pronunciasse; quemadmodum comœdi, tragœdi, et declamatores pronunciantes dicuntur 'canere.' Vid. Græv. ad Cic. Off. I. 42.

Quid florum in consulem profuderunt] Vide omnino Polyb. Exc. Legat. 9, 5. et Appian. Hoc autem fieri solitum, honoris atque benevolentiæ causa, Diis hominibusque bene meritis. Diis, ut apud Capitolinum M. Antonino cap. 4. 'Coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus.' Hominibus, aut vivis et videntibus, ut h. l. et ap. Pausan. Messen. 'Aristomenem Andaniam reversum acceperunt matronæ, tænias in eum quacunque incederet, et ut anni ferebat tempestivitas, flores et fructus jacientes.' Adde Arrian. 3, 2, 28. et eund. de Reb. Ind. 6, 15. 7, 12. sic ap. Herodian. 4, 15. Alexandrini 'florum sparsionibus imperatorem [Caracallam] honorabant:' aut mortuis, idque in feretro, dum efferrentur, ut ap. Plin. 21, 3. cujus locum aliquanto meliorem quam accepi reddam: 'Florum quidem Pop. Rom. honorem Scipioni tantum habuit. Serapio cognominabatur, propter similitudinem suarii cujusdam negotiatoris. Obierat (male lectum hactenus *Ob id erat*) in Tribunatu plebei admodum gratus, dignusque Africanorum familia. Nec erat in bonis funeris impensa. Asses ergo contulit populus, ac funus elocavit, quaque proferebatur, flores e prospectu omni sparsit:' vel in sepulcris, quem ritum indicant plurimi omnium fere Poëtarum loci: quomodo et Augustus 'corpus Alexandri floribus aspersis veneratus est.' Suet. Aug. 18, 1. Sed ista luculenter explicat Kirchm. de funeribus Romanorum. Denique etiam imagines floribus sparsas legimus ap. Tac. 14, 61, 1. et H. 2. 55, 3. *Freinsh.* Add. Lips. ad Tac. XIV. A. 61. Casaub. ad Suet. Ner. XXV. et Freinsh. ad Curt. V. 1. 20.

§. 15 *Repetere illam vocem*] Ita Polybius, Plutarch. et Liv. l. d. 'Achaiam' nunc vocat, quam paullo ante 'Græciam.' Quomodo veteres his nominibus utantur ostendunt Manut.

ad Cic. IV. Ep. Fam. 12. et Salm. ad Solin. p. 100. et 568.

CAP. 8 Bellum adversus Antiochum Regem a Romanis gestum, scribunt Liv. lib. 34. et seqq. Justin. lib. 31. Appian. Syriaco. Val. M. 2, 5, 1. 3, 5, 1. 4, 1, 9. ext. 7, 3, 4. 8, 1, 1. in damnat. 9, 1, 4. ext. Gellius, 5, 5. Plutarchus, Scipione (et Cat. maj. cap. 22.) Auctor de Vir. Ill. cap. 34. Eutrop. 4. 1. Oros. 4, 20. Frontinus, 4, 7, 30. Quo gestum sit tempore, docet Eusebius Lib. Temp. *Cam.*

§. 1 *Macedoniam statim*] Videtur inserenda vox; *Mac. statim Syria*, &c. nam regnum regno, regem opponit regi. *Freinsh.*

Philippum Antiochus] L. Ampelius: *Per Paulum Consulem, Persen in Syria vicit regem Antiochum. Per Scipionem Æmil.* Legas *Per Paul. Consulem, Persen; in Syria vicit regem Antiochum per Scipionem. Per Æmil. &c.* Id.

Quodam casu, quasi industria] Nescio quomodo minus placet: an aliunde quid accessit, et Florus tantum scripsit, *quadam quasi industria:* supr. 1, 8, 1. 'Quadam fatorum industria;' inf. 4, 2, 61. 'Plane quasi de industria captante fortuna,' &c. Similis observatio in Justino, 11, 15, 2. Curt. 6, 1, 10. 8, 10, 42. Tac. H. 2, 1, 1. Adde Acidal. ad Curt. 9, 7, 2. *Id.* Non immerito doctiss. Freinshemio et ante eum Lipsio, cujus Auditor deleverat verba *quodam casu*, suspecta fuit hæc scriptura, in qua non multum bonæ sententiæ inest. Eam Magnus ille Joh. Fred. Gronov. egregia conjectura ita emendat ad Liv. XXX. 30. *quadam casum quasi industria sic adgubernante fortunæ.* Nam 'casum' veteres considerabant tamquam effectum fortunæ, quæ 'casus dare,' 'edere,' et 'adferre' dicitur. *Industriam fortunæ* autem sic dicit, ut I, 8. 'Industriam fatorum.' Adi ipsum Gronov. ad l. d. ad Tac. I. A. 12. et ad Justin. XXVII. 1. Schefferus putat meliorem reddi locum sublata distinctione post *excepit.*

Ultro se suggerentibus caussis] Hoc etiam felicitatis magnæ est, acquirere regna aliena justo titulo, et absque nostra invidia. Eadem sententia supra, 2, 2, 3. 'Sed ecce, ceu ultro ipsis viam pandentibus fatis, nec occasio defuit.' Senserunt hoc Romani, quantum interesset famæ, et per hanc potentiæ, iniqua bella non gerere. Quapropter etiam, quos invisissimos habebant, bello non petebant, nisi caussa oblata. Claret hoc loco Justini, 30, 3, 1. 'Grata legatio' (Alexandrinorum de Philippo querentium) 'Romanis fuit causam belli adversus Philippum quærentibus.' *Freinsh.*

Cum terrarum orbis situ] Hunc ordinem in describendo situ terrarum etiam Dionysius in Periegesi princ. sequitur; quod eum amore patriæ facere, Strabonem autem primam Europam, postremam Africam ponere, scribit Eustathius. Et sic Plin. procem. L. III. H. N. Sallust. Jug. XVII. 'In divisione Orbis terræ plerique in parte tertia Africam posuere.' Herodotus IV. 36. seqq. et Timæus ap. Polyb. in Exc. Peiresc. p. 59. Asiam primam, Africam secundam, Europam tertiam videntur fecisse. Non est operæ pretium adnotare, quæ hic conatur Schef. in Obs. Misc. Vol. IX. p. 322.

§. 2 *Non aliud formidolosius fama bellum fuit*] Cf. hæc cum superiori cap. n. 3. &c. *Freinsh.*

Xerxem] De terribili hujus apparatu lege Justinum, 2, 10. et seqq. Ceterum tria ista verba, *Xerxem atque Darium*, non injuria suspecta habeas glossæ: *Id.* Vulgata scriptura est in omnibus libris, nisi quod Ryck. habet *Xerxemque Darium.* Nullam satis probabilem causam invenio, cur tollendum sit *Xerxem:* reliqua ideo suspecta esse possunt, quod ea, quæ mox de montibus perfossis, et mari velis operto dicit, ad solum Xerxem pertinent. De adparatu Xerxis add.

Claudian. II. in Rufin. 119. seqq. et ibi Barth.

Perfossi] Autores historiæ sunt Solin. c. 14. Mela lib. 2. Herod. lib. VII. Cic. 2. de Finib. Virg. in Culice, ubi, 'Non perfossus Athos.' Juv. S. X. 'Velificatus Athos.' Justin. lib. 2. *Cam.*

§. 3 *Ad hoc cœlestes minæ*] *Ut hoc* ex Naz. libro: *ut* pro *in*, ut multis locis scriptum in illo Cod. deprehendi: libro IV. 'Totus ut monstrum illud desciscebat,' pro, in monstrum illud: sic hoc loco, *in hoc cœlestes minæ:* nihil moverim tamen: *at* pro *ad:* deinde *a* in *u:* ita corruptum *ut* pro *ad.* Salm. *Ut hoc* etiam Voss. 3. et Edd. B. S. P. *ad hæc* Berol. Duisb. Pal. 1. et v. e. vid. Burm. ad Ov. Met. VI. 459. inf. c. 18. n. 10.

Cœlestes minæ] Prodigia. Livius II. 42. 'Accessere ad ægras jam omnium mentes prodigia cœlestia, prope quotidianas in urbe agrisque ostentantia minas.' 'Dii minantes,' i. e. prodigiis adversa denuntiantes, Sen. Thyest. 704. Et 'Exta' et 'Signa minacia' sæpe apud alios. Vid. Briss. I. Form. p. 22.

Quum humore continuo Cumanus Apollo sudaret] Quod hic scribit Florus lege ap. Div. August. Civ. 3. 11. Cicero autem de Divin. lib. 2. docet hujus rei causam: sed locum assignasse sufficiat. Advertendum simile prodigium sæpe visum, ut ibidem August. annotat. Lege Euseb. in Præp. Evang. *Cam.* Meminit hujus prodigii Cicero de Divin. 1, 43. f. Aliis etiam temporibus sudasse simulacra annotatum est, ut ejusdem Apollinis Bello Sociali. Obsequens cap. 114. apud eum enim pro *Cujus in arce,* non dubitem legere *Cumis in arce.* Antonii, Albæ, ante bellum Actiacum, per multos dies, nec, cum abstergeretur, sudore cessante. Plut. Anton. cap. 78. Calypsus, sive alterius cujusdam heroinæ, Cumis, bello Augusti cum Sex. Pompeio. Dio lib. 48. prope a fine: qui naturali caussæ videtur id tribuere, quod etiam facit Plutarch. Coriolano cap. 57. Dei cujusdam Siculi, Adrani, sub adventum Timoleontis. Plut. Timol. cap. 17. Deorum aut heroum quorumcunque, ante Marsicum. Sisenna secundo Histor. Item Thebis, sub adventum Alexandr. Diod. 17, 10. Averni. Philargyrus ad Virg. G. 2, 162. Elisæ Carthagine. Silius 1, 98. Herculis Lacedæmone, ante Leuctricam calamitatem. Cic. de Divin. 1, 34. Martis Romæ, inrumpente Italiam Pœno. Liv. 22, 1, 12. iterum C. Antonio Cos. Obsequens cap. 122. Mercurii, Arretii, C. Valerio M. Herennio Coss. idem Obsequens cap. 111. Orphei ap. Libethra. Plutarch. Alexandro cap. 23. Victoriæ Capuæ. Cic. de Divin. 1, 43. 'Adferunt præterea, sæpe simulacra sudasse, aliquando gemitus edidisse, visaque etiam advertisse, et nictata esse.' Plut. Camillo c. 10. Sic etiam ante mortem Africani Minoris flevit Apollo per triduum continuum: si fides Dioni in Exc. Vales. p. 625. Sic apud nostratia simulacra ante duo tria secula adeo hæc omnia in consuetudinem venerant, ut prope sæpius quam homines flerent, riderent, loquerentur etiam et ambularent, aliaque peragerent opera, quæ nostri homines vix credere possunt. Idem Apollo Cumanus etiam lacrumasse legitur ap. Liv. 43, 13, 4. idque triduum ac tres noctes. *Freinsh.* De simulacris lacrymantibus Sen. Thyest. 702. 'Flevit in templis ebur,' et Virg. G. I. 480. Add. Bulenger. de Prodig. c. IV. et Broekh. ad Tibul. II. 5. 77.

Asiæ suæ] Quid sibi velit hic Florus intelligas ex Obsequente, cap. 87. 'Apollinis simulacrum lacrumavit per quatriduum: vates porteuderunt, Græciæ fore exitium, unde deductum esset.' *Freinsh.* Grævius in Præf. frigidam esse hanc sententiam judi-

caverat. Respondet Begerus, Deos dici amare suos, iisdemque timere. ‘ Cum’ igitur ‘ Apollo sudasset imminente Asiæ tanta bellorum mole, quidni [Florus] Ethnicus potuerit credere et scribere, eum Asiæ suæ timuisse?’ Florus non solum Apollinem Asiæ suæ timuisse scribit; sed ex eo timore sudorem illius statuæ ortum esse. Hoc omnino frigide et inepte scripsit, et, si credidit, stulte credidit; nec ullum alium prosæ scriptorem non ineptum ita loquutum credo. Saniora aliquanto sunt, quæ de simili prodigio vates, quamquam insanum genus hominum, respondent ap. Obsequent. l. d. et Augustin. III. de C. D. 11. ‘ Simulacri Apollinis fletum ideo prosperum esse Romanis, quoniam Cumæ colonia Græca esset, suisque terris, unde accitus esset, id est, ipsi Græciæ luctum et cladem Apollinem significasse plorantem.’

§. 4 *Sed in manus tam ignavi regis*] Quantum momenti sit in bono duce, testatur Noster inf. 2, 18, 11. ubi vide. De Antiochi vero moribus et indole vide judicium Polybii in Exc. Vales. p. 66. *Freinsh.*

Nihil speciosius, quam quod a Romanis victus est] Nam (quod alibi vetus Comicus Accius ait) ‘ trophæum ferre me a forti viro pulcrum est. Sin autem et vincar, vinci a tali nullum est probrum.’ Eodem redit istud Livii præf. 4. ‘ Si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit; nobilitate ac magnitudine eorum, qui nomini officient meo, me consoler.’ Hinc illud ap. Poëtas. Virg. 10. 829. ‘ Hoc tamen, infelix, miseram solabere mortem; Æneæ magni dextra cadis.’ Ov. Met. 12, 80. ‘ Quisquis es, o juvenis, dixit, solamen habeto Mortis, ab Æmonio quod sis jugulatus Achille.’ Stat. Th. 9, 556. ‘ Non inficiamur honorem Mortis, ait, refer huc oculos, ego vulneris auctor: Lætus abi multumque aliis jactantior umbris.’ Adde Justin. 5, 12, 8. *Freinsh.*

§. 5 *Inhonoratam*] De querelis Ætolorum, et Thoante Liv. l. XXXIII. c. 11. et seqq. c. 35. et 49. l. XXXV. c. 12. et Polyb. in Exc. Legat. c. VI. et IX. et de Annibale Liv. XXXIII. 45, et seqq. Pro *Macedones* reposui *Macedonas*, ut *Samnitas* I. 16. 1.

§. 6 *Consiliis ejus*] C. Nep. Annib. c. VIII.

Satis habuit bellum movere] Tac. H. 4, 69, 1. ‘ Sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cujusque periculo geri.’ *Freinsh.* Reg. Q, *Satis habuit sine Annibale bellum movere.* Nec displicet. Nam Florus iis, quæ Antiochus facere debuerat, opponit ea, quæ fecit. Debuerat uti consiliis Annibalis, eique vires tanti regni, et summam belli committere. Hoc non fecit, sed suis opibus, et nomine regio fretus, quasi ea satis valerent adversus Romanos, sine Annibale ejusque consiliis bellum movit. Cur autem suis potius, quam Annibalis consiliis bellum gesserit, exponunt Liv. XXXV, 42. et Justin. XXXI. 6.

§. 7 *Ad Romanos pertinebat*] Perizonius adscripserat: *Improbat Vorst. de Latin. merito susp.* c. XVI. Vorstius notat eos, qui ‘ pertinere’ dicunt pro, possidere; ut, ‘ Hoc ad me pertinet,’ pro, hoc meum est. Sed quum Florus deinde multa bella a Romanis in Europa diu post hoc tempus gesta memoret, per quæ magna pars Europæ in potestatem illorum venit, vox ‘ pertinere’ hic ita accipi non potest. Videtur igitur hoc velle, Romanos, utpote tota Europa potentissimos, et qui civitates Græcas a Regibus aliisque oppressas in libertatem vindicare vellent, ut quidem præ se ferebant, jure potuisse ‘ curare’ et ‘ animadvertere,’ ut Manlius ap. Liv. XXXVIII. 48. loquitur, quid Reges populique in Europa agerent, et utrum jure, an injuria sibi in ea aliquid vindicarent, atque adeo res Europæ ad curam

illorum pertinuisse. Sic 'pertinere' h. l. eadem significatione dicetur, qua ab aliis probatis Scriptoribus, qui *pertinere ad aliquem* dicunt, quod illius aliquam in partem interest, in quo versatur officium illius, et in quo propterea curam aliquam ponit. Liv. XXXIII. 39. 'Adventus *Antiochi in Asiam* nihil ad *Romanos* pertineus:' et c. 40. 'Asiam nihil ad Romanos pertinere.' Cæs. III. B. C. 107. 'Controversias Regum ad populum Romanum, et ad se, quod esset Consul, pertinere existimans.' Utrum autem ad Romanos jure hæc cura rerum Europæ pertinuerit, an opum suarum augendarum causa specioso prætextu civitates Græcas in libertatem vindicandi, sibi arbitrium controversiarum inter Reges et Civitates nihil ad ipsos pertinens adrogaverint, ea alia quæstio est.

Positam a majoribus suis, &c. repetebat] Quam ineptus hic sit belli titulus, tetigimus supra, 1, 2, 4. et latius exsequitur Gentilis, de Jure Belli, 1, 22. *Fr.* Lysimachiam a Lysimacho, qui inter Alexandri M. Duces fuit, conditam scribunt Steph. de Urbib. Pausan. Attic. 9. Justin. XVII. 1. et alii. Deinde Seleucus, Antiochi proavus, Lysimacho in acie cæso, Chersonesum Thraciam, in qua erat Lysimachia, occupaverat. Liv. XXXIII. 40. et XXXIV. 58. An autem Lysimachus inter majores Antiochi fuerit, non scio. Sed Antiochum illo titulo in repetenda possessione usum fuisse non invenio.

Hereditario jure reposcebat] *Repetebat*, in aliis. *Sal.* Est in Naz. Reg. Q, Voss. et edd. vett. præter primam. Florus non satis adcurate hæc narrat. Seleuco paullo post occupatam Chersonesum occiso, posteri illius Chersonesum neglexerant, et possessionem ejus amiserant: deinde Antiochus existimans ea, quæ jure belli Seleuci facta fuerant, suæ ditionis esse, trajectis in Europam copiis eam recuperaverat, et Lysimachiam dirutam instauraverat. Sed Romani eum nec in Europa quidquam possidere, nec urbes Græcas Asiæ in potestate habere volebant. Ita Liv. XXXIII. 38. et seq. XXXIV. 58. et XXXV. 16.

§. 8 *Hoc velut sidere*] I. e. hæc controversia concitavit bellum Asiaticum, ejusque causa fuit, quemadmodum tempestates ortu, vel occasu siderum quorundam, ut Arcturi, Hyadum, Pleiadum moventur. Vid. Schult. ad Sen. Suas. III. qui hoc rectius ad alia sidera refert, quam Freinshem. in Ind. ad Solem. Cic. pro Muren. XVII. 'Nam ut tempestates sæpe certo aliquo cœli signo commoventur .... sic in hac comitiorum tempestate populari sæpe intelligas, quo signo commota sit.' Add. infr. III. 21. 3.

Et maximus] Malim, *Sed maximus*. Fr.

Contentus fortiter indixisse bellum] Reduxi scripturam v. e., quomodo pridem etiam legendum conjecerat Lipsius, d. c. XIX. (Lib. II. Elector.) cum offendisset in Ms. suo, *conventus fortiter indixisse, &c.* Grut. Cf. cum hoc loco Tac. H. 4, 69. 1. *Freinsh.* Vitiosa scriptura *conventus* etiam in Naz. Pall. Ryck. Fran. Regg. et nonnullis vett. edd. est. Ald. Junt. et Vinet. quoque vitiosius, *conventus. Fortiter indicto bello quum.* De indictione belli nihil legitur ap. Liv. XXXV. fin. et XXXVI. princ. Paullo post Perizonius adscripserat conjecturam, *otia et lusus.* Sed omnes libri habent *luxus*, nec mutandum videtur.

§. 9 *Continenti adhærentem, &c. Euripus abscidit*] Inde Plin. 4, 12. 'Eubœa et ipsa avulsa Bœotiæ, tam modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur.' Talis Sicilia, de qua multa Justin. lib. 4. *Fr.*

Reciprocantibus aquis] 'Quorundam [æstuum] privata natura est, velut Tauromenitani Euripi sæpius, et in Eubœa septies die ac nocte recipro-

cantis.' Plin. 2, 97. *Idem.* Idem quod Plin. etiam Strabo et alii veteres de Euripo prodiderunt. Aliter Liv. XXVIII. 6. Vid. Tan. Fab. I. Ep. 14. et Wheler. in Itinerario.

Per hiemem rosis] Lucian. Nigrino, p. 42. *Τοὺς μέσου χειμῶνος ἐμπιπλαμένους ῥόδων, καὶ τὸ σπάνιον αὐτῶν καὶ παράκαιρον ἀγαπῶντας. Fr.* Romanorum in hac re luxum sæpe memorant Veteres, Martial. IV. 29. VI. 80. XIII. 127. Macrob. VII. Sat. 5. et alii ap. Torrent. ad Horat. I. Carm. 38. et ap. Livinei. ad Mamertini Paneg. Juliani c. XI.

Ne non aliquo ducem genere agere videretur] Simile dicterium huic est illud in Augustum, ap. Suet. cap. 70, 7. 'Postquam bis classe victus naves perdidit, Ut aliquando vincat, ludit assidue aleam.' *Fr.* Lipsius malebat: *ne non aliquo dux genere videretur.* Non aspernarer, si libri addicerent. Videtur enim ex 'genere' natum *agere*, librariorum culpa, ingratiis Flori: non quod *ducem agere* non sit Latinissimum, sed quod durus admodum sit et auribus valde gravis istarum vocum duarum concursus *genere agere.* Forte transpositæ sunt voces, ut Florus scripserit, *ne non aliquo genere ducem agere videretur:* sic sane vitabitur *κακοφωνία. Græv.* Tollius Fortuit. c. X. legit, *ne non aliqua ducem agere videretur:* ut ap. Virg. III. Ecl. 15. 'Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.' Begerus edidit quod placebat Lipsio. Ego nihil muto invitis libris. 'Aliquo genere' est, aliqua ratione, aliquo modo. Vid. I. 13. 4. Quæ hic scribit Florus, pertinent ad nuptias Antiochi cum virgine Chalcidensi, post quas omissa omnium rerum cura tempus in conviviis ac luxu traduxit. Appian. in Syriac. p. 96. Liv. XXXVI. 11. *Aliquo ducum genere* Naz. Ryck. Voss. 2. et Edd. B. S. P. eædemque *ne cum aliquo.* Deinde Naz. et Voss. 1. *dilectus.*

§. 10 *In insula aggressus*] Hæc non cohærent cum seqq. nam si Antiochus ad primum nuncium adventus Romanorum ab insula fugit, quo modo populus Rom. eum in insula adgressus est? Livius XXXVI. 15. et Appian. l. d. scribunt, Regem cum cognovisset urbes Thessaliæ ab Acilio receptas, Eubœa relicta Thermopylas occupasse. A Magl. absunt verba, *ab insula.* Ingrata est in tam paucis verbis iteratio vocis *insula:* sed historiæ magis convenit, ut tollantur præcedentia *in insula.* Pro *Acilio* liber Ryck. male *Attilio.* Est obvius error in libris veteribus. Vid. Jac. Gronov. ad Liv. XXX. 43. et Bongars. ad Justin. XXXI. 6.

§. 11 *Tum præcipitem*] Non dubito scribere, *Tum præcipitem:* ipsa postulante ratione et sententia. *Salm.* Ita v. e. et Pall. tres. *Grut.* Et alii libri scripti.

Apud Thermopylas] In hac narratione mendosus est Eutrop. 4, 3. 'Habuisse fertur armatorum sexaginta millia, e quibus quadraginta millia cæsa, plusquam quinque millia fugisse referuntur.' Non dubito excidisse vocem, et aliam mutatam esse, restituendumque: *plusquam quinque millia capta fuisse referuntur:* quis enim non videt, excerpta hæc ex Liv. 36, 19, 13. et quam absurda sit recepta lectio? *Fr.*

Ne ibi quidem fiducia loci] Sic de Critolao Pausanias in Achaicis, p. 424. 40. *Idem.* Et hic Florus abit a Livio et aliis. Nam Livius XXXVI. 17. et seqq. auctor est, Antiochum in Thermopylis vel maxime fiducia loci restitisse Romanis, sed magno prælio ab Acilio victum fuisse. Nec aliter Appian. in Syriac. p. 97. et Plutarch. in Cat. maj. Et memorat prælium Acilii cum Antiocho ad Thermopylas etiam Cic. de Senect. c. X. Errat igitur haud dubie Florus. Aliter errat Eusebius, cum Antiocho hoc bello unum tantum prælium, idque ad Thermopylas, factum putans. Vid. Scalig. ad Euseb. Chron. num. 1825.

Mox Noster in his, quæ de classe Regis et navali victoria Romanorum scribit, multa confundit non eodem tempore et a diversis gesta: quæ distinctius Liv. XXXVI. 41. et seqq. et XXXVII. 23. seqq.

Statim e vestigio itur in Syriam] Hoc bello Romanus exercitus non ingressus est Syriam; sed aut memoria Florum fefellit, aut scripsit, *Statim e vestigio itur in Asiam*, ut Lipsio visum. *Græv.* Et sic Ed. Plant. Recte quidem ex historia: sed de ea Florus sæpe parum sollicitus est. Itaque non ausim cum Begero in τὸ κείμενον inferre *in Asiam* contra omnes libros. Copula *et* abest a Berol. et Magl. iidemque, ut et Naz. Reg. F, Duisb. Fran. Voss. 1. 2. quidam libri Vineti, et v. e. habent *ex vestigio*.

§. 12 *Polyxenidæ*] *Polyxenidas* hic dicitur, ut 'Leonidas,' 'Palladas:' ita recte igitur *Polyxenidæ*, dandi casu. Nazarianus tamen *Polyxenidi:* cujus rectus casus esset Græcis, Πολυξενίδης, ut Λεωνίδης, Σιμωνίδης. Vide Priscian. lib. 3. Σιμωνίδα fere semper scribitur pro Σιμωνίδου. Sic Maro dixerat 'Belida Palamedis,' pro, Belidæ; ut annotat Carisius. *Salm.* *Polyxenidi* etiam Ryck. Berol. Duisb. et o. e. *Polyxeni* Regg. *In Syriam nam rex* Fran. omissis mediis.

Nec spectare poterat] Præ metu scilicet. Sed hoc vanum est: nam Antiochus tum Colophonem terra oppugnabat, ac demum victa classe sua obsidione illius abscessit. Liv. XXXVII. 26. et 31. Cuperus Exerc. I. de Elephantis cap. VII. Florum tuetur; sed magis conjecturis, quam firmis rationibus. 'Nec spectare,' pro, ne quidem spectare. Justin. III. 4. 'Itaque nec salutatis matribus proficiscuntur.' Et sic rursum XII. 16. et XXXVIII. 7. Et Florus I. 15. 3. et IV. 12. 15. Sic Is. Vossius etiam accipit hoc Catulli c. XLIV. 'Salve nec minimo puella naso.' Alii aliter, et rectius puto.

A remigantibus Rhodiis] Ex duabus vocibus unam faciendam censeo, *adremigantibus:* et distinguendum: *Igitur, duce Æmilio Regillo, adremigantibus Rhodiis, tota laceratur.* Libro primo: *adremigantem littori Romanorum vident classem.* Sic 'adgubernare' alibi dixit. *Salm.* *Adremigantibus*] Sic reposui, sequutus fidem codicis Naz. utique cum et Pal. 3. haberet divisis vocibus *ad remigantibus.* Grut. *Adremigantibus* etiam Toll. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. Reg. Q, E. V. et P. *arremigantibus* Reg. F. Florus rursum III. 9. In Ryck. post verba 'duce Æmilio' omnia intermedia usque ad 'Alcibiadem æquavimus' deerant: eodem errore scribentis, quem supra aliquoties animadverti.

§. 13 *Ne sibi placeant*] Ryckius adscripserat: 'Tumor poëticus.' Hæc merito non placuerunt Viro Doctissimo. Nam Florus certe componit multum inter se diversa. 'Placere sibi' dici eos, qui de se ac rebus suis magnifice sentiunt, iisque se efferunt atque insolescunt, docent interp. Juv. X. 42. et Petron. c. LXIV.

Themistoclem] V. e., immo et Pall. tres, *Alcibiadem:* non valet animus perpendere, utra melior lectio; nisi quod cæco appareat, *Themistoclem* magis proprie opponi Persarum regi Xerxi, quam *Alcibiadem.* Grut. In Voss. 1. et 2. puto esse *Themistoclem;* nam ex iis ad Ed. Flori, in qua hoc legitur, e. tert. adnotatum erat *Alcibiadem*, quod in o. aliis scr. et e. est.

Ephesiis Salamina pensavimus] Legend. *Epheso Salamina pensavimus:* hoc est: Pugna ad Ephesum æquavimus prælium Salaminium, sive laudem, quam in Salaminio prælio Græci sunt adepti. Non enim cum Ephesiis conflixerunt Romani, sed non longe ab Epheso ad Myonesum cum Antiochi classe. *Græv.* Tollius adnotarat, sic quoque in cod. suo emendasse virum doctum, sed ignotum, e Lipsio. Et ita in exemplari suo emen-

daverat Auditor Lipsii. Probo conjecturam, quam confirmat Voss. 2. in quo est *in Epheso;* sed non volui cum Begero mutare scripturam receptam. 'Pensare' recte et ex usu Scriptórum veterum interpretatur Grævius. Vid. Freinsh. in Ind. et Gronov. IV. Obs. 13. et ad Justin. V. 2.

§. 14 *Voluntaria legatione*] Amore fratris, utque ei provincia ista extra sortem daretur, ut refert Livius, 37, 1, 10. imitatus hac in re Fab. Maximum, Gurgitis patrem, qui eodem modo obtinuit, ne filius, qui male adversus Samnites pugnaverat, ab exercitu removeretur: ap. Epitomatorem Livii, libro 11. *Freinsh.* Forte melius distinguatur, *frater, ille modo victor Carthaginis, Africanus.*

§. 15 *Mæandrum ad amnem montemque Sipylum*] Fallitur Florus cum ad Mæandrum posuisse castra tradit Romanos: posuerunt illa ad Magnesiam, quæ ad Sipylum est, teste Liv. XXXVII. 37. Fraudi fuit Nostro, quod alia Magnesia fuerit ad Mæandrum, alia sub Sipylo, quas perperam pro una eademque urbe habuit. Hoc erudite cl. Virdungus observavit. Utraque Magnesia nota est tam in Geographorum veterum libris, quam ipsorum mappis. *Græv.*

Montemque Sipylum] Divi Nazarii liber: *montemque Sipylum et Spilum.* In quo frustra quis se torqueret? *Spilum* enim varia lectio est, sed mendosa, quam adposuit antiquarius more suo, ut nos aliis locis notavimus. *Salm. Considerat* Voss. 1. 2. sic in Liv. IX. 37. 7. ubi vid. cl. Drakenb.

§. 16 *Equitum, falcatorumque curruum, non minor numerus*] Cave intelligas ista verba, 'non minor numerus,' juxta proportionem, ut loquuntur, Arithmeticam; quæ enim hæc absurditas? sed ut ita capias, non minorem equitum curruumque vim adfuisse, quam multitudo pedestrium copiarum requireret. *Freinsh.* Appian. in Syriac. p. 107. scribit Regem habuisse 70. M. militum: Liv. XXXVII. 37. 70. M. peditum, equitum plus 12. M. Lipsium suspicatum fuisse numerum equitum excidisse, adnotatum erat ad Edit. Plant. 'Elephantos immensæ magnitudinis' designat Indicos, quos Rex habebat numero 54. quibus et magnitudine corporum et animorum longe inferiores sunt Africi. Africos autem 16. habebat Scipio. Liv. XXXVII. 39. et Appian. l. d.

§. 17 *Sed hæc omnia præpedita magnitudine sua*] Scilicet omnibus in rebus suus esse debet modus. Et bene Tiberius exercitum suum, 'cum eum majorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculis cerneret, dimittere statuit,' ut loquitur Vellei. 2, 113, 4. Sed et legimus, Panegyrico dicto Constantino, Constantii filio, cap. 5. 'Magnus Alexander, cum præter Macedonas suos, cunctæ Græciæ, universo Illyrico, innumerabilem dilectum posset indicere; nunquam majores quadraginta millium copias duxit; inhabile regenti ratus, quicquid excederet, et turbam potius, quam exercitum.' Verum de hisce talibus, plura disseruimus ad illa Taciti, 14, 36. 3. 'Etiam in multis legionibus, paucos esse, qui prælia profligarent.' *Grut.* Adde supr. 2, 2, 34. *Freinsh.*

Ad hoc imbre, qui subito superfusus] Nihil videtur turbidi esse in h. l. nisi animum advertas. Sed non pertinent hæc ad præcedentia, quo vulgo referuntur. Non enim omnia præpedita sunt imbre, ut magnitudine, sed imber tantum arcus corruperat cum manus consererent. Vide an non Flori ingenio melius omnia respondeant, si legas: *Sed hæc omnia præpedita magnitudine sua. Ad hoc imber, qui subito superfusus, mira felicitate Persicos arcus corruperat.* Levis autem est mutatio, duæ tantum litteræ transponuntur. *Græv.* Sed si ita legatur ac distinguatur, non cohærebit oratio. Certe pronomen *qui* tum locum habere non

potest. Begerus tamen conjecturam hanc recepit.

Mira facilitate Persicos arcus] Lego: *felicitate.* Non enim mirum, si imber subito superfusus arcum facile potuit corrumpere. Magis mirum deberet videri, si arcus ab imbre et madore vitiati non essent. Sed mira profecto felicitas illa Romanorum, pro quorum partibus cœlum stare videbatur, cum effusus imber hostium arcus inutiles reddidit. Libri sane veteres, Nazarianus, et Palatinus *felicitate* retineut. *Salm. Felicitate*] Sic omnes Mss. et nostri, et aliorum, nam editi *facilitate:* similia exempla ubi humor arcus fundasque et jaculorum amenta emolliit, victoriamque tradidit adversariis, posuimus libro Livii 36. cap. 41. *Grut.* Vide etiam Frontin. 4, 7, 30. et Eutrop. 4, 32. Item Leonis Tactica c. 18, 115. &c. 20, 115. *Freinsh. Facilitate* nusquam inveni nisi in e. v. et Beroald. Pro *Persicos arcus* Reg. Q habet *Parthicos.* Hoc quidem defendi potest: sed non est cur vulgatum mutetur.

§. 18 *Eo libentius, quod tam facile cessisset*] Ap. Justin. etiam, 1, 7, 6. 'Quanto bellum minoris periculi, tanto et mitior victoria fuit.' Liv. 28, 20, 10. 'Mitior ea victoria fuit; nec tantumdem noxæ admissum erat, et aliquantum iræ lenierat voluntaria deditio.' Add. Polyb. ap. Vales. p. 189. Liv. 45, 27, 2. Suppl. Curt. 1. 3, 14. Item Suet. in Vita Tiberii, ubi de Batone. *Freinsh.* Ademta est Antiocho Asia cis Taurum. Liv. XXXVII. 45. et 55. Appian. in Syriac. p. 112. Cic. pro Deiot. c. XIII.

CAP. 9 Hoc bellum describunt, Liv. lib. 38. Justin. lib. 32. Appian. Syriaco: Eutrop. 4, 1. Auctor de Vir. Ill. cap. 52. De Ætolia Plin. 4, 2. Strabo, lib. 10. *Cam.*

§. 1 *Syriaco bello*] Non temere reperi ullum veterem cod. in quo non frequentius *Syriaticum*, quam *Syriacum* scriptum occurreret. Ita scribi in Solini vetustis exemplaribus, ita in Isidori, ita denique in Flori libris semper visus sum animadvertere. Ut hoc loco, *Syriatico bello*, non *Syriaco*, legebatur. 'Εθνικὰ τοῦ Σύρος, Σύριος, Συριάτης. Inde Συριατικός. Nec horum tamen mentio in ἐθνικῶν Scriptore, ap. quem Θεοῦ διδόντος, περὶ τοῦ τῶν ἐθνικῶν ἤτοι τοπικῶν τύπου multis disputabimus. Sic 'Asiaticus' dicitur, ut 'Syriaticus.' *Salm. Syriaco bello successit, ut debebat, Ætolicum*] Reposui ex Ryck. et aliis veteribus libris, ut reponendum etiam vidit Salmasius: *Syriatico successit, ut debebat, Ætolicum:* pro *ut debebat* eædem membranæ, *et debebat*, quod et ipsum Salmasius in aliis reperit, nec rejiciendum putat. *Græv. Syriatico* etiam alii Mss. et e. v. et B. Ulpianus l. 15. D. de Testam. tut. 'Si tamen tutor detur rei Africanæ, vel rei Syriaticæ.' Similiter capitis superioris inscriptionem in quibusdam vett. libris esse, *de bello Syriatico*, ibi scripserat Salm. Add. Cap. II. n. 1.

Ut debebat] *Et debebat*, veteres quidam, non male. *Salm.*

Faces] Hoc est, auctores, de quibus supra, 2, 8, 5. Adde sup. 1, 19, 1. *Freinsh.* Vid. Indicem. Liv. XXI. 10. de Annibale: 'Furiam facemque hujus belli.'

§. 2 *Fulvio*] Cujus victoriam Q. Ennius, amicus ejus, insigni laude celebravit. *Cam.*

Caput gentis] Quanti momenti sit, initio belli, si fieri possit, occupare caput hostium, abunde docet Grut. ad Tac. Discurs. 8. §. 1. *Freinsh.* Ambracia proprie non erat Ætolorum, sed Urbs Epiri ad Arethontem fluvium, et sinum maris, qui ab ea Ambracius dicitur. Itaque et olim Pyrrhi, Regis Epiri, regia fuerat. Sed tum ipsa se corpori Ætolorum contribuerat. Liv. XXXVIII. 3.

Regiam Pyrrhi] Sic etiam vocatur a Polyb. in Excerpt. Legat. 28. 2. f. Διὰ τὸ γεγονέναι βασίλειον Πύῤῥου τὴν

Ἀμβρακίαν. *Fr.* Et a Liv. XXXVIII. 9.

§. 3 *Memineramus*] Quod rarum. Tac. vide, H. 4, 3, 3. *Freinsh.*

Auxilii] Contra Philippum præstiti, cui tantum tribuit Annibal, ap. Liv. 36, 7, 7. et ipse Livius, lib. 33. recens invento, ut ei victoriam Romanorum imputet. Sed et Julianus, de Cæsaribus, extollit Ætolos, eosque 'non sine ingenti discrimine' victos a Romanis asserit. *Idem.*

§. 4 *Omnemque late Cephaleniam, Zacynthon, et quicquid*] Contendo scribendum: *Serpsit tamen latius in proximos bellum: omnisque late Cephalenia, Zacynthos, et quicquid, &c.* Mentio horum est, en el Viaie de la tierra Santa, del Ceverio, cap. 5. *Passamos poi la Isla de Chefulonia, y fuimos a dar fondo a la Isla del Zante, que fue la antigua Zazinto del sagas Ulisses, muy fertil de azeyte, y vino, y esterie de pan y carne.* Freinsh. Non laudo Begerum, qui conjecturam Freinshemii in contextum admisit, quæ quidem non aspernanda est, quum manifestum sit hæc non cohærere, sed tamen non adjuvatur a libris. Quidam Editores distinctionem majorem posuerunt post 'Zacynthon:' sed ne sic quidem recte fluit oratio, nisi copula eidem voci præponatur. Schefferus improbat conjecturam Freinshemii, ut nimis abeuntem a scriptura vulgata. Ipse legit *fuerat*, et ordinem verborum facit: *scripsit bellum in Cephaleniam, et quicquid fuerat accessio.* Hæc neque mens Flori, nec ordo verborum est. Salmasius hic adnotarat *Cephallaniam* Pal.; sed *Cephaleniam* habent omnes libri Flori uno *l.* Et sic Mela et Plin. ap. Cellar. II. Geogr. Ant. 14. Sed Græci veteres semper geminata liquida scribebant Κεφαλληνία, et Κεφαλλὴν, gentile, teste Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 431. Cujus rei Idem in Homerum hanc rationem adfert, ut gentile Κεφαλλὴν distingui possit a κεφαλὴν, accusativo appellativi κεφαλή· quum alioqui nomen insulæ sit a Κέφαλος. Et sic in Liv. semper edidit Gronov. XXXVII. 13. 'Ad fretum Cephalleniæ tuendum,' et, 'Cum juventute Cephallenum.' Ibid. 50. 'In Cephalleniam insulam.' Et rursus XXXVIII. 9. et 28. ubi et Sigonium vide. Eamque scripturam e libris vetustis, et consuetudine Græcorum probat Manut. in Orthogr. Ryck. et Fran. in tertia syllaba habent *o.*

Cap. 10 Istris, quia maritimos populi Romani agros latrociniis infestassent, bellum indictum est anno 575. quo A. Manlius Vulso sine SCto profectus, ad lacum Timavi fontis castris, incursu Istrorum, magna cum militum trepidatione, exutus est. Istri, cum in Quæstorio omnium rerum apparatum viderent expositum, sese magna securitate ad epulandum convertunt: interim Romanus miles ex fuga collectus, vino epulisque sopitos invadit; ad S. M. Istrorum in castris sunt cæsa. Æpulo rex raptim a suis in equum impositus, Nesactium fuga elapsus est, quem insecuti Manlius et Junius Coss. oppidum vi capiunt: Rex, ne vivus in hostium potestatem veniret, sese gladio trajecit. Istria inde duorum adhuc oppidorum excidio pacata est: ita fere Livius, libro 41. ita ut, antequam C. Claudius Pulcer Cos. in provinciam cum imperio legitimo venisset, bellum ab istis Coss. confectum fuerit. Capitolini tamen triumphi cum Floro consentiunt, utpote qui C. Claudium Pulcrum de Istris triumphasse testentur, anno 576. Istria a Carnis, sive Occidente, oppido Tergeste; ab Ortu, Arsia amne; a Septemtrione, Alpibus, et Japudibus populis; Meridiem claudit Adriaticus sinus. Istam provinciam fuisse factam, anno 625. C. Sempronio Tuditano Cos., et cum Illyrico conjunctam, quousque Augustus illam, in decima regione rela-

tam, Italiæ cum Carnis et Venetis, testibus Strabone, lib. 5. p. 149. et lib. 7. p. 217. et Plinio, 3, 1. conjunxerit, observo. *Stad.* Variant in scriptura hujus vocis libri scripti et editi, *Histri*, *Istri*, *Hystri*, et Ryck. *HVstri.* Retinui quod in plerisque et hic, et 1. 18. 3. erat. Quod autem Florus scribit Ætolos ab Histris adjutos fuisse, id quærendum est, quo auctore dicat. Mihi non valde probabile videtur, eo quod nec Livius quidquam de ea re memorat, et quod hoc bellum decimo anno post Ætolicum gestum, et ab A. Manlio, cui Gallia provincia erat, Histris sine S. P. Q. R. jussu illatum est. Liv. XLI. princ.

§. 2 *Initia pugnæ prospera*] Addit particulam *et* Nazarianus, *et initia pugnæ:* quod etiam aliæ edd. retinebant: malim, *sed initia pugnæ prospera hosti fuerunt:* errori causam præbuit *set* veteri consuetudine scriptum, pro *sed.* Salm.

Initia pugnæ prospera, eademque exitii causa] Nam, verbis Livii, 21, 61, 2. ‘ ferme fit, ut secundæ res negligentiam creent.’ Ideoque sæpius accidit aliis, quod hic Istris, ut ap. Tac. H. 2, 15. Inde consilium Neoptolemi, ap. Justinum, 13, 8, 5. ‘ Læto ex victoria, et securo fuga sua, Eumeni superveniant.’ Quapropter non imprudenter disputat Appianus, Civil. 2. ‘ Clade Dyrrachina nihil accidisse rebus Cæsaris opportunius; propter eam enim,’ inquit, ‘ inflati Pompeiani, contra suum imperatorem pervicaces sunt redditi, et sine arte ad certamen ferebantur.’ Sic Plut. in Crasso, cap. 21. ‘ Hæc victoria, quod nimios spiritus fecisset fugitivis, perdidit Spartacum.’ *Freinsh.*

Gnæi Manlii] ‘ Mallii,’ an aliis? Græci Romanorum ‘ Manlium,’ Μάλλιον fere solent scribere. *Salm.* Hunc ita appellant etiam Julius Obsequens et Cassiodorus. ‘ Aulum’ pro ‘ Cnæo’ Livius l. XL. et XLI. veteraque marmora. *Vin.* Et horum auctoritate potius standum esse, recte censet Pighius in Annalib. ad A. U. 575.

Prædæ] Vid. Homer. Il. 15, 346. *Freinsh.* Justin. XXIV. 7. ‘ Galli vino, velut prædæ, incubantes.’ In Naz. Reg. F, Berol. Duisb. Voss. et v. e. *optimæque prædæ.* Sine dubio male.

Ubi essent, præ poculis nescientes] Hoc modo Scythæ etiam perierunt, ap. Justin. 1, 8, 7. et temporibus Longobardicis Franci, qui Pertharitum, a Grimoaldo pulsum, restituere satagebant, ap. Sigon. lib. 2. Regni Italici. Nempe, quod Juvenal. Sat. 15, 47. ait: ‘ Facilis victoria de madidis et Blæsis, atque mero titubantibus.’ *Freinsh.* Sen. Ep. LXXXIII. ‘ Non est animus in sua potestate ebrietate devinctus.’ Et mox: ‘ Adjice illam ignorationem sui.’ Polyphemus ap. Lucian. in Dial. Cyclopis et Neptuni: Καὶ οὐκ ἔτι ὅλως ἐν ἐμαυτῷ ἤμην. Sic de homine metu perturbato Terent. Phorm. v. 8. 3. ‘ Hiccine ut tibi respondeat? Qui hercle ubi sit nescit.’

Appius Pulcher] Errat haud dubie. Manlius cernens Histros neque Romanum exercitum persequi, neque stationem pro castris habere, ratus eos, id quod erat, præda occupatos esse, mox suis e fuga collectis castra recepit, Histrorum plerisque vino ac somno gravatis. Liv. XLI. 3. et 4. Deinde Anno seq. 576. C. Claudius Pulcher Cos. oppidis aliquot Histrorum captis eos in deditionem accepit, et de iis triumphavit. Liv. ibid. c. 11. et 13. Ita recte hic adnotarat Vinetus. Sed et qui Floro ‘ Appius Pulcher,’ is in Fastis, et ap. Livium ‘ C. Claudius Pulcher, App. F.’ dicitur. Vinetus perperam conjuncto utroque prænomine *Caium Appium Claudium Pulchrum* vocat.

§. 3 *Revomuere victoriam*] Sumsit e loco Virgilii, quem in Ind. retulit

Freinshemius. Et tamen sermo poëtæ simplicior est. Histri quoque non tam male pepererant victoriam et prædam, quam male utraque usi erant.

Ipse rex Apulo equo impositus] Dubitant docti, regis sit istud nomen, an mutari in aliud quid debeat. Lipsius *ab epulo* emendabat. Fuit quando putarem, Apulum equum dici, ex Apulia. De quibus Lucillius ap. Fest. 'Apulidæ pedibus stlembi.' Nunc vix ausim dubitare, quin *Apulo* sit Reguli illius nomen. Apulonis mentio in veteri inscriptione: CAMURIUS APULONI FECIT. *Apulo* igitur nomen proprium Reguli hujus, et sic malim scribere, quam 'Æpulo,' ut ap. Liv. legitur, ubi sic vocatur, lib. XLI. *Salm. Apulo*] Ita v. e. al. *Æpulo*. Lipsius d. cap. XIX. (Elector. Lib. II.) non vult hic ullum regis nomen positum a Floro, sed scripsisse, *ab epulo*, quod scilicet Claudius eum epulantem invasisset: defendi ego illud *Apulo* in Suspicionibus meis, quæ videantur, si cui tanti: certe illud *Apulo* constanter remanet in Pall. tribus, nisi quod tert. *Appulo*. Grut. Vet. ed. habet *Appulo*. Et sic etiam Reg. Q, Berol. et Duisb. In Inscriptione, quam e Grut. 864. 2. profert Salmasius, *Apuloni* pro *Apoloni*, i. e. Apollini, poni docet Reines. I. Var. Lect. 25. et hic retinendum putat *Æpulo*, quo nomine hunc Regulum Histrorum vocat Liv. XLI. 11. 'Apolo' pro, Apollo etiam est in Inscriptione ap. Vignol. p. 339. post Commentarium in Columnam Antonini Pii.

Quum subinde crapula, et capitis errore, lapsaret] Κραιπαλῶν, καὶ ἀλύων, καὶ γυῖα σαλευόμενος. Liber Naz. verbum *jactaret* interserit, in hunc modum; *quum subinde crapula, et capitis jactaret errore lapsaret*. Nec, qui possit retineri aut emendari, video, nisi legimus: *quum subinde crapula caput jactaret, et errore lapsaret:* vel, *et capitis jactatus errore lapsaret*. Proprium eorum qui crapula laborant, caput jactare et motare. Cui convenienter Grammatici veteres, κραιπάλην dictam aiunt, ἀπὸ τοῦ κάρα πάλλειν τοὺς μεθύοντας. Illa conjectura non leviter mihi placet. *Salm.* Locus vitiosus: nam Pal. 1. habuit a mann priore, *et capitis et jactaret, errore lapsaret*, superscriptumque deinde, *et capitis jactatus errore lapsaret:* an fuit? *cum subinde, e crapula, capitis jactatus errore lapsaret*. Grut. Salm. conjicit legend. *cum subinde crapula caput jactaret, et errore lapsaret:* proprium enim esse eorum, qui crapula laborant, caput jactare et motare: cui convenienter Grammatici veteres, κραιπάλην dictam aiunt ἀπὸ τοῦ κάρα πάλλειν τοὺς μεθύοντας. *Freinsh. Et capitis errore lapsaret*] Naz. *et capitis jactaret errore lapsaret*. 'Capitis error' quid sit Latinis nemo facile dixerit. Assentior N. Heinsii pulcherrimæ et certissimæ emendationi, qui legit secutus ductum vetustissimi codicis: *et capitis jactati fervore lapsaret*. Jactatum caput equitationis motu regem ebriosum reddebat, ut fit, magis ebrium. Tertia et secunda ante ultimam litteræ in *jactaret*, ex subsequenti *errore* natæ, sunt eradendæ, ut relinquatur *jactat*, cui *i* littera si subnectatur, quæ sæpe in Naz. solet omitti, habebis *jactati:* et hoc proprie dictum. Liv. XXI. cap. 48. 'Scipio nec vexationem vulneris in via jactati ultra patiens, et collegam ratus exspectandum:' sic lego e vestigiis Puteanei codicis, non *jactantis*, aut *jactanti*. Plura illic ad rem Gronovius, quæ videantur. Naso: 'Fessaque jactati corporis ossa dolent.' Lucan. 'Jactando membra fatigat.' Sicut 'jactari,' sic et 'fervor capitis' est proprium hac in re vocabulum. Horat. l. II. Sat. 1. v. 24. 'Saltat Milonius, ut semel icto Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.' Agit de homine ebrio. Nam quemadmo-

dum mare dicitur fervere cum æstuat, et nova musta cum fæcem exsudant, homines denique iracundi cum concitantur, nec satis sunt sui compotes, sic et qui se vino liberalius ingurgitarunt. Ov. ‘ Et fervet multo linguaque corque mero.’ Quomodo is frequenter. Juv. ‘ Cum stomachus domini fervet vinoque ciboque.’ Hæc debes patri elegantiarum Nicolao Heinsio. *Græv.* Alii scripti nihil mutant. In Voss. 3. tantum est *laxaret*, pro *lapsaret;* ut ap. Suet. Aug. LXXXVIII. *ixi* a legato consulari scriptum pro *ipsi.* Præfero aliorum conjecturis Heinsianam, etsi eam cum Begero recipiendam non existimavi. Ebriorum quidem est ‘ jactare caput;’ sed non scio eam jactationem ‘ errorem capitis ’ dici, quemadmodum ‘ errantes pedes,’ vel ‘ gradus ’ ebriorum sæpe dicuntur. Quod Keuchenius ad Seren. Samonic. p. 193. scribit *errorem* de morbo ac dolore dici, idque hoc loco Flori confirmat, plane ἀπροσδιόνυσον est. ‘ Subinde ’ pro, crebro, identidem, inter ea, quæ decrescente puritate Latini sermonis in usu esse cœperunt, refert Vossius Partit. Orator. IV. 1. 46. Nam ap. vetustiores id idem esse, quod ‘ deinde.’ Aliter Gifanius in Obs. in Ling. Lat. Livium et eo recentiores ‘ subinde ’ dicere pro, paullo post, mox: sed eam notionem Ciceroni et antiquioribus inusitatam videri. Certum est ‘ subinde ’ tam antiquioribus, quam junioribus scriptoribus esse ‘ mox,’ ‘ deinde;’ vid. Liv. V. 35. VIII. 27. XXX. 7. Recentiorum loca sunt in Lexicis, quibus add. Suet. Galb. X. ubi Bulengerus cap. I. de Prodig., et eo auctore Pitiscus, pro *subinde* perperam substituunt *sub id.* Hos eo quoque non minus sæpe uti pro, crebro, identidem, ostendunt Lexica e Velleio, Suet. et Tac. et e Sen. H. Stephanus II. Proodop. ad Sen. Lection. 9. Sed Vossius hunc usum non recte ad tempus decrescentis puritatis linguæ Latinæ rejicit. Duo loca Livii X. 17. et 27. in quibus manifesta est hæc significatio, observarunt Viri docti, qui librum Tursellini de Particulis ling. Lat. multis accessionibus egregie locupletarunt. Add. his tertium XXXV. 21. ‘ Prædæ minus inventum est, quod subinde spolia agrorum capta domos mittebant.’

Vix et ægre] Similia legas in Hist. Scot. Buchanani, p. 211. f. edit. in 8vo. *Freinsh.* Macrob. I. Saturn. 7. ‘ Horum alterum vix ægreque a vobis admissum audio.’ Vid. ibi Jac. Gronov. Hæc aliter a Liv. XLI. 4. et 11. referri præter Stadium etiam Vinetus adnotat, et Florum fortassis alios Auctores sequutum putat.

CAP. 11 Hoc bellum late scribit Liv. lib. 38. meminit Justin. lib. 23. Auctor de Vir. Ill. cap. 55. Val. M. 6, 1, 2. ext. Oros. 4, 20. Pauca Euseb. Lib. Temp. De origine, moribus, &c. Gallo-græcorum, lege Dionys. in 6. Faciunt huc, quæ scribit Justinus, lib. 24, et 25. *Cam.*

§. 1 *Syriaci belli ruina*] Et hoc loco *Syriatici* veteres agnoscunt. Vide quæ supra notamus. *Salm.* Ad cap. 9. hujus lib. Vid. et inf. ad cap. 12. n. 1.

Gallogræciam Syriaci belli ruina convolvit] Modus loquendi, inquit N. Heinsius, alias mihi non observatus, *ruina convolvit*, pro *involvit.* Excidit, ni faller, vocabulum: cujus duas priores syllabas vox ‘ belli,’ utpote sibi cognatas, abstulit, tertiam *co* in *convolvit.* Legendum igitur ei videtur: *Syriaci belli ruina illico involvit.* Reddendum Curtio quoque idem vocabulum libri IX. cap. 1. *in colloquium convocaverunt;* sic codex Modii, reliqui omnes constanter *conlocaverunt.* Opinor, *illico vocaverunt.* Paterculo a me restituta est, Tacito etiam Livioque non semel. Livii locus ille nunc succurrit lib. III. cap. 61. ‘ Quin illico congrederentur acie, inclinandamque

rem semel fortunæ darent.' Pessime *illi* hactenus circumfertur, sed et e proxime subsequenti 'congrederentur' duæ litteræ priores sunt iterandæ, prorsus ut peccabatur apud Florum. *Græv.* Repetit Heinsius conjecturam suam ad Vell. II. 28. Reg. Q, *involvit*, quod recte probant Viri doctiss. nam, quod vulgatur, plane insolens est. Obloquitur tamen Begerus, et *convolvit* efficacius esse dicit, quam *involvit:* nam 'quod ruina involvit, id non statim ea convolvi.' Significari igitur 'Gallogræciam belli Syriatici ruinam non tantum bello in se translato sensisse, sed et simul ruisse.' Hæc frivola sunt et inania. Etenim quum Florus I. 18. 1. scribit, bellum Tarentinum 'Campanos, Apulos, Lucanos, et Tarentinos una velnti ruina pariter involvit,' et III. 5. 21. Mithridates 'totum pæne Orientem ac Septemtrionem ruina sua involvit,' an hoc idem est, ac populi illi tantum senserunt bellum, neutiquam vero a Romanis victi ac subacti sunt, sed statum pristinæ libertatis obtinuerunt? Aut quum Virg. XII. Æn. 684. e quo loco intelligitur, unde sumta sit metaphora, quæ est in phrasi 'ruina involvi,' dicit: 'Montis saxum de vertice præceps, Quum ruit avolsum,....Silvas, armenta, virosque Involvens secum;' an quisquam putabit hoc esse: Homines, et pecora, in quæ saxum incidit, ruina illa non opprimuntur, sed tantum leviter eam sentiunt? Si ex aliis probatis Scriptoribus ostendi possit Latine dici, quod hic legitur, sententiam mutabo. Nam Virgilii locum Æn. II. 474. de serpente, 'Lubrica convolvit sublato pectore terga,' absurde huc trahit Begerus.

Fuerant inter auxilia] Ita nulla litera minus v. e. et Pal. 3. nisi quod distinctiones eis aliæ: et hanc puto verissimam scripturam: ut velit eis illatum bellum fuisse, quod auxilia tulissent Antiocho. Illud tamen, inquit Auctor, an prætextus fuerit tantum, an veritas ipsa, ambigitur: verum de eo loco nos quoque certiora in Suspicionibus. Pal. 1. expressit: *fuerant inter aux. regis Ant. an fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos visos simulaverit:* nec aliter Pal. 2. nisi quod is *cupidior.* Lipsius d. cap. XIX. alia distinctione et correctione sententiam ait expedire: *Fuerint inter auxilia regis Antiochi, an fuisse, cupidus triumphi Manlius, ac eos visos simulaverit, dubium.* Grut. Lipsii emendatio valde probabilis mihi videtur. De ejusmodi vincendi cupiditate vide inf. 3, 7, 1. *Freinsh.*

§. 2 *An fuissent, an visos eos simulaverit*] De sinceritate hujus lectionis nolim dubitare, quia tamen ab ea paulo in diversum abeunt veteris scripturæ vestigia, dubium excitabimus in re satis dubia. Hæc est lectio veterum, et inter eos Nazariani vetustissimi: *an fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos visos simularit, dubium est:* quæ stare non potest, si sententiam spectes. Nihil consultius mihi visum est, quam si scribas, pro *an eos visos, ac eos visos,* et ita legas, *an fuisset cupidus triumphi Manlius, ac eos visos simulaverit:* optima nunc sententiæ ratio est: præcedit, 'fuerant inter auxilia regis.' Hoc in dubium revocat, iis quæ sequuntur: An, inquit, triumphi cupiditas eo Manlium impulerit, ut iis attribueret quod fuissent in auxiliis Regis Antiochi, ac eos visos simulaverit, dubium: video quid possit opponi: nos veterem scripturam, qua licet, et qua possumus, tueri, satis tutum putamus: Pal. 2. *an fuisset cupidior triumphi Manlius.* Salm. Certissima est Justi Lipsii emendatio, quam non dubitavi Floro tanquam veram scripturam reddere. Pro *an cupidus* legendum quoque cum Salmasio *ac cupidus.* Sic igitur hic locus est constitutus: *Fuerint inter auxilia Regis Antiochi, an fuisse, ac cupidus triumphi*

Manlius eos visos simulaverit, dubium est. Sententia hæc plana est et indubia. Perperam omiserunt operæ τὸ *ac* in editione mea. *Græv.* Salmasius et Lips. *ac* ponunt ante 'eos,' non ante 'cupidus,' ut scribit Grævius, et incaute ediderunt Begerus et Amst. E Salmasii exemplari liquet Pall. in sola voce *cupidus* discrepasse a Naz. Hujus scriptura etiam est in Ryck. Flor. (sed in hoc *cupidus fuisset*) Voss. 2. et vett. edd. excepta 1. Ab iis in hoc tantum abeunt Magl. Voss. 1. 3. et Fran. quod in illo est *an fuisse cupidus*, in his *an fuissent cupidus.* Berol. Duisb. et v. e. habent, quod hic editum est. E Regiis nihil adnotatum erat ad Edit. Grævii, in qua sola, quod quidem sciam, legitur: *Fuerint inter auxilia regis Antiochi, an fuisse cupidus t. Manlius eos visos s.* N. Heinsius in ora libri sui scripserat, *Fuerint, fuisse*, et *invisos.* Videtur voluisse *Fuerint inter auxilia Regis Antiochi, an fuisse cupidus triumphi Manlius eos invisos simulaverit.* Sed *invisos* nusquam, nisi in Edd. Camertis, invenio. Tollius Fortuit. c. XXI. totum locum ita constituit: *Fuerant inter auxilia Regis Antiochi* (i. e. Ea belli causa prætexebatur: sicut præcedentibus quoque duobus capp. causa belli expressa est): *Fuerintne, an cupidus triumphi Manlius eos simulaverit:* quæ non possunt probari, utpote nimis ab omnibus libris recedentia. Lipsii conjecturam non immerito laudant Freinsh. et Grævius. Et sic etiam Is. Vossius emendarat, et Perizonius adscripserat recte ita emendasse Lipsium. Si quis tamen retinendum censeat *fuerant*, quod placet Salmasio, et est in omnibus scriptis editisque, quos memoravi, ea sententia, quam exponit Tollius, non magnopere refragabor. Conjecturam Lipsii post Grævium receperunt Beger. et Amst. nisi quod male, ut dixi, posuerunt *ac cupidus.* Mihi in tanta varietate visum fuit relinquere quod Gruterus et Freinsh. ediderunt, quos deinde etiam alii sequuti sunt.

Manlius] Adscribere libet optimi et clariss. Viri Jac. Bongarsii notam ad Justini Prol. 32. Miror, inquit, in Historia Miscella Pauli Diaconi, 4, 5. Fulvio hoc tribui, cum Fulvius, qui collega erat Manlii, pæne iisdem diebus cum Ætolis bellum gesserit, quibus Manlius cum Gallis. Plutarchus, de Virtut. Mul. cap. 43. Γναῖον vocat, quod Manlii prænomen est: Interpres nostras de Cnæo Scipione Plutarchum loqui arbitratus est. Hactenus Bongarsius. *Freinsh.*

Negatus est victori triumphus] Immo decretus, non tamen sine controversia; Liv. 38, 50. Negatus igitur est: non pernegatus. Quamquam sane Florum hoc sensisse, sequentia sunt indicio. *Id.* Senatus Manlio non ob eam causam videbatur negaturus triumphum, quod dubitaretur an Galli inter auxilia Antiochi fuissent; nam hoc diserte produnt Appian. in Syriac. p. 107. et Liv. XXXVII. 40. apud quem etiam Manlius XXXVIII. 48. testes ejus rei appellat Scipiones: sed quod iis injussu S. P. Q. R. bellum intulerat. Liv. ibid.

Non approbavit] Ita rursus v. e. sine dictione sequenti, *non approbavit Senatus:* approbat enim et is, qui causam ita aliis probat, ut eidem acquiescant, et ratam habeant: et vero illud *Senatus* in nullo visitur Palatinorum. *Grut.* Ryck. *caussam belli non approbavit Senatus*, sic et vett. edd. ante Gruterianam. Primus tamen Gruterus ex ed. perantiqua et codd. Palatinis *senatus* expunxit, cum vero id retineat optimus cod. Ryckianus, qui raro recedit a scriptione omnium antiquissimi Nazariani, et ratio quoque stabiliat, nam Senatus probabat caussas bellorum et triumphorum, aut improbabat, non video cur sit ea vox delenda. *Græv.* Tollius adnotarat, si quid mutandum, vel addendum sit, potius legendum esse *Senatui:*

sed melius subintelligi. Et hoc Perizonius prius in libro suo scripserat, additis locis Phædri IV. Fab. 24. 'Opus adprobavit.' Suet. Aug. XII. 'Quo magis pœnitentiam prioris sectæ adprobaret.' Et Flor. I. 18. 16. Deinde adposuerat; sed omittit V. E. et, ut videtur, etiam Naz. Omittit non solum Naz. verum etiam alii Pall. ut e Grut. et chirographo Salmasii constat, et ceteri omnes scripti, præter unum Ryck. cujus auctoritas non debet valere contra tot alios. Begerus et Amst. ex sententia Grævii et aliis Vett. Edd. revocaverant vocem *Senatus*, quæ mihi ex auctoritate librorum scriptorum et e. v. rursus removenda visa fuit. Est autem potius supplendum *Senatui*, ut similiter tertius casus ap. Phæd. et Suet. quam nominativus *Senatus*. Vid. Interpp. Phædri l. d. Rursus Suet. Aug. VIII. 'Adprobata cito etiam morum indole.'

§. 3 *Mixta, et adulteratæ reliquiæ*] Placet ut ita scribamus: *Ceterum, gens Gallogræcorum, sicut nomen indicio est, mixta et adulterata est: reliquiæ Gallorum, qui Brenno duce vastaverant Græciam:* mixtam et adulteratam gentem Gallogræcorum, et reliquias esse Gallorum, qui Brenno duce in Græciam venerant, dicit, plana sententia et lectione; nec neminem mihi assensurum spero. *Salm. Mixta, et adulteratæ reliquiæ*] Et hoc a veteri editione nostra; aliæ enim *mixta, et adulterata est: reliquiæ, &c.* quibus quidem accedit Pal. 1. at enim 2. ac 3. alteram tuentur; cujus bonitas magis appareret, si abjiceretur particula *et*. Grut. *Mixtæ et adulteratæ reliquiæ Gallorum*] Nolim hunc locum sollicitari a Viro summo: nihil edita lectione purius est et emendatius. Gallogræci, inquit, sunt reliquiæ Gallorum, qui sub Brenni ductu infestarunt et vastarunt Græciam, sed sunt reliquiæ mixtæ et adulteratæ, quibus multi Græci et Asiatici accesserunt, inde dicuntur Gallogræci. Non inficias tamen eo in Ryckiano scribi: *gens Gallogræcorum, sicut ipsum nomen indicio est, mista et adulterata: reliquiæ Gallorum, qui Brenno duce.* Sed vulgata non est damnanda: et eam probat etiam N. Heinsius. *Græv.* Non est hæc vulgata lectio, quam dicit Grævius. Nam omnes edd. vett. præter primam, item Stadii, Cam. et Vin. habent scripturam Nazariani, quæ etiam in Voss. 3. est, *mixta et adulterata est, reliquiæ Gallorum.* Primus Gruterus ex e. v. et duobus Pall. dedit, *mixta et adulteratæ reliquiæ*, quem mox Freinshemius, et alii sequuti sunt. Et ita Reg. F, Berol. Flor. Voss. 1. 2. Fran. et Duisb. Solus Magl. *mixtæ et adulteratæ reliquiæ.* Reg. Q, *mixta est et adulteratæ reliquiæ:* quod non displicet. Nec tamen in lectione Nazariani, quidquam est, quod magnopere improbari possit. Sed propter turbam librorum expressi quod Gruterus et Freinsh. probarant: etsi oratio mihi videtur postulare addi *est*.

Qui Brenno] Non aliter v. e. Sequentes, *quibus Brenno, &c.* quomodo et Pal. 2. Sed tert. stat a nostra scriptura. Naz. heic deficit, et annectit alia ex cap. 18. scribit, inquam, *reliquiæ Gallorum. Non temere, si fateri, &c.* quæ jactura sane dolenda est. *Grut.* De Brenno vero quod hic legitur, contra Justinum est, qui scribit, omnes Gallos, qui cum eo fuissent, internecione cæsos esse. Vide etiam Athenæum, 6, 6. in fine. *Fr.* Regg. *qui sub Brenno*, ut I. 1. 'Sub Ænea, sub Euandro duce.' Fran. quoque, *quibus Brenno*, fort. transpositis literis *bus* pro *sub*.

Mox Orientem sequuti] In altero Pal. *in Orientem sequuti*, perperam. *Salm.* Sic quoque Ryck. Berol. Duisb. et Fran. fortassis pro *inde*, ut *proīn, perīn*, pro *proinde, perinde*, alibi in iisdem libris scribitur. *In* etiam voluerunt scribæ Voss. 1. et 2. quo-

rum in illo est *morientem*, in hoc *moriente*. Potuit etiam conjunxisse Florus *mox inde*. *Sequi* pro, petere, proficisci, obvium est in veteribus. Virg. IV. Æn. 361. 'Italiam non sponte sequor.' Et ib. vs. 381. 'I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.' Vid. Gron. ad Sen. Ep. LXXVI. Græv. ad Cic. X. ad Att. ult. et Heins. ad Val. Flac. I. 66.

Sederunt] Tollius Fortuit. c. XXI. mavult *in media Asia consederunt*; ut in illo Virg. Æn. X. 780. 'Atque Itala consederat urbe.' *Consederant* habet etiam Reg. Q. Nec male; nam et usitatius est. Reliqua sine probabili causa mutantur.

§. 4 *Itaque, ut frugum semina*] De generatione seminum mutato solo notanter Livius, 38, 17, 11. Lege dictum Cyri, Persarum regis, apud Plut. in Apophth. cap. 3. (itemque Herod. in Calliope, et Xenophontem.) Lege quæ posui supra, 2, 4. 3. *Cam.* Plura in hunc sensum ne adjiciamus, vetat clariss. Gruteri Discurs. 45. in Tac. ubi pulcerrime more suo docet, 'Tales esse hominum mores, qualis est locorum situs, ubi degunt.' Adde supr. 2, 4, 2. *Freinsh.*

Asiatica amœnitate mollita est] Ryck. *in Asiatica amœnitate mollita est*; hoc est, in illis Asiæ regionibus amœnissimis: potest hæc lectio ferri. *Græv.* Liv. XXXVIII. 49. Hostem 'degenerem et emollitum amœnitate Asiæ.' Sall. Cat. XI. de Asia: 'Loca amœna, voluptaria, facile in otio feroces militum animos molliveraut.' Add. Liv. XXXVIII. 17.

§. 5 *Sub adventu*] Sic III. 6. 6. 'Sub ipso hostis recessu.' Liv. XXV. 24. 'Sub luce Hexapylo effracto urbem ingressus.' Et XLV. 10. 'Excesserunt urbe sub adventu Romanorum quidam.' Vid. Salm. ad Spart. Sever. c. XXIII. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 6. 6. et Burm. ad Vellei. II. 24.

Quos Tolostobogi, Tectosagique jam insederant] Multa habentur in edd. de quibus alias dubitare ineptum esset, nisi discrepantiam ostenderent antiqui libri. Ut hoc loco scripti omnes cum veteri editione concorditer scribunt: *Tolostobogiorum Tectosagi jam insederant*. Tres saue partes, sive *μοίρας τοῦ Γαλατικοῦ ἔθνους*, facere auctores scio, et unam partem, qui Τολοστοβῶγοι dicuntur, alteram Τεκτοσάγας, tertiam Τρόκμους, obtinere. At ex hac lectione videretur Florus Τεκτοσάγας inter Τολοστοβώγους reponere, ita ut in his comprehenderentur. An ita Auctor scripserit, et hoc, ut alia nonnulla, peccarit, nescio. Sed juvat potius inclinare in favorem antiqui Auctoris, eumque menda simul et culpa absolvere, scriptam lectionem ad hunc modum, quem ipsa præmonstrat, reformando: *Tolistobogi, Trocmi, Tectosagæ, jam insederant*. Pro *Tolistobogi, Trocmi*, imperiti librarii fecerunt, *Tolistobogiorum*. Salm. Mire hic turbant libri, quorum varietatem vide suo loco. Jordanei quidem, quorum lectionem Gruterus exhibuit, propius a vero sunt, illi enim: *Colesob egit Olympum tectos agimagubu insederant*. Totum locum ita constituo: *recepissent. Tolostobogii Olympum, Tectosagi Magaba insederant: utrimque. Magaba* enim sive *Magava*, quod idem est, literis istis sæpissime invicem mutantibus, nomen montis quem insederunt Tectosagi. Vide Livium 38, 19, 1. ubi male recentius impressi *Magana*. Freinsh. Scriptura V. E. hæc est, *solo stologiorum tecto sagatiani insederant*, non ea, quam dicit Salmasius. Nec multo aliter reliqui scripti et Edd. vett. quorum omnium varietatem referre non est operæ pretium. Vulgata lectio, si recte vidit Tollius, in Florent. et Magl. videtur fuisse. Sed suspicor illum hic dormitasse. Nam et omiserat adnotare *quos* abesse a Cod. Berol. et ex eo scripserat *Tolostobogiorum*, quum in hoc quoque, teste Begero, sit *Solostobogiorum*, et

quos itidem ut in Pall. ap. Salm. et Grut. in Ryck. Duisb. Fran. et Edd. Vett. præter Ald. desideretur. Jordaneorum librorum scripturam hanc exhibuit Vulcanius: *colonos abegit. Olympum tecti sago et magaba insederant.* Gruterus: *Colosobegit Olympum Tectosagi Magabæ insederant.* Freinshemii emendationem laudat, et divinam vocat J. Fr. Gronovius ad Liv. l. d. Eadem jam ante in mentem venerat Lipsio: nam plane sic quoque Auditor illius emendaverat, nisi quod pro *Magaba* posuerat *Maguna.* Sed hoc ignoravit haud dubie Freinshemius. Vulgatam primum ab Aldo profectam arbitror, qui multa in hoc scriptore pessime corrupit. Cur *Trocmos* tertium populum Gallorum non memoret Florus, de quo hic quærit Salmasius, probabilem hanc rationem e Liv. XXXVIII. 19. reddit Begerus, quod hi conjugibus ac liberis ap. Tectosagas depositis Tolistoboïis auxiliatum iverant. Sed tamen hoc tantum decrevisse Trocmos dicit Livius: e quo eos ap. Tectosagas mansisse intelligitur ex eod. lib. cap. 26.

Utrique fundis sagittisque acti] Lipsius conjiciebat: *utrimque fundis et sagittis detracti.* Ex Jornande pro *acti* reponit *detracti.* Sed N. Heinsius malebat: *Utique fundis sagittisque adacti:* et id verum videtur. *Græv.* Heinsii conjecturam expressit Begerus. Sed *acti* est in o. s. et e. et defendi potest. Virg. Æn. I. 190. 'Tum volgus, et omnem Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.' Et Æn. IV. 70. 'Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit Pastor agens telis.' Liv. XXXVIII. 46. de his pugnis ita: 'Fundis sagittisque in fugam consternati sunt.'

§. 6 *Alligati*] *Adligare* sæpe pro simplici ligare, vel obligare, poni ostendit Gron. ad Liv. V. 27. VII. 24. et ad Sen. Ep. XCIV. Colum. I. de R. R. 8. 'Num villicus aut alligaverit quempiam domino nescientc, aut revinxerit.'

Miraculo quodam fuere] Admirationi fuerunt, Schult. ad Sen. Controv. II. qui putat permutari casus, ut I. 1. 7. 'Assuetæ sanguine et præda aves.' Tollius adscripserat: Lege *quondam*, vel *quidem*, vel *quodammodo.* Sed Sall. Cat. II. 'aliquo negotio intentus,' pro, alicui. Lipsii auditor *quidam.* Apertum est cur existimaverint, vitiosum esse *quodam.* Vavassor tamen de Vi et Usu quorumd. Verbor. duo observat loca Ciceronis, in quibus verbo substantivo hoc modo posito ablativus adjungitur; v. Ep. ad Att. I. 'Multa prætereo, quæ tum mihi majore stomacho, quam ipsi Quinto, fuerunt:' et X. ad Att. ult. 'Me mirifice tranquillitates adhuc tenuerunt, atque majore impedimento fuerunt, quam custodiæ, quibus adservor.' Et sic in Manutii, Car. Stephani, et Plantini Edd. utroque loco legi dicit. Sed Malaspina ad priorem locum adnotat in veteribus libris esse *majori;* idque etiam ibi Gruterus, Græv. et Gron. at posteriore loco *majore*, ediderunt. Si vel uno loco ita recte scriptum est, etiam hic *quodam* ferri debet. Tamen magis placet conjectura Lipsii; ut non de omnibus in universum, sed de quibusdam ferocioribus hoc dicat Florus.

Quum catenas morsibus et ore tentassent] De feritate Gallorum, plenæ omnes historiæ, quæ res originem dedit proverbio, quo Plutarchus de Stoïcor. Repugn. cap. 52. utitur, ut 'facta Galatica' dicantur pro sævis et barbaris. *Freinsh.* 'Catenas morsu tentare' rursus inf. IV. 12. 17. Virg. II. G. 247. 'Et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror.' Phædr. IV. Fab. 7. 'Hæc quum tentaret, si qua res esset cibi, Limam momordit.'

Offocandas] Ryck. antiqua ratione scribendi *obfocandas.* Pal. 1. Voss. 3. et Ed. Parv. *effocandas.* Hoc fortassis

est a correctore, qui in Sen. de Brev. Vit. c. 11. legerat, *bonis suis effocantur:* pro quo Hermol. Barbarus in Glossem. Plin. v. *Præfocatio* videtur legisse *offocantur*, ut in h. l. Flori. Sed Borrich. Cogitat. de var. ling. Lat. Ætat. vulgatum ibi retinet. *Offocare* rara vox est. Sed et alia non minus rara e præp. *ob* et verbis composita reperiuntur, quorum nonnulla adnotavit Heins. ad Prudent. Peri Steph. Hymn. in Laurent. vs. 191. et Psychomach. 411.

§. 7 *Orgiagontis uxor*] Male scriptum, pro *Ortiagontis:* et hoc ex prisca scriptura, *Orciagontis*, *c* pro *t:* deinde etiam *c* in *g*, ut alias, degenerante. *Salm.* Historiæ meminerunt Val. M. 6, 1, 2. ext. Auctor de Vir. Ill. cap. 55. Livius autem, 38, 24. dicit, non evasisse custodiam, sed a centurione eductam ad duos necessarios mulieris, qui ad flumen eam spectabant: a quibus duobus centurio, aurum pensans, interfectus est. Idem sentit Valerius. (Ego autem eos Auctores a Nostro discrepare non puto, nam istis verbis, ‘ custodiam evasit,’ non dicit, eam evasisse inscio custode, sed hanc ipsam technam, quam, tanquam notam, longius recensere noluit, præsupponit. *Freinsh.*) Hæc ex Galatia oriunda fuit, Chiomara nomine, auctor Plutarchus de Virtut. Mul. cap. 43. *Cam. Ortiagontis* hic habebat sola Ald. quod rectum esse ostendunt Vinet. ad h. l. et Sigon. ad Liv. XXXVIII. 19. Ὀρτιάγων quoque Excerpt. Peiresc. e Polyb. p. 114. ubi Vales. etiam in Justini Prolog. L. XXXII. ‘ Ortiagontem’ dici observat. Pro *nam* in Ed. Plant. e Lipsii sententia, puto, scriptum erat *jam*. Sed Vid. supr. ad Præfat. Lib. I. n. 2. et Schult. ad Sen. II. Controv.

Cap. 12 Bellum Macedonicum secundum scribunt passim omnes. Livius, lib. 40. et seqq. Justin. lib. 33. Plut. Paullo Æmilio. Auctor de Vir. Ill. cap. 36. Appian. Mithridatico. Euseb. Lib. Temp. Val. M. 2, 1. 2, 2, 1. 4, 3, 8. 5, 1, 8. Eutrop. 4, 1. Oros. 4, 20. Meminit Plinius, 33, 3. et Gell. 7, 3. *Cam.*

§. 1 *Syriaci belli*] *Syriatici belli;* supra de hoc diximus. *Salm.* Sic quoque hoc loco plerique scripti, et V. E.

§. 2 *Suæ nobilitatis*] De vetustate et nobilitate Macedonum Solinus, cap. 14. Justin. lib. 7. Euseb. Lib. Temp. Dionys. lib. I. ab init. *Cam.* Quos autem spiritus faciat populis avita nobilitas, disce a Grut. quem citavimus sup. 2, 7, 14. et a Nostro supr. 2, 6, 3. *Freinsh.*

Et successerat] Copulam *et*, quæ abest ab Edd. Ald. Græv. et Amst. habent Pall. Ryck. Toll. Duisb. Fran. Voss. et aliæ Edd. *Perses* idem et ‘ Perseus’ ap. alios, et in Voss. I. et ‘ Persa.’ Vid. Gron. ad Liv. XLII. 25. et Heins. ad Vellei. I. 9.

Semel in perpetuum] Sic rursus III. 6, 7. ‘ Ille dispersam toto mari pestem semel et in perpetuum volens exstinguere.’ Hoc fortassis referendum est ad Synonymiam, cujus exempla et alibi ap. Florum sunt. I. 11. 5. ‘ Assidue et sine intermissione.’ II. 2. 6. ‘ Statim ac sine mora.’ II. 8. 12. ‘ Statim et e vestigio.’ Sed cl. Burmanno ad Quintil. I. Inst. Orat. 2. suspecta sunt illa *in perpetuum*, tamquam a mala manu. Et potuerant omitti, ut ap. alios probatos Scriptores.

§. 3 *In vires suas*] Justin. III. 2. ‘ Lacedæmonii communia quondam civitatium auxilia ad vires suas trahebant.’

Industriam Macedonum, &c.] Ita et Vineti editio, et nostra, quomodo et monuerat ex Ms. suo Lipsius, d. cap. XIX. Inepte recentiores: *industria Macedonum, viribus Thracum, disciplinam Macedonum temperavere:* neque

multo melius Pal. 3. retinet tamen lectionem meliorem Pal. 2. De simili re dixerat Auctor et supra, 1, 8, 4. ‘ Quid ille militiæ artifex Tullus, bellatoribus viris quam necessarius? ut acueret ratione virtutem:’ de hac mixtura artis ac virtutis, multa diximus in libris Livii. *Grut.*

Ferociam Thracum] ‘ Illud in confesso est,’ (verba sunt Justiniani, in pr. Novellæ XXVI.) ‘ quod si quis Thracum regionem nominet, statim una cum dicto virilitas quædam animum, et militarium copiarum, bellorum ac pugnæ cogitatio subeat. Sunt enim ista ingenita, et quasi patrio quodam jure huic regioni attributa.’ *Freinsh.*

Disciplina Macedonum, temperaverunt] Naz. liber, *disciplinam Macedonicam:* lege, *disciplina Macedonica temperarunt.* Salm. Idem ad Dedicat. Statuæ Regillæ v. 35. in Naz. ita scriptum esse prodit: *industria Macedonum, viribus Thracum, ferociam Thracum, disciplinam Macedonicam temperaverunt.* Et probat eam scripturam non tantum ibi, sed etiam in Adnotationibus Mss. ad hunc locum; ut tertium colon primo, et quartum secundo respondeat. Fran. habet vitiosam scripturam olim vulgatarum Edd. Ryck. quoque et Voss. 2. et 3. *industria*, et Voss. 2. *disciplinam;* sed altera est in aliis scriptis et v. e. Nec video, cur mutari debeat, in qua recte inter se respondent opposita. Vid. ad I. 8. Reg. Q, *temperaverant.* Ryck. *industria Macedonum tentaverunt*, omissis mediis: *tentaverunt* etiam Voss. 3. et *Macedoniam.* Ed. B. *temptaverunt.* Hinc apparet unde ortum sit *tentaverunt.*

§. 4 *Summo speculatus Hæmo*] Hæmus mons qui Thraciam a Mysia dividit, tantæ altitudinis esse putatur, ut ex ejus summo vertice Adria versus occasum, Euxinus versus ortum cernatur: ita enim Pomp. Mela lib. 2. et ap. Strabonem lib. 7. Polybius testatur: quod ideo non posse fieri Strabo contendit, quia ingens terræ tractus et montosus visum abrumpit: bene quidem et recte Strabo: quum namque per Mædicam Thraciæ Philippus cum Perseo ad Hæmum contenderit, ut ex conspectis locis de bello consultaret, quod Livius lib. 40, 22. narrat, non potuit longus esse prospectus: obstant enim versus Adriam Rhodope, Orbelus, Scardus, montes altissimi et perpetui. At ut nihil sit, quod visum impediat, cum Hæmus centum Germanicis milliaribus ab Adriatico in ortum distet, non attollitur ejus perpendiculum ad eam altitudinem, quæ devexitatem terreni globi tanto intervallo tribus milliaribus Germanis cum sextante intumescentem, despiceret: siquidem Plinius 4, 11. Hæmi altitudinem 6. M. passuum supputat: at in tanta specula opus erat 13. M. passuum altitudine. Ista paullo latius sum hoc loco prosecutus, ut lector benignus intelligeret, multam veritatis lucem, apud veteres ex tradentium auctoritate esse obscuratam, quæ Geometriæ beneficio illustretur: ita eadem erroris labe Aristoteles in Meteoris lib. I. cap. 13. de Caucaso contaminatur, et Plinius de Cassio Monte, et alii aliter. Quod ad hunc locum attinet, bene Florus consilium ab ipso Perseo institutum narrat, ut aditus obstrueret commodius Romanis, propter invios saltus et præruptos montes. *Stad.* Vid. quæ disputat Is. Vossius ad Pomp. Mel. II. 2.

Nisi a cœlo venturis] In eadem opinione erat Arimazes, qui altitudine petræ, quam occupaverat, fretus, interrogavit, ‘ an Alexander volare possit?’ Curt. 7, 11, 5. *Freinsh.* Idem ad Curt. l. d. hic delendam censet præpositionem *a.* Non magnopere requirerem eam, si abesset a vett. libris.

§. 5 *Nam Marcio Philippo Consule*] Videtur N. Heinsio scribendum: *Ta-*

men Marcio Philippo Consule. Græv. Probabat etiam Perizonius: et Begerus recepit, sed contra omnes libros.

Marcio] Male ap. L. Ampelium, 'Marco.' *Freinsh.*

Per Astrudem paludem] Hæc Astrudis palus, sive Astruda sit, ut alii volunt, mihi inaudita est, et omnibus Scriptoribus, si bene scio, indicta. *Astimidam, Astiundam, Astomdam:* his tot modis variatum habent libri: quarum scripturarum varietate bene perpensa, corrigendum putavi, *Bistonidam paludem,* vel *Bistonidem,* quod idem est. Hac lectione non longo intervallo relinquimus antiquæ vestigia. 'Bistonis palus' in illis tractibus notissima ex Scriptoribus. *Bistonidam* autem, ut, 'Elidam,' 'Persidam,' 'Leucadam,' 'Chalcidam,' et alia, quæ supr. notavimus. *Salm.* Livius 44, 2, et 3. 'Ascuridem:' quam Ortelius putat fuisse 'Lychnitum' lacum: hodie *Lago di Lochrida.* A qua sententia non abhorret iter Cos. sicut a Livio describitur, cum tabulis Geographicis collatum. Salmasius *Bistonidem* legi vult hoc loco, paludem in illis tractibus notissimam ex scriptoribus; cum præsertim ista lectio non longe discedat a libris. Valde dissentit L. Ampelius, qui 'Scyriam paludem' præfert. *Freinsh.* Corrupta sunt in hac voce omnia exemplaria. Salmasius e Nazar. cum quo consentiunt Berol. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et v. e., adnotarat *Astundam,* e Pal. 1. *Astimidiam,* e 2. *Astimidam.* In Ryck. est *Abstundeam,* in Voss. 3. *Astudeam,* Reg. F *Astimodem.* Flor. *Astmudam.* Reg. Q et Magl. *Astrudem.* Omnino legendum est *Ascurida,* quod etiam Heinsius libro suo adscripserat, additis locis Livii e Lib. XLIV. c. 2. et 3. vel cum Dionys. et Is. Vossiis *Ascuridem,* quæ terminatio est ap. Liv. l. d. Hinc, quum male scriptæ fuissent literæ *c, r, i, Astundam,* et *Astrudem* factum, et mox alia monstra lectionum enata sunt. Pro *per* Heinsius quoque malebat *propter,* vel *præter,* ut Liv. XLIV. 2. 'Præter Ascuridem paludem,' et ibid. 6. 'Præter Dium.'

Per acerbos dubiosque tumulos] De hoc quoque loco non possum non tecum communicare sententiam summi Viri et amici N. Heinsii. *Tumulos* istos *acerbos,* inquit, non concoquo, nec *tumulos dubios.* 'Ancipites montes' legisse memini, 'dubios' nunquam. Nimirum B et V in vetustiss. membranis frequenter confunduntur: id duplici errori caussam præbuit hic loci. Nam *debios* exaratum quum esset, fecerunt inde post *dubios,* cum *devios montes* debuissent. In altero vocabulo si transponis litteras habebis *abercos,* sive *abersos,* hoc est *aversos.* 'Aversi tumuli' a solita via aversi ac remoti, deviique, ut suis verbis Florum interpretemur. Sic 'aversam castrorum partem' non modo portam quæstoriam, quæ prætoriæ respectu erat aversa, et ab altera castrorum parte posita, ut Viri eruditi volunt, dixere veteres, sed etiam eam in castris partem, unde exitus non dabatur. Velleius II. 63. 'Per aversa castrorum proruto vallo.' Nam si porta illic erat quæstoria, quid opus erat 'prorui vallum,' ut exitus daretur? Aliud itaque 'aversi montes,' aliud 'adversi.' 'Aversi montes' ut dicebam, devii et a solito itinere remoti, 'adversi,' qui in via occurrunt transeundi, quasi oppositos dicas. Sic ap. Nasonem Amor. I. El. 9. 'Ibit in adversos montes duplicataque nimbo Flumina.' Dubitavi aliquando an et huc *aversi montes* essent revocandi; sed membranæ stant constanter pro scriptura vulgata, ut et in illis ap. Juv. Sat. V: 'Per montem adversum gelidasque cucurri Esquilias.' Esquilinus nimirum mons multa cum difficultate transcendendus erat Juvenali amicum suum adituro. Sed in illo Nasonis loco M. XIV. ubi Æneas cum

Sibylla ex inferis revertuntur, codd. nonnulli ex his, quibus usus sum, veram lectionem præferunt: 'Inde ferens lassos averso tramite passus.' Non *adverso*, etsi locum curis prioribus intactum prætermisi. Ubi *aversus* trames est aut via redux, aut infrequens, nec solita calcari, cum rari e vivis inferos accedant; quod posterius placuisse video Gronovio quondam nostro, qui adeundus ad Liv. XXII. 7. Noster III. 10. 'Per invios ad id tempus montium tumulos,' ut recte Salmasius: lib. II. 7. 'Invios Chaonum montes penetravimus:' Liv. XXIX. 7. 'Devii agri.' Et hæc quidem de loco pessime adfecto. Sequentia etiam fœde depravata sunt. Quo enim illa repetitio ejusdem verbi, *accessit his consilium ducis*, et dein *invia*, cum *devii tumuli* paullo ante præcesserint? Deinde Mss. *Astimidam*, *Astiundam*, *Asterudam*, quo designatur Græca inflexione paludem hanc esse enuntiandam *Ascurida*, sive tu cum Salmasio *Bistonida* malis. Sic supra 'Lacedæmona.' Nec aliter in Græcis solent Livius, Tac. alii ex historicis præstantioribus. Sic lib. IV. cum veteres libri habeant *ad gubernatorem amiclatem*, Salmasius *amiclantem* velit legi. Sed Florus si hoc nomen insertum voluisset historiæ suæ *Amyclas* nobis dedisset. At vero non dedit. Irrepsit enim id glossema e Lucano, qui de suo finxit id nomen, quod historicos posteriorum temporum decepit, ut verum et genuinum nomen esse crederent. Sic *Elide* lib. II. 16. idem Florus, quod non magis a Salmasio debuit tentari, quam in iis Nasonianis est tentandum Met. XIV. 'Nec adhuc spectasse per annos Quinquennem poterat Graia quater Elide pugnam.' Nec in lib. eod. cap. 2. *Eryce* manus a Salm. sunt admovendæ. Et lib. IV. 11. non *Leucadam* ferendum est, sed *Leucada* dixit Florus: nec in Græcis tantum, sed in Latinis quoque interdum id licere sibi voluerunt, ut meliores scripti in lib. I. 16. *Samnitas*. Sed ad rem: *Ascurida* ex Liv. XLIV. 3. legendum. Nam *Bistonidam* Salmasii longius abit a scriptis exemplaribus. Sed et *propter* vel *præter Ascurida* legendum, non enim per paludem, sed præter eam ductæ sunt copiæ. Totus locus sic in ordinem redigendus esse videtur: *Tamen Marcio Philippo Consule eam provinciam ingressus populus Romanus, exploratis diligenter accessibus, propter Ascurida paludem, per aversos deviosque tumulos, illa quæ volucribus quoque videbatur inaccessa, regem securum et nihil tale metuentem subita belli irruptione terruit.* Græv. Tollius Fortuit. c. X. conatus est defendere scripturam vulgatam. Scribit *acerbos tumulos* sic dici, ut 'acerbum vulnus,' 'acerbus ictus.' Non addit, quomodo intelligi velit ap. Florum *acerbos tumulos;* sed satis patet eum accepisse pro montibus, qui non nisi summo cum labore, molestia, ac difficultate superari possunt. Hæc mihi non placent. Notum est, de quibus proprie dicatur 'acerbus,' et ad quæ ea vox a propria significatione transferatur. Sed in his adtendendum est ad usum et consuetudinem Latine loquentium, id est, probatorum Scriptorum, qui hanc vocem numquam transtulerunt ad omnia, quæ quocumque modo molesta sunt. Certe 'acerbos tumulos,' vel 'montes,' ea significatione, quam hic statuit Tollius, usquam ap. eos, qui Latine loquuti sunt, inveniri non scio. Itaque hoc non sine causa suspectum fuit Heinsio et Grævio. Neque tamen illorum emendationem hic amplecti possum. Nam huic primum obstat, quod *aversi tumuli* iidem videntur esse, qui *devii*. Deinde, quod Florus potissimum vult indicare difficultatem ac periculum in superandis illis montibus: id enim ex eo intelligitur, quod loca illa 'etiam volucribus invia' fuisse dicit. Hoc autem non

declaratur eo, si dicat illos ab hoste *aversos* fuisse. Non enim si ab hoste *aversi* fuerunt, inde quoque omnino sequitur, summum periculum ac difficultatem in iis superandis fuisse. Pro *acerbos* conjeceram *asperos*. Liv. XLIV. 3. in hac historia: 'Adeo ardua, et aspera, et confragosa via fuit;' et c. 5. 'Quos et ipsos locorum asperitas hostiliter vexavit.' Idem XXV. 36. 'Nudus tumulus et asperi soli.' Et XXXVI. 25. 'In asperis locis silex sæpe impenetrabilis ferro occurrebat.' Sall. Cat. LIX. 'Rupes aspera,' et Jug. XCIV. 'Ubi paullo asperior adscensus erat.' Justin. XII. 7. 'Saxum miræ asperitatis et altitudinis.' Suet. Tib. LIX. 'Quod is a tergo insulæ per aspera ac devia erepsisset ad se.' Confirmatus sum in ea sententia, quod deinde vidi Perizonium ad vocem *acerbos* adscripsisse, *aspera*, e Liv. XLIV. 3. *Dubios tumulos* melius defendit Tollius e Propert. IV. 4. 81. 'Mons erat adsccnsu dubius,' et Sall. Jug. XCIV. 'Quæ dubia nisui videbantur, potissimum tentare:' in quibus *dubius* dicitur pro difficili ac periculoso; qualis est adscensus descensusque rupium, saxis, quæ manibus adprehenduntur, in hos, qui ea prehenderant, recidentibus, vel pede imposito vestigium fallentibus; cujusmodi loca 'non stabilia ad insistendum' recte dicas e Liv. XLIV. 5. Sed borum tamen paullo alia ratio est. Nam quum 'mons adscensu dubius,' et 'loca,' vel 'saxa dubia nisui' dicuntur, ex iis, quæ adponuntur voci 'dubius,' facile intelligitur, quæ sit sententia. At hoc loco, quum ea vox sola ponatur, nulla alia adjecta, qua illius significatio quodammodo definiatur, non perinde facile quisquam intelligat, qui sint *dubii tumuli*. Præfero igitur emendationem Heinsii *devios tumulos*, quam adscriptis compluribus e Livio locis confirmaverat. Lib. XXII. c. 14. et XXXV. 30. 'Deviæ calles:' XXXIV. 16. 'Devii montani:' XXXIV. 20. 'Devia et silvestris gens:' et XL. 17. 'Devii saltus.' Add. his Liv. XXV. 32. 'Avii saltus montesque:' XXXIII. 37. 'Deviæ silvæ.' Curt. V. 6. et VI. 11. 'Devii montes,' et Suet. l. d. Clar. Withofius in Specim. Gunther. p. 79. veram scripturam Flori esse contendit *per aërios dubiosque tumulos: aërios tumulos* epitheto Poëtis, ac proinde Flori genio, congruente, esse adeo altos ac sublimes, ut volucribus prope invii essent: et ex eo, quod Florus junctim dicit *aërios dubiosque tumulos*, facile videri notionem vocis *dubios* hoc loco; scilicet ut similiter ad altitudinem, et visum oculorum inde caligantium referatur. Hanc emendationem tam certam esse sibi persuadet V. C., ut, qui de ea dubitet, quam longissime a vera mente Flori aberret. Fortassis ab ea aberro dubitando, sed tamen duas præcipue causas dubitandi mihi habere videor: primam, quod in hac emendatione non liquido ostenditur, 'dubius' ap. Lucan. et alios esse, altus, et ad visum oculorum ex altitudine caligantium referri; montes enim, etsi non admodum alti, tamen etiam possunt dici 'dubii:' vid. cl. Burm. ad Lucan. III. 7. et quos ibi laudat: secundam, quod in ea altitudo horum tumulorum tribus idem significantibus adjunctis describitur; nam 'aërii, dubii, et volucribus quoque invii tumuli' ex mente V. C. in re nihil aliud sunt, quam alti et sublimes. Sed quum altitudo illorum ex hoc solo satis intelligi possit, quod tertio loco ponit Florus, eos 'volucribus' quoque 'invios' fuisse, non valde probabile est, eum ter aliis atque aliis verbis idem voluisse dicere. Veteres in narratione simili non tantum altitudinem montium memorant, sed sæpe quoque eos 'asperos,' 'invios,' ac 'devios' fuisse dicunt. Florus ipse III. 10. 22. 'Per invios ad id tempus montium tumulos.'

Volucribus invia] Similem de altis ac præruptis locis loquendi modum Græcis fuisse, testimonio est Ἄορνος petra, quam Alexander cepit, ap. Arrian. fin. lib. 4. Curt. 8, 11. Nicephori dictum ap. Cedren. pag. 396. 'Nemo nostrum perniciem evitabit, ne si volucres quidem fiamus.' Julian. Epist. ad Maximum philos. p. 277. f. 'Vicentio est ut in mari rupes excelsa, propemodum ipsis avibus inaccessa.' *Freinsh.* Hæc quoque suspecta erant N. Heinsio, quem offendebat iteratio verborum *accessit* n. 4. et mox *accessibus*, et *accessit*. Sed non satis adsequi potui scripturam illius, e qua tamen pleraque expressit Grævius. Tollius l. d. legit, *illa, qua volucribus quoque videbatur invia, accessit: illa*, et *qua*, nempe parte, vel via. Non dubito, quin aliquid corruptum sit. Pal. 2. ap. Salm. Ryck. et Regg. item Edd. Ber. et Junt. multæque recentiores, plane habent *videbatur*, quod restituebat Tollius. Insuper Pal. 2. Regg. Flor. et Magl. *invia via*. Ex his ita hunc locum constitui posse puto: *illa, quæ volucribus quoque videbatur invia via, accessit. Illa*, et *qua* ex sententia Tollii; et *invia via*, ut ap. Ov. XIV. M. 113. 'Invia virtuti nulla est via.' *Quæ* autem et alibi male scribitur pro *qua*. Vid. Græv. ad IV. 12. 50. Et sic Tollius in Sall. I. Hist. pro eo, quod ibi editur, 'Omni Gallia cis Rhenum inter mare nostrum atque Oceanum, nisi quæ a paludibus invia fuit, perdomita,' emendat, *nisi qua paludibus*. Recte quidem; sed potuerat e Carrione ad eum locum scire dudum ita in Nonio v. *Cis* lectum fuisse. *Quæ videbatur*, quomodo in emendatione Grævii accipiendum sit, non perspicio. Begerus totum locum, ita ut volebat Grævius, edidit; sed pro *videbatur* posuit *videbantur*.

Subita belli irruptione] Quidam, *eruptione: irruptione* retinendum. *Salm.* Designat Salmasius Nazarianum et Pal. 1. et sic quoque perperam Duisb. Reg. Q, Voss. 1. 2. et o. e. v. In Ryck. mox *temuit ut tûit*. Credo dubitasse scribam *temuit* scriptum esset, an *terruit*; quod indicio est Latinæ linguæ imperitum fuisse.

§. 6 *Cujus tanta trepidatio fuit*] Liv. 44, 10. 'Perseus tandem a pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto animo, malle imperiis suis non obtemperatum esse: quum trepidans gazam in mare dejici Pellæ, Thessalonicæ navalia jusserat incendi. Andronicus Thessalonicam missus traxerat tempus, id ipsum quod accidit, pænitentiæ relinquens locum: incautior Nicias Pellæ, projiciendo pecuniæ partem, quod fuerat nactus:' ubi tamen malim, *quod fugerat, nactus*, indignationem nempe regis, quem jam pœnitebat consilii. Quamquam etiam ista lectio possit ferri, præsertim, si expuncta voce *partem*, ita legas: *projiciendo pecuniæ quod fuerat nactus*. Atque sic mihi scripsisse videtur ipse Livius. De trepidatione vero Regis confer etiam Excerpta Diodori, ap. Vales. p. 310. et Appiani, ib. p. 561. *Freinsh.*

Pecuniam mergi, ne periret; classem cremari, ne incenderetur] Videtur allusum ad illa Martialis 2, 80. 'Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit. Dic rogo, non furor est, ne moriare, mori?' Sen. Epist. 24. 'Tantam hominum imprudentiam esse, imo dementiam, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem.' Vide eund. Ep. 70. et ibi Lips. not. 4. Saxo lib. 16. de Sclavo quodam, qui suspendio se necaverat ne hostium potiretur, loquens; 'Sclavi cujusdam ridicula formido,' &c. *Idem.*

§. 7 *Crebra*] Malim *crebriora*. Idem.

Macedonia deprensa est] Alter Pal. *depressa*, perperam, et recte *deprensa* substituit Vir summus J. Gruterus, cum edd. aliæ *depressa* legerent. *Salm.* Hæc vera est lectio, nec aliter v. e. nam aliæ *depressa*: de voce *de*.

prehensa est dictum quoque nobis in Suspicionibus, exstatque alioquin etiam in Pal. 3. *Grut.* Sic et Tac. Agr. 34. 4. *Freinsh.* *Deprensa* est in Flor. Berol. Voss. et Duisb. In reliquis alterum illud corruptum.

Quum alia minatus, alia irrepsisset] Scribe: *alias eminatus, alias irrepsisset.* Libri etiam, *eminatus* legunt, quibus compar est editio vetus. Plautus utitur hoc verbo 'eminari.' In simili autem re designanda paulo aliter loquitur Frontinus, lib. I. Strategem. 'Reliquit suos paucos, qui speciem remanentis exercitus præberent, et ipse cum cetera manu, qua non expectabatur aditus, intravit.' Hæc postrema varie emendant docti. Ego vocem *aditus* delendam censeo omnibus modis, et legendum: *qua non exspectabatur, intravit.* Sic supr. de Scipione: 'Qua non exspectabatur, irrupit. Pontes jungunt, instrumentaque moliuntur:' nihil cohæret. *Salm.* Naz. *alia eminatus.* Ryck. melius *cum alia ei minatus, alia irrepsisset.* Vir maximus scribendum censet *cum alias eminatus, alias irrepsisset:* a quo hic, quamvis invitus, non possum non dissentire. Pro *irrepsisset*, vet. cod. *irrepisset*, unde Lipsius conjiciebat scribendum esse *irrupisset.* Sed verior et elegantior est vulgata, significans clam quasi et insciis Macedonibus in illorum regionem alia via venisse, quam qua simulaverat se venturum. Similis translatio in *adrepere* ap. Tac. 'Nec quicquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor, non virorum animis, sed muliercularum adrepit:' hoc est, illarum gratiam aucupatur. Et I. Ann. 74. 'Cum occultis libellis sævitiæ Principis adrepit;' est, secretis delationibus Principis gratiam captat. *Alia minatus* est, alia via minatus. Ista ellipsis Græcis et Latinis non infrequens: intelligitur, via. Liv. XLIV. 'Alii alia in civitates suas dilapsi sunt:' plura exempla passim occurrunt. Tuetur vulgatam etiam Heinsius, et subintelligi putat, parte: addit, in Frontini loco, quem producat Salmasius et tentet, malle se, *quo non exspectabatur aditu.* Flori loco non dissimilem esse illum Val. Flacci lib. IV. vs. 289. 'Emicat, hic dextramque (leg. *levamque*) parat, dextramque minatur Tyndarides, redit huc oculis et pondere Bebryx Sic ratus, (leg. *Irritus,*) ille autem celeri rapit ora sinistra.' *Græv.* Non intelligo, quomodo *alias* hic locum habere possit, pro quo jamdudum in Vineti, Stadii, et Gruteri edd. erat *alia*, pro, alia via, ut sæpe apud veteres. Vid. Burm. ad Quintil. Decl. XVII. 5. Id hic in *alias* mutatum videtur e superioribus 'per alias vias.' *Eminatus* quoque non placebat Heinsio, nec ex eo, quod Plautus semel dixit 'eminor' Capt. IV. 2. 11. sequitur, Florum quoque ea voce uti voluisse. Is. Vossius conjecerat, *quum alia se minatus*, nempe irrepturum, *alia irrepsisset.* Hanc conjecturam confirmat Voss. 2. nec omnino improbabilis est. Quum prima litera vocis *se* adhæsisset fini præcedentis, secunda facile ad caput sequentis transferri, et pro *alia se minatus* scribi potuit *alias eminatus.* Vir doctus in Obs. Misc. Vol. VI. p. 286. lectionem Salmasio probatam pro genuina et a Flori manu profecta habet. Non satis capio vim argumenti, quo in eam rem utitur. Pro *irrepsisset* Ryck. *irripisset*, Duisb. Voss. 1. et ex editis Beroald. *irrepisset*, Naz. ap. Salm. *inrepisset*, qui adscripserat: 'Repi' pro, repsi, ἀρχαϊκῶς. Hoc ergo eodem modo dicatur, quo 'clepi' pro, clepsi ap. Cic. de quo Voss. III. de Anal. 30. Fran. *irrupisset*, ut volebat Lipsius.

§. 9 *Samothracen*] De cerimoniis, et religione hujus insulæ, vide latius Diodor. 5, 47. et deinceps. Colligas etiam quædam ex Liv. 45, 5. Sex. Ampelius: 'Gemini, qui Samothraces nominantur, esse, quorum argumen-

tum nefas est pronuntiare, præter eos qui in his præsto sunt.' *Freinsh.*

Celebri religione] *Celebri* abesse a Pal. 1. adnotaverat Salmasius. Nec placet Tollio Fort. c. x. Sed locus tam vitiose editus est, ut non adpareat, quid pro eo substituendum putaverit. Tamen ex iis, quæ deinde adjicit, intelligo ei placuisse scribendum *delubri religione:* ut ap. Vell. I. 9. 'In insulam Samothraciam profugit, templique se religioni supplicem credidit.' Et Justin. XXXIX. 1. 'Cum Tyrum religione templi se defensurus petisset.' Et hoc postulare putat antithesin, quæ sequitur, 'templa et aræ,' &c. Potuisset conjecturam suam etiam e Liv. confirmare XLV. 4. 'Supplex fani religione, non viribus suis, tutus;' et ex his, quæ paullo post scribit Florus, 'Ab illo, quo confugerat, templo.' Nec tamen quidquam mutandum arbitror. *Celebris religio* Samothraces Floro est, quæ Livio XLV. 5. 'Credita sanctitas.' Nam Samothraces sanctitas non tantum unius delubri religione censebatur, sed tota insula sacra, et augusti atque inviolati soli habebatur, Liv. ibid. Et Perseus non statim in templum confugit, sed primum hospitio privato usus, deinde prope jam ab omnibus desertus demum in templum se recepit, Ibid. c. 6.

§. 10 *Supplex cum scriberet*] Ita Maroboduus 'scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ.' Tacitus, 2, 63, 2. Quomodo autem exceptæ fuerint eæ literæ a Cos. lege ap. Liv. 45, 4, 3. *Freinsh.*

Ab illo quo confugerat templo] Idem liber, *ae illo*, forte, *de illo*. Salm. Designat librum Naz.

Nomenque epistolæ notaret suum] Ryck. *nomenque epistolæ suum.* Sed præstat cum Anna erudita delere *epistolæ*, quia Latinæ linguæ genius eam vocem hic respuit. Sed N. Heinsius scribendum putat, *nomenque epistola denotaret suum*, ni malimus *prænotaret*, in ipso initio epistolæ, ut solebant. Glossæ Labbei: 'Prænoto, προσημειοῦμαι:' sed altera scriptura tutior. *Græv.* 'Prænotare' pro, titulum præscribere, etiam Apuleius aliique recentiores dicunt, quorum loca prostant in Lexicis. Sed libri hic nihil variant. Conjecturam Annæ recepit Begerus, quem mihi sequendum non putavi, etsi eam vulgatæ scripturæ præfero. Freinshemius in Ind. v. *Epistola*, 'notare nomen' exponit, subscribere. Sed Florus loquitur de inscriptione epistolæ a Rege ad Paulum missæ, 'Rex Perseus Consuli Paullo Salutem.' Liv. XLV. 4. Mox pro *captæ majestatis* mallem, si per libros liceret, *capti.* Vulgatum forsitan defendi potest: sed tamen insolens videtur 'capere majestatem,' vel 'capta majestas.'

§. 11 *In templum recepit, et conviviis adhibuit*] Unius voculæ depravatio, sed in qua tota sententia, ut in cardine suo, verteretur, satis exercuit hujus ætatis doctissimos Viros. Viderunt omnes, mendum tegere vocem hanc *templum*, sed potuit adhuc nemo id detegere. Si de templo illo Samothraces, ad quod confugerat Rex Perses, et ex quo ad Paulum deductus fuit, aliquis intelligit, is, ut verbo dicam, nugatur; longe enim Samothracia distat ab eo loco, in quo tunc constiterat Paulus. Sed verum videamus; suspicor vitiosa illa et veteri scribendi forma scriptum fuisse, *in temptum recepit*, pro *tentum;* ut *tempto*, pro *tento*, et *contemptus*, pro *contentus*, non semel in antiquis libris repperi: ex illo *temptum*, imperiti γραφεῖς *templum* posuerunt, errore facili. *Tentum*, ut diximus, vera et sana lectio: si quis ignorat, quid sit 'tentum,' docemus illum, esse tabernaculum vel tentorium. 'Tendere' est σκηνὴν πήξασθαι, 'tentum' est σκηνή. Recentiores Latini genus mutarunt, et pro eo 'tenta' dixerunt, et corrup-

tius 'tenda:' sic veteribus 'strata viarum' dicebantur, ac recentibus 'stratæ.' Apud Suidam, in voce Σκηνή· Καὶ σκηνὴν ἐπήξατο, τουτέστι τένδαν, κατὰ γλῶσσαν. Alibi idem: Τένδα, παρ' ἡμῖν οἰκία ἐκ λίνου. Glossæ Latinæ, quæ penes me sunt: '*Tentum*, tabernaculum.' Hanc vocem, ut videtur, vetustam usurpat Florus, quæ nescio an apud alium temere occurrat: sed et alias voces, quæ alibi leguntur nusquam, in hoc Auctore suscitavimus, ope præstantissimorum codd. ut sunt, *inmodum*, pro *admodum*, *insemel*, *impes*, *insimul*, *intermœnia*, et alia, quæ non succurrunt, et hoc loco *tentum*. Tentum aliud est in illo versu Tibulli: 'Hunc tu sed tento, scis, puto, quod sequitur.' Obscœnum enim est. Narrat igitur Florus, tanta humanitate sese præditum ostendisse circa regem captivum, ut tabernaculo suo receperit, et conviviis adhibuerit. Non multo aliter ap. Plutarch. sed aliter tamen: quem vide, et dissensum inter scriptores solennem agnosce: nemo certe negarit, nisi iniquus aut imperitus, quin nos ita recte reposuerimus. *Salm.* Non dubito verissimam esse Salmasii emendationem, cujus verba leges supra. Quem juvant etiam Imp. Leonis Tactica, in quibus taberuaculum est Τέντα, ut cap. 10. 12. Gruterus quidem autumat, retinendam esse vocem *templum*, et capiendam pro loco ubi aquilæ essent, ubi signa; allegatque locum ex Tac. 15, 29, 4. et quæ ad eum notaverit. *Freinsh.* Merito *templum* tuentur Gruterus, Rupert. Gronov. 'Templum' autem aut vocatur ipsum prætorium seu Imperatoris tabernaculum, ut Lipsius censet lib. v. de Milit. Rom. Dial. 2. aut tribunal in principiis castrorum, quia loca omnia excelsiora, et quæ supra alia emineut, unde late prospici potest, 'templa' vocantur. Festus: '*Contemplari* dictum est a *templo*, id est, loco, qui ab omni parte adspici, vel ex quo omnis pars videri potest, quem antiqui 'templum' nominabant.' Livius lib. I. 'Palatinum Romulus, Remus Aventinum, ad inaugurandum, templa capiunt:' quamvis in his proprie siguificet locum augurii aut auspicii caussa verbis conceptis finitum: vide et Varronem lib. VI. de Lat. Ling. ubi prolixe de vi hujus vocis disputat. Nec hunc locum intactum prætermisit in suis ad me litteris plenis officii, amoris, et doctrinæ magnus noster amicus N. Heinsius. Salmasianum *tentum*, inquit, pro tentorio non fero. Forte dederit Florus *in tabernaculum*, quo imperitus librarius, qui 'tabernaculi' vocem in sacris litteris frequenter meminerat occurrere, *templum* credidit designari, idque vocabulum, quod modo præcesserat, huc importune inculcavit. 'Tabernaculi' vox Livio familiaris. Possis et *tentorium*. Post videtur excidisse τὸ *ac;* legendum *attonitum adhuc, ac tanquam subito malo stupentem.* Græv. Begerus hic quoque spreto consensu librorum e conjectura Heinsii edidit *tentorium*. Livius XLV. 7. in hac re narranda 'prætorium' et 'tabernaculum' dicit, et Valer. M. v. 1. 8. itidem 'tabernaculum.' Hoc cur *templum* dicere potuerit Florus, Rupertus e Lipsio l. d. has rationes adfert, quod prætorium et formam templi haberet, ideoque ab Josepho ναῷ παραπλήσιον fuisse dicatur, et templi instar in mediis castris emineret, quasi templum aliquod in urbe. Potuerat ex eodem Lipsio et tertiam causam addidisse, quod ibi erat religio, et pars sacrorum, atque augurale, auspicandi causa; unde etiam ipsum prætorium interdum augurale vocatur: de quo Schel. ad Tac. 2. A. 13. et Burm. ad Quintil. VIII. Inst. Orat. 2. *Tentum*, quod placebat Salmasio et Perizonio, non puto apud ullum veterem scriptorem inveniri pro tentorio. Nam quod Freinsh. in Ind. ex Horat. Epod. XII. 12. adfert, *tenta cu-*

bilia, id huc non pertinet. Lipsius II. Elect. 19. e Ms. suo, in quo erat *receperat*, conjicit: *Cum in conspectum venisset hostis (nam templo receperat) et in conviviis adhibuit;* hac sententia: Consul Persen, qui ante in templum confugerat, inde ab Octavio eductum, et ad se in prætorium perductum, convivio adhibuit. Tollius d. c. x. legit: *Cum in conspectum venisset, et hospitaliter eum recepit, et convivio adhibuit.* De his quisque sentiat, quod lubet: mihi neque hoc, neque illud probatur. Ryck. Reg. F, Voss. 3. et pleræque edd. vett. *in conspectu.* Hoc quidem ferri potest, ut ap. Phædr. v. Fab. 1. 'Quinam cinædus ille in conspectu meo Audet venire?' ubi plura hujus generis congesserunt Interpp. et doctiss. Schraderus Animadv. ad Musæum cap. xv. vs. 181. Sed non est, cur hic a trita via, et scriptura aliorum librorum recedatur.

Liberosque admonuit suos, ut fortunam] Elegantem in hanc sententiam locum vide ap. Polyb. 2, 4. *Freinsh.* Non solum liberos suos, verum etiam alios admonuit. Vid. Liv. XLV. 8.

§. 12 *Inter pulcerrimos hunc quoque, &c. triumphum*] Triumphus Paulli 'tantum priores excessit, vel magnitudine regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniæ, ut bis millies centies HS. ærario contulerit, et omnium anteactorum comparationem amplitudine vicerit.' Velleius, 1, 9, 4. Effigiem istius triumphi exhibet nobis Onuphrius Panvinius. *Freinsh.*

Cujus spectaculo triduum impleverit] Nolim hic quicquam mutari. Ovid. Met. VII. 662. 'Talibus atque aliis longum sermonibus illi Implevere diem.' *Græv.* Idem Met. XIII. 675. 'Talibus atque aliis postquam convivia dictis Implerunt.' Et Trist. II. 161. 'Livia sic tecum sociales compleat annos.' Plin. IV. Ep. 9. 'Obsecrabat implerem meum tempus.' Add. infr. IV. 12. 62.

§. 13 *Attonitum*] *Attonitus* et *stupens* sæpe conjunguntur. Vid. Serv. in Virg. Æn. III. 172. et Interpr. Petron. c. CI. Gell. v. 1. 'Consiluisse universos dicit, quasi attonitos et obstupidos.' Ovid. Tr. I. 3. 11. 'Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ.'

§. 14 *Perceperat*] Ita Pal. 3. Nam 2. et ed. Vineti, *præceperat:* male, ut opinor; primo, quod illud, *prius præcipere*, pleonasmum sapiat; inde etiam, quia comparatio instituitur, verbum adhibendum fuerit, quod utrique serviret, et famæ, et epistolis Paulli: quo tamen *præcipere* non quadrat. *Freinsh.* Salmasius e Pall. adnotarat *perceperat*, e Nazar. *præceperat*, idque probabat. Et sic Fran. et in exemplari Tollii Berol. Potest retineri *perceperat;* sed prior ratio Freinshemii ad impugnandam alteram scripturam non admodum valida est. Nam pleonasmus in his satis frequens est. Liv. XXI. 32. 'Quamquam fama prius præcepta res erat.' Ita ibi e scriptis edidit Gronov. pro vulgato *percepta.* Virg. Æn. IV. 24. 'Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, Ante, pudor, quam te violo.' Cic. VI. Philip. 3. 'Testificor, denuntio, ante prædico.' Tollius l. d. corrigit: *Sed multo prius gaudium victoriæ rumore, quam epistolis victoris P. R. acceperat.* Putat scriptum fuisse per notas *P. R. acceperat*, atque inde natum *præceperat.* Sed nec verba *populus Romanus*, quæ notis *P. R.* scripta fuisse suspicatur, ante *præceperat* ponuntur, nec vocis *rumore* ullum vestigium in libris est.

Eodem die] Vide Liv. 45, 1. Cic. de Nat. D. 2. 2. Plutarchum Æmilio. Plura ejusmodi exempla collegit Zwingerus Theatri volum. 5. lib. 6. p. 1380. quibus adde prælium ad Sagram. Strab. lib. 6. p. 180. Plinium 7. 22. Victoria Christianorum, in Africa, eodem die in Italia nunciata,

circa annum Christi 1088. Chronic. Casinense 3, 70. Sic eodem die quo Silvanus Agrippinæ diadema sumsit, innotuit illud factum Mediolani: recenset nescio unde Sigonius lib. 6. Imp. Occid. male intellexit, si ex Ammiano 15. 11. Ita cum Carolus electus esset Imp. Francofurti, dicitur uno die nuntius istius rei Barchinonem venisse. Sleidan. lib. 1. Adde inf. 3, 3, 20. Hi sunt qui 'præcipites nuncii' vocantur Tac. H. 2, 6, 1. *Freinsh.* Tollius reprehendit Florum, qui dicat, 'eodem die,' quo Perseus victus est, id Romæ cognitum esse; quum Liv. XLV. 1. scribat, quarto die, postquam cum Rege pugnatum fuerat, quum in Circo ludi fierent, incerto auctore rumorem de victoria Paulli fuisse ortum. Sed Livius et Plutarchus aliter hanc rem narrant, nec ullam hujus miraculi mentionem faciunt. Non debebat igitur reprehendi Florus, quum alios Auctores sequutus sit; a quibus tamen in eo abit, quod dicit, eodem die, 'quo victus' est Perses, quod alii de die, 'quo captus' est, prodiderunt. Vid. Cic. II. de N. D. 2. et Val. M. I. 8. 1. In quo fortassis erraverit. Sed gravior est error Lactantii, Castorem et Pollucem nunciasse Persen 'eo die victum atque captum,' quod nemo scripsit, nec fieri potuit; nam inter Persen victum et captum aliquot dies intercesserunt. Vid. Liv. XLIV. in fin. et XLV. pr. et Plutarch. Æmil.

Quo victus Perses in Macedonia] Ryck. *quo victus est Perses in Macedonia.* Græv. Sic quoque Naz. Toll. Duisb. Fran. et o. edd. vett. etiam Camert. et Stad. Vinetus primus, ni fallor, omisit *est*, et sic deinde Gruterus aliique. Begerus recte id restituerat.

§. 15 *Duo juvenes*] Hujus dæmoniaci miraculi meminerunt Lactantius, 2, 8. Val. M. 1, 8. 2. Plutarchus, Æmilio. Lege quæ notavi, 1, 11. 4. n. *Camers.* Adde Plin. 7, 20. Suetonius, Ner. in pr. 'L. Domitio rure quondam revertenti, juvenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nuntiaret senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atque, in fidem majestatis, adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum ærique assimilem capillum redderent,' &c. Vide etiam inf. 3, 3, 20. *Freinsh.*

Candidis equis] Habitum Castorum disce ex Pausaniæ lib. 4. ubi de Panormo et Gonippo, Dioscuros mentitis. *Idem.*

Juturnæ lacum] De hoc Merula, Cosmograph. 2, 4. 12. *Idem.* Vid. Serv. ad Virg. XII. Æn. 139.

Pulverem et cruorem] Observat Rittershus. ad Phædr. IV. 24. Castores sæpe induci ut pulvere sparsos, et sudore vel cruore madentes. Add. Latin. Pacat. Paneg. Theodos. cap. XXXIX. 'Pulverem cruoremque Thessalicum aquis Tiberis abluentes.' Minuc. Fel. c. VII. 'Anheli spumantibus equis atque fumantibus.'

§. 16 *Interfuisse bello*] Supra, 1, 11, 4. 'Ea denique atrocitas fuit prælii, ut interfuisse spectaculo Deos fama tradiderit, duos in candidis equis; Castorem atque Pollucem nemo dubitavit. Itaque et imperator veneratus est, pactusque victoriam templa promisit; et reddidit sane quasi commilitonibus Diis stipendium.' *Freinsh.*

Quod adhuc anhelarent] Hoc notat Grævius in Præfat. tamquam insulse dictum. Primum, quia ex anhelitu quidem potest colligi aliquem magna festinatione in itinere faciendo usum fuisse, neutiquam autem, unde veniat. Deinde, quia Dii non fatigantur laboribus viæ, ut ex iis anhelent. Eadem est sententia Broekhusii ad Propert. III. 21. 26. qui hominem acutum vocat Florum, qui, unde quis veniat, tam acute conjectet ex solo anhelitu. Begerus ad primam reprehensionem respondet, potuisse 'vulgo credi eos a Macedonia venire, quod victoriam

Macedonicam nunciabant.' Eadem ratione Florum defendit Tollius, qui ad Præf. Grævii hæc adscripserat: 'Nunciaverant victoriam Pauli, et hinc creditum eos a Macedonia mox a prælio venire, quod adhuc anhelarent.' Hoc speciem aliquam habet. Sed tamen hoc totum de Diis anhelantibus rectius omitti potuisset. Nam ex eo solo, quod victoriam Macedonicam nunciabant, et adhuc perfusi erant cruore, satis credi poterat, eos a bello, quod in Macedonia gerebatur, et prælio ibi paullo ante facto venire. Si hæc non satis valebant ad fidem faciendam eos a Macedonia venire, anhelitus certe id multo minus persuasurus erat. Secundæ reprehensioni Grævii ita occurrit Begerus: 'Diis, quum formam hominum adsumsisse dicuntur, etiam humanam imbecillitatem posse tribui.' Hoc ferri potest. Nam et sudor fere e fatigatione, aliisque laboribus corporis oritur. Itaque si sudarunt, non video, cur non etiam anhelasse dici possint.

Cap. 13 Bellum hoc, et ejus causam, describit Appianus, Illyric. Item Plutarch. Æmilio. Meminit Epit. Liv. 43, et 44. (et ipse Livius) Eutrop. 4, 1. Val. M. 3, 3, 2. Advertendum Gentium, Illyricorum regem, contra quem hoc bellum gestum est, Gentianam herbam invenisse, et ex suo nomine 'Gentianam' dixisse. Auctor Plin. 25, 7. *Camers.* An de eo Ælian. Hist. Var. 2, 41, 17. ut pro Γενναῖος legatur Γέντιος? *Freinsh.*

§. 1 *Traxit*] Liv. x. 18. 'Tusci fere omnes consciverant bellum. Traxerat contagio proximos Umbriæ populos.' Sic loquuntur de bello, tamquam de morbo paullatim serpente. Ovid. Met. I. 190. quem locum adscripserat Perizonius, 'Immedicabile vulnus Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.' Sen. c. VII. de Tranq. An. 'In pestilentia curandum est, ne corruptis jam corporibus et morbo flagrantibus assideamus: quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus.'

§. 1 *Illyrios*] Optimæ schedæ, *Illyrros.* Ἴλλυρες Græcis, et Ἴλλυροι. Sic etiam Latinis 'Illyres' et 'Illyri.' Plauto: 'Illyribus, et Megaribus:' sic 'Ligures,' et 'Liguri,' 'Baleares,' et 'Baleari.' Sall. Jug. cap. 105. 'Funditorum Balearorum.' *Balearorum* pro *Balearium:* vulgo legitur *Baleariorum:* scripti codices, ut annotant Viri docti, scribunt, *Baleatorum:* nos *Balearorum* fecimus. *Salm.* *Illyros* Voss. 1. 2. et ita Salmasius e Naz. adnotarat, non *Illyrros.* Ryck. Magl. Duisb. Fran. et omnes edd. vett. perperam *Illyricos:* vid. ad II. 5.

Distringerent] Liv. xxxv. 18. 'Annibalem mittendum in Africam esse ad distringendos Romanos.' XLIV. 35. 'Populatione maritimæ oræ distringere copias regias.' Phædr. IV. F. 25. 'Distringit quem multarum rerum varietas.' Add. Freinsh. in Ind. *Militaverant* Reg. Q: *militaverunt* Ryck. Reg. F, Flor. Magl. Duisb. Fran. et v. e. Credo rectum esse *militaverant.*

Sine mora] Intra xxx. nimirum dies. Livius, 44, 32, 3. *Freinsh.*

§. 2 *Scordam caput gentis*] Forte *Scodram* melius scriberetur. Σκόδραν Ptolemæus inter Liburniæ μεσογείους ponit: alia est Σκύδρα ap. Stephanum meum, qui scribit, Σκύδραν esse Μακεδονικὴν πόλιν. Posset tamen eadem esse, Σκύδρα, et Σκόδρα, ut iidem sunt Σόλκοι et Σύλκοι, Σκοποὶ et Σκυποί. Sed alias hac de re plura. *Salm.* *Scordam*] Ita membranæ Vineti: forte *Scodram* melius scriberetur, (quomodo legitur ap. Liv. lib. 43, 44, 45.) Σκόδραν, &c. Vid. Salm. Libenter autem accedo Barletio dicenti *Scodram* hanc esse, cujus expugnationem tribus libris nec inelegante certe conscripsit. *Freinsh.* Σκόρδα etiam ap. Polyb. Ed. Gronov. in Excerpt. Legat. LXXVI. et Appian. v. Civil. p. 709. In Liv. semper est 'Scodra,'

a quo, item e Ptolemæo et Plinio III. H. N. 22. ita ubique scribendum consentiunt Docti. Vid. Ursin. et Jac. Gron. ad Polyb. l. d. Cellarius II. Geogr. 8. ex Holstenio ad Steph. de Urb. etiam nummum e Collectione Pyrrhi Ligorii laudat, cum Inscriptione COL. CLAUDIA AUGUSTA SCODRA. Memorat eumdem Spanh. Diss. XIII. p. 603. de Præstant. et Usu Numism. sed addens, 'modo Ligorio fides constet.' Tamen ap. Grut. 163. 3. Inscriptio ad eam urbem reperta REIP. SCODR. Ryck. *dedisse suffecit.* An *obsedisse?* neque enim deleri, antequam obsideretur, potuit. Sed deditio potest accipi de deditione totius gentis, post deletam Scodram. Nec tamen eam hoc bello deletam fuisse usquam proditum scio. Vid. Liv. XLIV. 31. 32.

Hoc bellum ante finitum est] Liv. 44, 32, 4. 'Hoc unum bellum prius perpetratum, quam cœptum Romæ auditum est.' *Freinsh.*

CAP. 14 De hoc bello scribunt Epit. Liv. 50. Val. M. 7, 5, 4. Auctor de Vir. Ill. cap. 61. Eutrop. 4, 3. Euseb. Lib. Temp. *Cam.* Adde Vell. Paterc. 1, 11. *Freinsh.*

§. 2 *Gravior, dum contemnitur*] Scribit de Marsorum vipera Solinus, cap. 8. 'Brevior hæc ceteris: ac propterea, dum despicitur, facilius nocet,' quod et privatim publiceque quis sibi quoque haud temere accommodaverit: quippe 'citius periculum quod contemnitur.' Monitumque Alexandri M. ap. Curt. 6, 3, 11. 'Parva sæpe scintilla magnum excitavit incendium. Nil tuto in hoste despicitur: quem spreveris, valentiorem negligentia facies.' Sed et effatur Hannibal ap. Liv. 21, 43, 13. 'Sæpe contemptus hostis cruentum certamen edidit, et incliti populi regesque perlevi momento victi sunt,' &c. *Grut.*

§. 3 *Ultimæ sortis*] De eodem Liv. Ep. XLIX. 'Ultimæ sortis homo,' et Vell. I. 11. 'Qui se Philippum, regiæque stirpis ferebat, quum esset ultimæ.' Justin. XXXV. 1. 'Balam quemdam sortis extremæ juvenem.' Curt. IX. 2. 'Non modo ignobilem esse, sed etiam ultimæ sortis.' Sic *ultimus* pro contemtissimo, vilissimo, ac pessimo. Sen. de Brev. Vit. XIV. 'Ultimo mancipio transfodiendum se præbuit.' Virg. Æn. IV. 537. 'Ultima Teucrum jussa.' Vid. ibi Serv. et Burm. ad Quintil. Decl. XII. 25.

Invaserat] Regno per vim ac fraudem occupato bellum concitarat et capessiverat. *Invadere pugnam* Virgilius dicit eos, qui cupiditate pugnæ flagrantes certamen adgrediuntur, et in hostem ruunt, Æn. IX. 186. 'Aut pugnam, aut aliquod jam dudum invadere magnum, Mens agitat mihi.' Et Æn. XII. 711. 'Procursu rapido, conjectis eminus hastis, Invadunt Martem clipeis atque ære sonoro.'

Dubium liber an servus, mercenarius certe] Legerim: *dubium an servus.* Cf. Porphyrii locum ap. Euseb. p. 229. *Freinsh.* Pluribus hanc conjecturam confirmat in Ind. v. *Dubium.* Largior illi, Latinos, quum duo contraria eloqui volunt, quorum uno posito alterum per se intelligi potest, sæpe vocibus 'dubium' et 'incertum' sic uti, ut tantum alterum exprimant. Nec tamen puto vitiose loqui eos, qui utrumque conjungunt. Suet. Aug. XIX. 'Circa cubiculum ejus lixa quidam noctu deprehensus est cultro venatorio cinctus, imposne mentis, an simulata dementia incertum.' Satis fuerat dixisse 'incertum an simulata dementia:' nam eo expresso alterum facile intelligi poterat. Curt. IV. 15. 'Amyntas præfectus equitum Alexandri cum paucis turmis opem impedimentis laturus advenerat, incertum suone consilio, an Regis imperio.' Et, si licet dicere, 'dubito hoc æquum, an iniquum sit,' etiam recte dici potest, 'dubito ille liber, an servus sit.' Sed illud Latine dici idoneus auctor est Cicero I. Off. 9. 'Bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit, an ini-

quum.' Quæ ergo ratio esse potest, cur non æque liceat dicere 'dubium,' vel 'incertum est ille liber, an servus sit?' Vulgatam scripturam Suetonii Aug. XXVIII. quam eadem ratione emendandam censet Freinsh. in Ind. recte tuetur Gronov. II. Obs. 24. Gell. VI. 8. 'Verone, an falso, incertum.'

Pseudophilippus] Tac. 12, 62, 2. 'Cui, ut degeneri' (h. e. supposititio) 'Pseudophilippi nomen impositum.' Marcellin. fin. lib. 14. vocat 'Adramitenum Andriscum, in fullonio natum.' Hujusmodi subjectitiorum principum exempla aliquam multa lege apud Lipsium, monit. et exempl. Polit. 2, 5. Zwing. Theatr. Histor. Vol. 7. Berneccerum in Justinum, 31, 5, 6. Quales fuerunt Pseudo-Agrippa, Tac. 2, 39. Pseudo-Nero, Tac. H. 2, 8, 2. Pseudo-Balduinus, Zwingeri Theatr. 517. in 1. Adde Chronicon Hirsaug. Trithemii in Anno 1140. Hujus 'Pseudophilippi' meminit et Appianus, fine Punicorum; et alterius cujusdam Epit. Liv. 53. *Freinsh.* Fullonem fuisse hunc Pseudophilippum etiam Lucianus scribit in lib. ad Indoctum et multos libros ementem p. 389. In libris vett. hic locus varie legitur. Naz. ap. Salm. Ryck. et Voss. 3. *Sed quia vulgo Philippus ex similitudine Philippi Pseudophilippus vocabatur.* Et sic Berol. Duisb. et v. e. nisi quod in his *ex* ante *vulgo* ponitur. Reg. Q: *sed quia vulgo ex similitudine oris Philippus Pseudophilippus vocabatar.* Ab eo in hoc solo discedit Ed. Plantin. Stadii, quod habet *vulgo Philipus ex.* Vinetus, Gruterus, et post eos alii ediderunt, quod hic legitur, et est in Reg. F, Flor. Magl. Fran. et Voss. 1. 2. Edd. Beroald. Sab. Parv. et Ald. *Sed quia vulgo Philippus ex* (in Sab. Parv. et Ald. *et*) *similitudine Pseudophilippus vocabatur.* Hæc indicio sunt aliquid corruptum esse. Beger. putat legendum: *sed quia vulgo Philippus ex similitudine Philippi Pseudophilippus vocabatur.* Mihi *Pseudophilippus* suspectum est, tamquam ab aliquo ad marginem adscriptum. Quum Philippo similis esset vultu, et ob id vulgo Philippus vocaretur, regiaque forma corporis præditus esset, etiam animos regios sumsit, non ideo, quod vulgo Pseudophilippus vocabatur. Romani eum Pseudophilippum dixerunt, postquam simulare cœpit se stirpe Philippi natum. A Macedonibus, qui partes illius sequuti sunt, sic adpellatum, aut pro Pseudophilippo habitum fuisse, non est credibile. Puto legendum, *sed quia vulgo Philippus ex similitudine Philippi vocabatur.* Liv. Ep. XLIX. 'Andriscus quidam, ultimæ sortis homo, Persei Regis se filium ferens, et mutato nomine Philippus vocatus... multis ad falsam ejus fabulam, velut ad veram, coëuntibus, totam Macedoniam aut voluntante incolentium, aut armis occupavit.'

Animo] Certa et clara lectio: quanquam Vir quidam Eruditus substitueret *mimo*, h. e. habitu, sermone, gestu. *Freinsh.* Valde blanditur mihi conjectura magni Gronovii, quamvis a Freinsh. repudiata, qui Obs. in Eccles. Script. cap. 25. legit: *regium nomen mimo quoque regio implevit*, sed Gronovius per mimum non intelligit habitum, sermonem, gestum, ut Freinshemius ait, sed brevem et fucatam simulatæ originis et regalis pompæ turbæque imaginem. Mimum enim docet significare quamvis actionem fictam et simulatam. Proxime ad hunc locum accedit ille Plinii, lib. VII. H. N. cap. 12. 'Antiocho regi Syriæ e plebe nomine Artemon in tantum similis fuit, ut Laodice conjux regia, necato jam Antiocho, mimum per eum commendationis regnique successionis peregerit.' Suet. in Oth. 'Ne pœna acrior mimum omnem divulgaret.' Hanc emendationem duabus rationibus firmat, et quod Florus paucis versibus post hunc Pseudo-Philippum vocet regem 'ima-

ginarium et scenicum,' hoc est mimicum, et quod dicat regem 'implere,' quod loquendi genus ex scena sumtum idem significat quam, *personam regis in ludo bene gerere, agere:* proprie enim 'partes implere' dicuntur mimi, histriones aliique Dionysiaci artifices, cum personam sibi impositam agunt; vid. locum laudatum. Nihil mihi certius videtur clariusque hac emendatione. *Græv.* Emendationem Gronovii rursus probat Grævius ad Suet. Aug. LXX. et Tollius ad h. l. Est ea, ut omnes sagacissimi illius Viri, elegans et acuta, et vocem *mimus* sæpe etiam apud alios corruptam et in alias vicinas mutatam esse, ostenderunt Pithœus et G. Canterus ap. Schott. I. Obs. 18. Juretus ad Symmach. VI. Epist. 79. Carrio II. Ant. Lect. 7. et Guilielmius Quæst. Plaut. in Epidic. c. IV. In Suet. quoque Tib. XXIV. pro eo, quod vulgo legitur, 'Principatum, quamvis neque occupare confestim, neque agere dubitasset, diu tamen recusavit impudentissimo animo,' recte emendavit Gronovius *impudentissimo mimo.* Sed Ryck. et Perizonius ad h. l. dubitabant an hic potius retinendum esset *animo.* Cl. Burmannus quoque ad Quintil. Decl. CCLXXIX. vulgatum tuetur, hoc sensu: Etiamsi ultimæ sortis, et in sordibus educatus esset, tamen mores regios habuisse, ac si in purpura esset natus. Nec male animadvertit Begerus, jam in eo fuisse mimum regium, quod formam regiam habebat, et nomen Regis adsumserat. Hæc igitur *implevit animo regio,* i. e. ostendit ac præstitit animum, qui conveniebat regiæ formæ et nomini, quique plane Regem decebat. Nam et sic sumitur *implere.* Auctor Consol. ad Liviam vs. 285. 'Quam parvo numeros implevit Principis ævo!' Et alii ap. Burm. ad Petron. XCIV. et ad Quintil. l. d.

§. 4 *Juventio Prætore*] Eutrop. 4 3. nominat prætorem non 'Juventium,' sed 'P. Panetium.' *Cam.*

Tentavit] Sall. Jug. L. 'Numidæ alii postremos cædere; pars a sinistra ac dextra tentare.' Et ib. LV. 'Postremos in agmine tentare.'

Invictusque a veris reg., ab illo] Neminem tam iniquum fore confido scriptori tam terso et florido, ut ægro animo ferat, attextas operi glossas ejici: ideoque confidenter ita repositum ivimus: fuerat: *invictusque, non a veris regibus, sed ab illo, &c. non* et *sed* sciolus aliquis inseruit textui; absunt commode; immo incommodissime adsunt. Certe enim invictus non vincitur: aut qui vinci potest, invictus non est: ergo etiam ap. Rutil. Itin. I, 64. malo cum Vet. *Profuit injustis te dominante capi:* quam cum Castal. et Sizmanno *invictis.* Freinsh. Hujus loci sanitas debetur Freinshemio, qui primus illum insertis vocibus repurgavit, quamvis codex Ryckianus etiam stet pro vulgata. Lipsius tamen jam olim quoque hoc vitium est subodoratus, qui legendum monuit: *invictusque modo a veris regibus, ab illo imaginario et scenico rege superatur:* non male quia τὸ *non* omnes retinent Mss. quod in *modo* refingit. Ov. XII. M. 'Quod juvenis corpus nullo penetrabile telo Invictumque a vulnere erat:' multi tamen ibi Mss. *invictumque ad vulnera.* Græv. Vid. Heins. ad Ov. l. d. vs. 167. Sall. Jug. XXXI. 'Invicti ab hostibus.' Pro vulgata lectione hujus loci stant etiam alii libri s. et e. excepto uno Magl. in quo plane ita scriptum est, ut emendabat Freinshemius, cujus emendationem merito sequuti sunt, qui deinde Florum ediderunt. Et sic in suo libro scripserat Perizonius.

Imaginario et scenico] Vid. Freinsh. in Ind. 'Veris Regibus' opponit 'imaginarium et scenicum.' Nam *imaginarium* est, in quo tantum imago et species rei est, non ipsa res; ut 'Imaginaria militia' ap. Suet. Claud. XXV. et 'Imaginariæ venditiones' ap.

Jctos; de quibus Interpretes Institution. ad §. 6. *Quib. mod. jus patr. pot. solv.* ad l. 16. D. de R. J. et Briss. de V. S. Supra I. 1. 9. 'Imaginem urbis magis, quam urbem fecerat.'

§. 5 *Consule Metello*] Aut prætore, si Vellcio, I, 11, 2. credimus. Consulem facit et Pausan. p. 421. *Freinsh.* Locus est Achaic. c. XIII. Florus sæpe 'Consules' pro Proconsulibus et Prætoribus dicit, II. 2. 7. II. 7. 6. et 12. et alibi. Metellus, qui Andriscum vicit, adeo tum Consul non erat, ut etiam deinde consulatum peteus repulsam tulerit. Val. M. VII. 5, 4.

Cum legione] Minuit nonnihil cladem. In Epit. Liv. L. est, cæsum cum exercitu Prætorem. Eutrop. IV. 6. internecionem exercitus Romani memorat, et Oros. IV. 22. maximam cladem totius Rom. exercitus.

Servitute mulctavit] Victo enim Perse, libera relicta fuerat, legibusque optimis, quas Paullus præscripserat, utebatur: vid. Liv. 45, 29. *Freinsh.* Errorem Auctoris Epit. Liv. XLV. Macedoniam a Paullo Æmilio in formam provinciæ redactam scribentis, notarunt ad eum locum Gronovius, et Perizon. Animadv. Hist. c. IX. p. 374. et ante eos Sigon. I. de Ant. Jur. Prov. 8. 'Multare servitute' dicit Florus, ut sæpe alii 'exsilio,' 'morte,' 'vinculis,' de pœna, quæ imponitur. Interdum additur ablativus rei, quæ adimitur, 'multare bonis,' 'libertate.' Schulting. ad Calp. Flacc. Decl. XVII.

Hoc quoque illi in malis indulgente fortuna] Ryck. *hoc quoque illi in malis suis indulgente fortuna.* Græv.

Ut de eo pop. Rom., &c. triumpharet] Egregium vero solatium, quale Antiocho etiam contigit, supra, 2, 8, 4. 'Quod a Rom. victus est.' Iis porro, 'quasi de vero rege,' simile exemplum, inf. 3, 20, 14. de Spartaco: 'Quasi imperator occisus est.' *Freinsh.*

CAP. 15 Bellum Punicum tertium scribunt fere omnes. Epit. Liv. 48, et 49. Appian. Libyco. Augustin. Civ. 3, 21. Plut. Catone, Eutrop. 4. 3. Oros. 4, 22, et 23. Auctor de Vir. Ill. cap. 58. *Cam.* Vide omnino Strab. lib. 17. p. 573. Meminit et Themistius, Orat. 10. de Pace ad Valentem: et Zonaras, Annal. tom. 2. *Freinsh.*

§. 1 *Exiguum*] Ita v. e. sine verbo *fuit:* quod sequebatur in postea vulgatis: neque alioqui comparet in Pal. *Grut.* Neque in aliis scriptis, præterquam in Ryck. et Fran.

Patratum] V. E. *peractum*, quod Gruterus pro interpretamento alterius vocis habebat. Ita tamen etiam Pal. 1. Magl. Berol. et Duisb. et recepit Begerus. Pal. 2. *paratum.* Flor. *protractum*, Ryck. *paractum.* Fran. *patum.* 'Peragere bellum' sæpe quidem dicunt Florus et alii. Sed malo hic sequi Gruterum et Voss. 'Patrare bellum' usitatum est optimis quibusque scriptoribus, Livio, Sall. Velleio, Suet. et aliis. Vid. Ciaccon. ad Sall. Jug. XIX. et *patratum* hic habent aliæ omnes Edd. Vett., idque etiam Vin. e libris suis, ut puto, edidit. Ap. Justin. quoque II. 6. hæc permutantur, et in Eutrop. II. 10. pro vulgato, 'Tertio anno in Sicilia contra Hieronem bellum paratum est,' Glarean. ad Eutrop. et Wass. ad Sall. Jug. XXIV. probabiliter substituunt *patratum.*

In comparatione priorum] Lege, *in comparationem priorum:* sic alibi loquitur, ut lib. IV. cap. 10. 'Nihil acciderat in comparationem cladis, quæ in posterum diem imminebat.' *Salm.* *In comparatione* habent omnes libri. Curt. III. 11. 'Strata erant itinera vilioribus sarcinis, quas in comparatione meliorum avaritia contempserat.' Justin. III. 7. 'Prorsus ut in comparatione damnorum longe pluris fuerit ultio, quam injuria.' Quintil. Decl. VII. 2. 'Felices illos in mei comparatione patres.' Si omissa fuisset præpositio *in*, nemo dubitaret recte dictum in ablativo 'comparatione pri-

orum,' ut ap. Hirt. VIII. B. G. 8. 'Quæ (*legio*) octavo jam stipendio functa, tamen collatione reliquarum nondum eandem vetustatis ceperat opinionem.' Itaque non minus rectum est 'in comparatione:' quum in his præpositio omissa semper explenda sit.

Labore: non enim] Ita distinxi, suadente sententia, et volentibus chirographis Pal. *Grut.* Cf. inf. 4, 2, 6. *Freinsh.*

Maximum eventu] Hausi e v. e. id etiam adprobantibus iisdem Palat., sententia prorsus volente, ut fuerit scilicet bellum tempore quidem exiguum laboreque; sed tamen maximum eventu: editi, *maximo eventu. Grut.*

Finita est] Deleta, eversa. Homines sæpe dicuntur *finiri*, pro, exstingui, interire. Sen. ad Marc. III. 'Ætati tuæ, quod non præcipitet te quamprimum, et finiat, infestissima eris.' Plin. I. Epist. 12. 'In illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipsa necessitate solatium est.' Plura Grævius et alii ad Justin. XXVII. 3. Hoc Florus ad urbes transfert: nam de his, tamquam de hominibus loquuntur veteres, easque nasci et mori, et cadavera urbium prostratarum dicunt. Vid. P. Fabr. I. Semestr. 8. et 9. et Freinsh. supr. ad I. 12. 11.

§. 2 *Atque si quis*] Quidam, *At si quis:* nihil muto. *Salm.* Ryck. ut nonnulli alii, *At si quis.* Græv. *At* erat in Pal. 1. *Atque* in Naz. et Pal. 2. cum quibus consentiunt etiam alii s. et edd. excepta Ald. Tollius Fortuit. c. XXVI. mavult, *Itaque si quis.* Wopkens. II. Lection. Tullian. 6. recte probat *Atque.*

Trium temporum momenta] Freinshem. in Ind. 'momenta' exponit 'puncta:' non satis aperte. *Momentum*, metaphora a lance petita, sæpe dicitur id, quo accedente res in alteram partem inclinatur. Liv. XXVII. 45. 'Eo ipsos, quantumcumque virium momentum addiderint, rem omnem inclinaturos.' Cic. V. Phil. 10. 'Minimis momentis maximæ inclinationes temporum fiunt, cum in omni casu Reip. tum in bello.' Justin. XVII. 2. 'Pyrrhus ingens momentum futurus utri parti socius accessisset.' Dicit ergo Florus: Si quis consideret, quid tribus temporibus perfectum sit, quibus veluti gradibus bellum processerit, quæque per singulos gradus inclinatio rerum facta fuerit. Ita fere Quintil. V. Inst. Orat. 10. 'Ut sunt autem tria tempora, ita ordo rerum tribus momentis consertus est. Habent enim omnia initium, incrementum, summam: ut jurginm, deinde cædes, et strages.' Vid. etiam cl. Burm. ad Vellei. II. 78.

Commissum] Eod. modo Liv. XXI. 40. ap. Freinsh. in Ind. v. *profligare*, distinguit *committere*, *profligare*, et *conficere bellum*: 'Ita,' inquit, 'forsitan decuit cum fœderum ruptore Duce ac populo Deos ipsos, sine ulla humana ope, committere ac profligare bellum: nos autem, qui secundum Deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere.' Et Augustus in monumento Ancyrano 'cœpta, profligata, ac perfecta opera.' Est autem *profligare bellum* prope ad exitum adducere, pæne conficere. Cic. XII. Ep. Fam. 30. 'Qui profligato bello, ac pæne sublato, renovatum bellum gerere conamur.' Add. Liv. XXXV. 6. Justin. XV. 4. et XXXI. 7. Tac. II. Hist. 4. et alibi. Et sic etiam aliæ res 'profligari' dicuntur; quod multis Scriptorum veterum testimoniis contra Gellium et Nonium ostenderunt Muret. et Lips. ad Sen. de Vit. Beat. I. Lips. ad Tac. II. H. 4. Mannt. ad Cic. VIII. Ep. Fam. 9. Græv. ad Justin. XXII. 8. et Freinsh. in Ind. Flori v. *Profligare.*

§. 3 *Causa belli*] In Epit. Liv. XLIX. quatuor referuntur hujus belli causæ, sed non omnes æque justæ. Vid. Appian. in Punic. Velleii de justitia belli tertii Punici hoc judicium est I. 12. 'Sub idem tempus magis, quia

volebant Romani, quidquid de Carthaginiensibus diceretur, credere, quam quia credenda adferebantur, statuit Senatus Carthaginem excidere.'

Territabat] Sic Pall., et editio vetus: nam alii, *territarent;* ex quo quidam, *tentarent:* quod certe non probo. De re vide Appian. et Epit. Livii. Causam autem belli quod attinet, veriorem eam, meo quidem animo, fatetur Velleius, 1, 12, 5. 'invidiam' nimirum 'imperii.' *Freinsh.* Tollius l. d. legit, *tertio vero confectum esse dicet. Causa belli, quod ... frequens autem Masinissæ fines attrectaret:* ut III. 5. 3. 'Attrectari terminos suos a Nicomede.' Videtur quidem paullo insolentius esse *territare fines* alicujus; sed non tutum est aliquid novare contra libros. Nec tamen puto ex eo, quod Statius IV. Silv. 6. 99. scribit Herculem 'Iliacas ac Geticas domos, et Stymphalum atque Erymanthum terruisse,' cujusmodi et alia ap. antiquiores Statio leguntur, effici, hanc phrasin usitatam esse; quod videtur velle doctiss. Schraderus Animadv. ad Musæum cap. XVIII. Quin etiam nunc propemodum credo *territabat* corruptum esse. Quum enim Carthaginensibus objectum fuerit eos Masinissæ arma intulisse, Liv. Epit. XLIX. *territabat* lenius, quam pro ea re, verbum est: nam fines alicujus etiam non inlatis armis territari possunt. Et haud scio an Florus scripserit *tentabat*, id est, aggrediebatur, invadebat: supr. II. 14. 4. 'Virum temere tentavit.' Suet. Claud. XVII. 'Britanniam neque tentatam ulli post D. Julium.' In quibus suppleri potest, bello. Sall. Cat. VI. 'Reges populique finitimi bello tentare.' *Territaret* est in quibusdam editis, ut scil. convenirent *parasset* et *territaret*. Nec tamen alterum est sine exemplo. Vid. Terent. And. IV. 1. 25. ibique Donat. et Virg. Æn. III. 367. Salm. e Naz. adnotarat *se parasset classem*, ex eoque conjecerat *reparasset*. *Separasset* habet etiam Voss. 2. In Ryck. est, *quod contra fœderis legem quippe semel parasset classem. Masinissæ* nomen varie scribitur in omnibus libris vett. *Massanissa, Massinisa, Masinissa.* Vid. Sigon. ad Liv. XXIV. 49. Gron. ad XXV. 34. et Schott. ad Aur. Vict. XLIX. In fragmento Legis Thoriæ ap. Fulv. Ursin. ad Cic. c. X. de Senect. 'Massinissa.' Unde recte conficit cl. Drakenb. ad Sil. It. XVI. 117. veteres in secunda syllaba scripsisse *i*. Eadem scriptura, quæ in illo fragmento, hic est in Duisb. et v. e. In Polyb. Plutarch. Appian. Suida, aliisque Græcis itidem varie editur, sed fere cum *a* in secunda syllaba. Ap. Lucian. Macrob. p. 471. Μασσινισσᾶς.

§. 4 *Sed huic bono socioque regi favebatur*] N. Heinsius scribit: *Et huic bono socioque regi favebatur:* quia 'sed' præcesserat. *Græv.*

Quum bellum sederet] Eleganter et venuste *bellum sedere* diceret, quod plane depositum et finitum non erat, sed intermissum et pro tempore cessatum: quidam tamen heic legunt, *cum bellum sedaret*, quos minime sequendos puto: contra enim accipiendum est, ac illi putant: *cum bellum sederet*, exponendum, cum bellum decretum esset: ut dicimus, 'sententiam sedere;' sic 'bellum sedere,' eadem imagine: et ita accipi postulat sententia; nisi enim bellum decretum fuisset, quam ineptum erat dicere, de fine belli tractatum est? Acumen est Annæi, fiduciam virium Romanarum respicientis: Cum, inquit, vix bellum suscipiendum esse decrevissent, jam de fine belli tractabant: tota igitur errarunt via, qui, *sedaret*, heic legebant, nec mentem horum verborum attenderunt. Nazarianus, *bello sederet:* perperam. *Salm.* Naz. *cum bello cederet.* Inde N. Heinsius: *Cum de bello sederet, de belli fine tractatum est.* Cum de bello gerendo deliberatum esset. *Græv.* Perizonius

adscripserat a Salmasio notari Acidalium ad Vellei. I. 8. qui e vetusta editione, nescio qua, legit *sedaret*, pro, sedatum esset, sive quiesceret, quod male adripuit Bernegger. ad Justin. XXXVI. 2. *Sedaret* nusquam inveni nisi in Ed. Parv. Voss. 2. et 3. *cum bello sederet:* ut Naz. sed *bellum* non mutandum arbitror. *Bellum sedet* pro decretum, certum est, sic dicitur, ut alibi apud Florum 'Consilium,' et 'Sententia sedet.' Vid. Freinsh. in Ind. et Perizon. ad Sanct. Min. IV. 4. 114. Virg. Æn. v. 418. 'Idque pio sedet Æneæ:' et Æn. VII. 611. 'Ubi certa sedet Patribus sententia pugnæ.'

Cato] Appianus, Libyco, pag. 38. 'Fertur, Catonem nunquam non pro sententia dixisse, delendam Carthaginem: ei Scipionem Nasicam contra dixisse, imo sinendam Carthaginem, ut ejus metu disciplina a majoribus tradita, jam labascens, retineatur.' Vide Cic. de Senect. 6. 8. Qua autem maxime ratione patres moverit Cato, narrat Plinius, 15, 18. et Plutarch. in Vita. Eadem hæc pulcre referuntur a Diodoro, in Excerpt. Vales. p. 382. cf. etiam L. Ampelium. Perspexit hoc Lucanus, 6, 788. 'Major Carthaginis hostis Non servituri mœret Cato fata nepotis.' *Freinsh.*

Et quum de alio consuleretur] 'Erat quippe frequens senatoribus, si quid e rep. crederent, loco sententiæ promere.' Tac. 2, 33, 3. et 13, 49, 3. Observavit hoc etiam, ut alia pleraque, celeberrimus merito suo Brisson. lib. 2. Form. p. 185. et post eum Rosinus, antiquitatum 7, 7. *Idem.* Cato nimirum quacumque de re sententiam dixisset, addebat: 'Insuper censeo delendam esse Carthaginem.' Plutarch. in Cat. maj. Hoc dicebatur, ut hic Perizonius, egredi relationem. Vid. Gron. I. Obs. 22.

§. 5 *Ne metu ablato æmulæ urbis*] Hoc *urbis*, quia mox repetitur, hic omitti poterat. In re ipsa remittimus lectorem ad eos, qui prius hac de re egerunt: videatur Amiratus Dissert. Polit. 14, 1. et Gruterus ad Liv. 2, 21, 6. Quibus addatur Cleomenis dictum apud Plut. Apophth. Lacon. 76. qui, 'dicenti, Cur Argivos devictos, qui sæpe bellum contra vos susceperunt, non delevistis? Nequaquam delendi nobis, respondit, ne desint, qui juvenes nostros excerceant.' Eod. lib. c. 4. 'Cum Lacedæmonii urbem quandam vi cepissent, Ephori dixerunt, Periit palæstra juvenum non habiturorum concertatores. Aliam urbem, quæ sæpe negotium exhibuerat Spartanis, rege ipsorum pollicente, se funditus deleturum, non permiserunt, inquientes: Noli abolere aut delere cotem juventutis.' Adde Ælian. H. V. 14, 25, 2. Sic Epaminondæ 'morte etiam Atheniensium virtus intercidit. Siquidem amisso, cui æmulari consueverant, in segnitiam torporemque resoluti,' &c. Justinus 6, 9, 1. Porro in scriptura etiam hujus loci est quod desiderem: nam vox ista *urbis*, cum statim sequatur convenientiori sede, aures hic inamœno sonore ferit: igitur abjiciendam putem, præsertim cum nihil juvet sensum, sed inquinet. *Freinsh.* Optime Ryckianus: *luxuriari felicitas inciperet:* perperam *urbis* repetitur hic, id quod et Freinshemius, et ante Freinshemium Lipsius pridem animadvertit. Paullo post idem codex Ryck. *spe pacis ingesta:* dein idem: *in armorum officinas.* Græv. Tollius l. d. potius tollendum censet, *urbis* post 'æmulæ,' idque ibi in exemplaribus suis deleverant Heins. et Perizonius. Et sic edidit Beger. at Amst. id, quod est in Ryck. Non dubito quin alterutro loco recte tollatur *urbis:* etsi aliter sentire video bene doctum Græcis et Latinis literis Schraderum in Animadv. ad Musæum cap. XIII. Sed nec conjecturas Virorum doctorum, nec unius libri scripturam, quam in priore edi-

tione operæ typographicæ ex edit. Amst. me invito dederant, exprimere debui. Nec laudo, quod Begerus e Ryck. recepit *ingesta*, quum nulla auctoritate veterum confirmaverit ita recte dici: quod etiamsi potuisset, tamen relinquendum fuerat *injecta*.

Loco moveretur] Situ enim maxime opportuno erat Carthago, unde præcipua illi opum initia et incrementa; quod etiam tangit Censorinus, in Orat. ad Carthaginienses, ap. Appian. in Punicis. Hac de caussa Corinthum, alterum oræ maritimæ ocellum, sustulerunt Romani, 'opportunitatem loci maxime sequuti, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.' Cicero de Off. 1, 11, 4. *Freinsh.* Hic quoque Tollius delet vocem *urbs*, addita ratione, quia civitas, quæ non muris, sed civibus continetur, loco moveri potest, non urbs. Vanum est acumen Tollii. Justin. XVIII. 5. de Carthagine: 'Propter quod in alium locum urbs translata.' Græci quoque eodem modo dicunt μεταθεῖναι et μεταστῆναι πόλιν εἰς ἕτερον τόπον, quemadmodum de Sybari Strabo Lib. VI. p. 263. et Diod. Sic. Lib. XII. p. 295.

§. 7 *Manilio Censorinoque Coss.*] De nominibus horum Coss. non omnes conveniunt. Eutrop. habet, 'L. Mallio Censorino, M. Mallio, Coss.' Oros. 'L. Censorino, M. Manlio, Coss.' Liv. 49. 'L. Martio, M. Manlio, Coss.' *Cam.* Utcunque se res habeat, in nomine vel prænomine vitium sit oportet, hoc argumento, quod Manlio Capitolino post necem illatam hæc quoque 'gentilitia nota' addita est; 'gentis' enim 'Manliæ, decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur:' ap. Liv. 6, 20, 12. Vinetus, in somnium Scipionis, ostendit, horum Coss. nomina fuisse, 'L. Marcius Censorinus,' et 'Manius Manilius.' *Freinsh.* Reete Vinetus. Adi Pigh. ad A. U. 604.

Sub ore] Idem, quod alii sæpe dicunt 'in ore.' Vellei. II. 79. 'Gravis sub ipsius Cæsaris oculis accepta clades.' Et Justin. I. 4. Flor. IV. 2. 52. Vid. Burm. ad Vell. II. 21.

§. 8 *Ut migrarent finibus*] Eandem conditionem Saguntinis etiam obtulit Annibal, quam ipsi non magis acceperunt, quam h. l. Carthaginienses. Vide Liv. 21, 13, 6, De Carthagine cf. Excerptum Polybii ap. Vales. p. 177. *Freinsh.* Tollius ib. *ut migrarent imperatum*, vel, *ut migrarent sedibus imperatum*. Nam *finibus* esse contra historiæ fidem. Non credo. Consules ex SCto imperaverunt Carthaginiensibus, ut relicta urbe aliam, quocumque loco vellent, in sua terra conderent, sed minimum 10. M. passuum a mari remotam. Appian. Punic. p. 46. et Oros. IV. 22. Hoc Florus recte potuit dicere iis imperatum, *ut migrarent finibus* suis, i. e. ut puto, finibus agri Carthaginiensis, non finibus omnium terrarum, quas in Africa tenebant.

Comploratum] Liv. XXX. 44. 'Tamquam in publico funere comploratis.' Et XXXVII. 7. 'Complorantes inutili lamentatione fortunam gentis.' Vid. Freinsh. Ind. et de re Appian. in Pun.

Ad arma] Vox in repentino tumultu ad arma capiendia hortantium. Multa de hac Briss. IV. Form. p. 344. Zinzerling. Promuls. Crit. c. LI. et Heinsius ad Ov. XI. M. 377. 'Rebellandum,' est repugnandum: vid. ad Liv. XL. 47.

§. 10 *In usum*] Liv. XXX. 10. 'Naves in onerariarum usum versæ.' Tac. XV. A. 44. 'Ut in usum nocturni luminis urerentur.' Appian. Punic. p. 75. scribit, naves e vetere materia, quæ suppetebat, factas.

Aurum et argentum] Idem refert Adonis Chronic. anno 4614. *Freinsh.* *In officinas*, quod Grævius paullo ante adnotabat e Ryck. etiam Nazar. uterque Pal. Regg. Flor. Berol. Duisb. Fran. Voss. et v. e. Si hæc scriptura

recta est, non potest aliter intelligi, quam aliis locis massas auri et argenti conflatas, et deinde in officinas armorum delatas. Sed vitiosam credo.

Matronæ crines suos contulerunt] Hæc omnia latius videre est ap. Appian. Crinium hac in re usum quod attinet, sæpius experti sunt veteres. Vide Veget. 4, 9. et quos ibi citat Stewechius, ut Capitolin. in Maximinis (sive Maximo et Balbino, cap. 11, et 16.): Vitruv. 10, 17. Diou. in Severo: Cæsar. B. C. 3, 9. Appian. de Bell. Punic. quibus add. Frontin. 1. 7, 3, et 4. Polyæn. de Thasiis, lib. 8. c. 67. *Freinsh.* Casaub. ad Capitolin. Maximin. Junior. VII. et Lips. III. Poliorcet. 3. 'In vincula,' ut Terent. Andr. II. 2. 32. 'Olera et pisciculos minutos in cœnam.' Vid. ad I. 26.

§. 11 *Mancino deinde Cos.*] L. Hostilium Mancinum hoc bello non fuisse Cos. satis certum est, sed proximo anno post devictam Carthaginem, Annales Coss., et Plinius, 35. 4. testantur; quia L. Mancinus primum cum exercitu Carthaginem irrupit, et pictam Carthaginem, præliaque facta, in foro proposuit; proximis comitiis Cos. creatus est: quare hic, aut *legato*, aut *classis præfecto*, scribendum est: legatus enim pro collega Sp. Postumio Albino datus est Calpurnio Pisoni Cos.; et classis præfectus fuit, quousque eum Scipio Aimilianus Romam remisit. *Stad.* Hic est ille Mancinus, qui, sicut Africanus prior, utero matris excisus est: ita enim videtur legendum ap. Plin. 7, 9. non, ut vulgatur: *Manlius:* et ibidem, 'Auspicatius enecta parente gignuntur,' malim legi *execta:* eadem forma, qua 'Exciso utero edere' dixit Ulpianus, l. 141. de V. S. *Freinsh.*

Operis portus nudatus] Magnum illud Belgicæ decus J. Lipsius olim Lugduni Batavorum præcepit hunc locum sic esse legendum et distinguendum: *Mancino deinde legato terra marique fervebat obsidio, operis partitis. Nudatus primus, et sequens et jam tertius murus.* Ingeniose fateor; cui subscriberem, si 'nudari' simpliciter poni, non addita re, qua quid nudatur, pro, nudari defensoribus, constaret. Nam ap. Tac. IV. H. 33. nudasse latera legionum dicuntur Nervii, quæ scilicet texerant, ut solebant alæ in acie sociorum latera tegere Romanorum, quæ si non essent munita, dicebantur apertum latus habere. Cæs. II. B. G. 'Quorum pars aperto latere legiones circumvenire.' Et lib. VII. 'Veriti ne ab latere aperto, et superioribus castris circumvenirentur.' Freinshemius existimavit *operis* pro *operibus* poni, aut rescribendum esse *operibus*. Sed non est ut contra codicum omnium fidem hic quicquam innovemus. *Operis portus nudatus* est, operariis privatus et vacuefactus. Operæ sunt operarii. Suet. Vesp. I. 'Petronii patrem e regione Transpadana fuisse mancipem operarum, quæ ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare solebant.' Horat. lib. II. Sat. 7. 'Accedes opera agro nona Sabino.' Operarii autem hic sunt et qui custodiunt ac tuentur portum et muros, et qui navant operam defensoribus in apportandis necessariis rebus et sarciendis labefactis operibus vi hostili. Dicitur autem murus et portus operis nudari, ut ap. Cæs. de B. G. II, 6. 'Nudari defensoribus murus.' Si Lipsii emendationem et distinctionem sequaris, nihil erit, quo nudatum portum et murum significet Florus. Si Freinshemio assentias, sententia erit absurda, *operibus* nudatum esse murum. Ipse enim murus erat opus. Quid enim 'opus' nisi munimentum loci? Hinc Liv. 'Urbs magni operis,' aut 'magnis operibus munita,' est egregiis munitionibus firmata. Non est ergo ut a

lectione priscorum librorum recedamus: etsi 'operæ' in hac notione, qui operam præstat defendendæ urbi, alibi non occurrat. Ceterum *Manilio* pro *Mancino* legato scribendum esse ait Vir consultissimus et doctiss. Florentius Pittenius JC. quia M. Manilius hoc bellum primum ut Consul, dein prorogato imperio gesserit pro Consule per biennium, uti bene observavit Sigonius ad Livii Epit. L. Cui adstipulatur Appianus in Libycis p. 57. Οἱ δ' ὕπατοι διελόμενοι τὸ ἔργον ᾔεσαν ἐπὶ τοὺς πολεμίους, Μανίλιος μὲν ἀπὸ τῆς ἠπείρου κατὰ τὸν αὐχένα: *Consules partitis operis hostem aggressi sunt, Manilius per cervicem a continente.* Græv. Emendatio *Manilio Legato* pro *Mancino Cos.* mihi non probabilis videtur. Primum, quia existimo Florum velle indicare quibus Ducibus obsidio Carthaginis inchoata, continuata, et ad finem perducta fuerit, qui, ut ex Appiano intelligitur, Coss. fuerunt, et Procoss., non legati. Nam primo loco memorat Manilium et Censorinum Coss. a quibus ea est inchoata, tertio Scipionem itidem Cos. ac deinde Procos. a quo confecta. Cur ergo his secundo loco medium interponat Legatum? Deinde, quod ea adversatur narrationi Appiani, qui p. 59. et 66. auctor est, Censorino eodem anno, quo in Africam venerat, Romam ad habenda comitia reverso, Manilium in Africa Procos. non Legatum rem gessisse, donec ei anno sequente U. 605. ineunte vere successor venit Piso Cos. Itaque, si quid mutandum esset, potius emendandum fuerat *Manilio Proconsule*, quemadmodum eum vocat Val. M. v. 2. ext. 4. Nam quod dici possit, Manilium forsitan deinde Pisoni Legatum fuisse, id quum nulla nitatur auctoritate, et in sola conjectura positum sit, nihil valere potest ad superstruendam tam infirmo fundamento conjecturam. Magis probo sententiam Stadii, Florum errasse, et Mancinum *Consulem* facere, qui tum 'Præfectus classis' cum Pisone in Africam venerat, ut Appian., qui etiam 'Legatus' dicitur in Epit. Liv. LI. Errori causam præbere potuit, quod Mancinus, Pisone ad oppida mediterranea oppugnanda profecto, cum classe in statione ad Carthaginem relictus, interim in Urbem irrupit, Appian. Punic. p. 68. ac deinde Romæ Carthaginem pictam proposuit. Nec locus Appiani apud Grævium quidquam facit ad fulciendam conjecturam Pittenii. Nam Florus hic de secundo anno obsidionis agit; Appianus autem de primo, et narrat, qua ratione Manilius et Censorinus Coss. oppugnationem inter se partiti fuerint. Pighius ad A. U. 606. putat, Mancinum hic errore scribarum *Consulem* dici, qui 'Proprætor' fuerit. Sigonius ad Epit. Liv. L. scribit Manilium prorogato imperio bellum per biennium in Africa gessisse pro consule, eique deinde anno tertio obsidionis Scipionem Cos. successisse. Itaque etiam ex ejus sententia legendum esset *Manilio Procos.* Sed non satis considerate Sigonius. Nam certum est ex Appian. et Zonara IX. 29. Pisonem Cos. A. U. 605. qui erat secundus annus obsidionis, Manilio successorem in Africam venisse, et quidem ineunte vere ejus anni; post cujus adventum cum nemo deinde a Manilio quidquam rei in Africa gestum prodat, ex eo colligi debet, eum tradita successori provincia statim Romam reversum fuisse. Libri veteres hic nihil variant. Sola V. E. pro *Mancino* habet *Lucio Manlio.* Hæc de conjectura Pittenii. Non magis possum probare Grævii interpretationem verborum *operis portus nudatus.* 'Operas' dici pro iis, qui operas præstant, in confesso est. Sed non credo usquam sic appellari defensores murorum. Nec video, cur Florus hos insolita voce maluerit vocare *operas*, quam, ut alii in tali re, 'defen-

sores.' Hi enim potissimum sunt, qui repugnant, et repellunt hostes, non operarii. Tollius Fortuit. XXVI. legit: *Per partes nudatus et primus, et sequens, jam et tertius murus.* Huic conjecturæ idem obstat, quod Lipsianæ, et quod longius etiam a scriptura librorum recedit. Conjectura Freinshemii in Ind. legentis *operibus* pro *operis*, omnibus aliorum sententiis tolerabilior videtur. 'Opera' portus sunt omnes munitiones ad portum tuendum exstructæ. Hoc quidem non æque bene referri potest ad muros, qui et ipsi sunt 'opera:' sed tamen etiam turres murorum, propugnacula ante muros posita, et omne aliud genus munimentorum a muris ipsis diversum, *operum* nomine adpellari possunt; ut quum Tac. v. H. 11. de Hierosolymis dicit: 'Urbem arduam situ opera molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur.' Qualia autem fuerint opera portus et murorum multis describit Appian. Punic. 56. 76. 77. Idemque auctor est, Urbem ab ea parte, qua arx erat, triplici muro munitam fuisse p. 57. *Portus nudatus, nudatus et primus* Voss. 1. Schefferus suspicatur *operis paratu nudatus*, ut *paratu operis* sit, *apparatu operis.*

Byrsa, quod nomen arci fuit] Carthaginis situm Appianus, Libycis; et Strabo, lib. 17. (nam ap. Liv. lib. 26. desideratur), describit: sitam esse in peninsula, cujus cervix in meridiem continenti Africæ trium fere millium latitudine adhæreat, in qua Byrsa et murus ille triplex. *Stad.* Vide et Justin. 18, 5. *Freinsh.* Fabulam, quæ ap. Virg. I. Æn. 367. et alios de origine hujus adpellationis legitur, exploserunt Scaliger in Not. ad Fragm. Vet. Græc. post libros de Emend. Temp. p. 30. Bochart. Chanaan. I. 24. et Reines. Diss. de Ling. Punic. c. VIII.

§. 12 *Profligato*] Immo vix quidquam profligatum erat, quo tempore Scipio cum imperio in Africam venit. Vid. Appian.

Fatale Africæ nomen Scipionum] Idque secutis etiam temporibus creditum: Suetonius, Cæs. 59. 4. Cic. de Harusp. Resp. c. 4. pr. Videtur huc alludere Virg. Æn. 1, 401. [f. 1, 23.] *Fr.*

Reposcebat] Compositum pro simplici. Virg. XII. Æn. 2. 'Sua nunc promissa reposci.' Suet. Aug. XLII. 'Populo promissum congiarium reposcenti.' Inf. III. 17. fin.

Hunc Paullo Macedonico procreatum] 'Paullus Æmilius, ex quatuor filiis formæ insignis, egregiæ indolis, duos jure adoptionis in Corneliam Fabiamque gentem translatos, sibi ipse denegavit,' &c. Val. M. 5, 10, 2. Lege Plut. in Æmilio, cap. 7. (et Livium, 45, 41, 10.) in fœdum errorem Appianus, Syriac. p. 105. c. prolapsus est, qui hunc Scipionem Æmilianum eum fuisse opinatus est, qui ab Antiocho puer captus fuit, et P. Scipioni patri restitutus. Sed ejus oppositum Latini omnes asserunt. Lege Val. 3, 5. *Camers.* Appiani errorem observavit etiam Bongarsius, ad Justin. 31. 7, 4. *Freinsh.*

Africani illius magni] Africanum superiorem Latini Scriptores interdum 'Magnum' vocant, et Græci sæpe Μέγαν. Hoc Henr. Valesius, Rupert. et Spanh. non pro cognomine illius habendum, sed idem esse censent, quod, 'Majorem,' 'Superiorem,' Πρεσβύτερον, et hunc sic dictum ad distinctionem alterius Africani, qui 'Minor,' 'Posterior,' Νέος, et Νεώτερος dicitur. Contra Perizonius in Animadv. Hist. c. 1. in fin. Africano superiori cognomen fuisse *Magno* disputat. Bene, mea quidem sententia, respondet illius argumentis Spanhemius in nupera Editione Operis de Præstant. et Usu Numism. Dissert. X. p. 67, cujus sententiæ etiam hoc aliquid ponderis addit, quod Plutarch. in Cat. Maj. p. 631. Ed. Steph. Scipioni τῷ μεγάλῳ diserte

opponit Scipionem τὸν νέον: 'Cum graviter,' inquit, 'Scipioni τῷ μεγάλῳ adversatus fuisset in Rep. vitam produxit usque ad Scipionem τὸν νέον.' Ap. Florum epitheton *magni* eod. modo accipio, quo id sæpe aliis excellentibus et præclaris viris tribuitur. Ita 'Amphitryoniades magnus' Virg. VIII. Æn. 103. 'Amilcar magnus' Liv. XXIV. 41. et *Scipio magnus* Ov. Art. Am. 409. 'Ennius emeruit Calabris in montibus ortus Contiguus poni, Scipio magne, tibi.'

In decus gentis assumpserat] I. e. non, ut esset decus gentis; sed ut frueretur decore, honore, gloria hujus familiæ. *Freinsh.* in Ind. Nihilo deterius est alterum. Quum ipse liberos non haberet, adoptavit eum ad propagandum decus et gloriam familiæ Scipionum. *Adsumere filium* pro adoptare, Plin. Paneg. VIII. 'Te filium sibi, hoc est, unicum auxilium fessis rebus adsumpsit.'

Concusserat] Liv. XXVIII. 44. 'Concusso jam et pæne fracto Annibale.' C. Nepos Epam. VI. 'Ut non minus illa oratione opes eorum concusserit, quam Leuctrica pugna.' Vid. Perizon. ad Liv. XXXIII. 19. Cicero de Harusp. Resp. IV. 'P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumque Carthaginis, qui illam a multis Imperatoribus obsessam, oppugnatam, labefactatam, pæne captam aliquando, quasi fatali eventu, solus evertit.'

§. 13 *Sed ut quam maxime mortiferi*] 'In gladiatoribus quoque conditio dura victoris est, cum moriente pugnantis. Nullum magis adversarium timeas, quam qui vivere non potest, occidere potest. Concitatissima est rabies in desperatione, et morte ultima in furorem animus impellitur.' Sen. Controv. Epit. 9. 6. *Freinsh. Sed ut quam maxime mortiferi*] Omnes Mss. omnes edd. ante Freinshemianam ignorant *ut*, quod, ut loco sententia constaret, intruserunt. Lipsius conjiciebat: *sed quomodo maxime mortiferi esse morsus solent.* Non male. *Græv.* Admisi quidem conjecturam Freinshemii, sequutus omnes, qui post eum hunc Scriptorem ediderunt, præter Begerum, qui maluit *quomodo*; sed præfero conjecturam Lipsii, ut propius accedentem ad scripturam librorum veterum. Et 'quomodo' sequente 'sic,' vel 'ita,' non semel ap. Cic. aliosque legi ostendunt Stewecb. et Tursell. de Partic. Ling. Lat. Veniebat in mentem etiam legi posse *sed quasi maxime.* Nam et *quasi* in comparationibus sequente *sic*, vel *ita* usitatum est. Plaut. Mercat. IV. 2. 5. 'Sed coquos, quasi in mari solet hortator remiges hortarier, ita hortabatur.' Cic. de Senect. XIX. 'Et quasi poma ex arboribus, cruda si sint, vi avelluntur; si matura et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.' Hæc et plura Iidem l. d. et Gifan. in Ind. Lucret. v. *Quasi.* Error inde oriri potuit, quod *quasi* et *quam* in Mss. sæpe non omnibus literis, sed notis quibusdam compendiariis, non multum inter se dissimilibus scribuntur. Magl. *sed quia maxime*, et Berol. Duisb. et v. e. mox *soleant.* Doctiss. Wopkens. in Adversar. in Dictyn L. V. C. I. scripturam tuetur omnium librorum e Virg. v. Æn. 459. 'Quam multa grandine nimbi Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.' Videndum tamen puto, cur 'Quam' ibi magis accipi debeat pro Sicut, Quemadmodum, quæ debet esse significatio hujus vocis in scriptis Flori, quam II. Georg. 103. 'Quam multæ species,' et VI. Æn. 309. 'Quam multa folia.' Nam sententia loci illius verba poëtæ etiam ita exponi patitur, *quam multa grandine tam densis ictibus.* Sed sive hoc, sive illo modo accipias, credo esse genus loquendi satis rarum. 'Non ita quam' et 'Non sic

quam' dixit Propert. II. 4. 11. et II. 7. 71. quæ quidem confirmant conjecturam Viri docti in Dicty, sed ad defendendam lectionem Flori non multum faciunt.

Cum semiruta Carthagine] Voce, 'semirutum,' Annæum hunc solum usum esse volunt, nec præterea uspiam reperiri: sed falluntur: bis enim aut ter legisse apud alios certo memini. Schedæ meæ mihi non jam ad manum, ex quibus exempla profer. extare in Velleio puto, nisi me deficit memoria: optimæ glossæ apud me, '*Semiruta*, leviter emendata,' quam diversa significatione: censeo legendum, '*Semierrata*, leviter emendata:' at de illarum glossarum bonitate alias dicemus: aliæ glossæ: 'Semirutum, ἡμίχωστον.' *Sal.* Adi Indicem.

§. 14 *Portum quoque maris Romanus obsederat*] Quis iste portus maris? An portum maris αὐτόκτιστον καὶ αὐτοφυῆ ὅρμον, ut Græci dicunt, vocat? ut opponatur fossitio portui: sequitur enim, 'Illi alterum ibi portum ab alia urbis parte foderunt:' legebam aliquando, *portum quoque Mars Romanus obsederat*. Sed adhuc hæreo: cur non ita loquutus est, *portum quoque Romanus obsederat*, ut sexcentis aliis in locis loquitur? nihil tamen video melius illa lectione, quam etiam confirmant veteres libri. *Salm.* Merito Salmasius quærit, quis sit portus maris? legendumque conjicit: *portum quoque Mars Romanus obsederat*. Sed hoc poëticum nimis, et alienum a ratione, quia jam ante portum obsessum fuisse a Romanis dixit, quippe qui operis sit nudatus ab oppugnantibus. Malim igitur cum Gronovio legere: *portum quoque mari Romanus obsederat*, hoc est, classe: obsederat ante terra portum Romanus, sed nunc classe quoque obsidet; aut cum Pittenio *obstruxerat*, præfato Romanorum naves, quæ ante portum in statione fuerint, necessitatem alterius portus fodiendi Carthaginiensibus adferre non potuisse, nec eruptionem classis hostilis impedire, cum ne onerarias quidem naves, et annonæ illationem possent impedire. Qua re motum Scipionem exitum *portus maris* (ita forte ad distinctionem interioris portus, de quo Appianus in Libyc. p. 57.) aggeribus molibusque obstruxisse, quod et ipse postea Cæsar ad Brundusium tentarit, et nostra memoria Richelius Cardinalis ad Rupellam præstiterit. *Grav.* Tota hæc periodus est contaminatissima. *Mars Romanus*, quod Salmasius in exemplari suo e Naz. et Pall. adnotarat, etiam Voss. habent. Tollius retinebat *maris*, e Floro III. 6. 11. 'Per omnes æquoris portus, sinus, latebras.' Sed illius paullo alia ratio est: nam ut recte dicas v. g. 'piratæ per omnes illius maris portus sunt inclusi,' ita non eodem modo bene dici videtur 'portum maris obsidere.' Heinsius eumdem locum Flori adscripserat, sed pro *maris* posuerat conjecturam *armis*, cum loco Cic. e VII. Philip. 5. 'Armis obsedit Senatum' Antonius. Et sic Florus I. 24. 3. 'Totam eam dominationem obsessam armis.' Scheffero idem, quod Gronovio, in mentem venerat. Perizonius totum locum ita constituebat: *Cum pulsis in unam arcem hostibus, portum quoque mari Romanus obsideret, illi alterum sibi portum ab a. u. p. foderunt.* Eligat quisque quod lubet, vel meliora excogitet. Mihi *maris* non videtur ferri posse. Sed e conjecturis, quæ ad emendationem hujus loci adferuntur, maxime probo Perizonianam. Tollius quoque legebat *obstruxerat* e Liv. Epit. LI. 'Carthaginienses portu novo, quia vetus obstructus erat a Scipione, facto.' Et convenit cum narratione Appiani, qui tradit, Scipionem, quum classis Romana, quæ stationem ante portum habebat, eum non ita posset claudere, quin furtim ingrederentur naves commeatum por-

tantes, aggere mari injecto os portus obstruxisse, ac tum demum obsessos in alia parte portum fodisse. Sed non ideo satis tutum est mutare scripturam omnium librorum. Nam Florus etiam putasse potuit portum ita clausum et obsessum fuisse a classe Romana, ut Carthaginienses ea re ad novum portum fodiendum adacti fuerint.

Illi alterum ibi portum] Lege: *Illi alterum sibi portum ab alia urbis parte foderunt.* Hoc et Lipsio placuisse, et N. Heinsio in mentem venisse postea didici. Nam *ibi* et *ab alia urbis parte* parum congruunt. *Græv.* Sic quoque Perizon. et Tollius. Scheffer us suspicatur verba *ibi portum* ex glossa esse.

Sed quia nemo illos hac evadere posse credebat] Scripti omnes *nec* pro *hac* retinent: ita igitur hunc locum emendamus: *Illi alterum ibi portum ab alia urbis parte foderunt, nec ut fugerent, sed qua nemo illos nec evadere posse credebat:* manifesta sententia. *Salm.* Ryck. *sed qua nemo illos nec evadere posse credebat:* hoc est: Portum in alia urbis parte foderant, non ut per illum fugerent, sed ut ostenderent, se ibi portum posse facere, per quem possent effugere, si vellent, ubi nemo unquam non modo portum posse fieri, sed ne terra quidem evadere, si fugam adornarent, posse cogitasset. Sed friget hujus loci sententia, utcunque legas, et acumen ejus est valde hebes. Melior tamen est lectio scripti codicis, quam videtur Lipsius in suo quoque codice invenisse. *Græv.* In conferendo Cod. Ryckiano me fugerat in eo legi *qua* pro *quia.* Salmasius *qua* adnotarat e Naz. cujus scripturam Vossiani quoque habent. In aliis omnibus scriptis et editis est *quia*, præterquam in Ed. Plantin. et Amst. quæ exhibent *qua.* Præcedentia, 'non [*nec*] ut fugerent,' et tota oratio, ut bene animadvertit Begerus, requirunt *quia.* Non ob eam causam foderunt portum, ut fugerent, sed quia...*Hac evadere* Magl. et ex Edd. Vinet. et Grut. Reliqui scripti et edd. vett. etiam Camertis et Stadii, *nec evadere.* A Pal. 2. et Florent. utrumque abest: nam habent *quia nemo illos evadere posse credebat.* Fran. *quia n. i. hec e. p. c.* in quo *h* pro *n*, ut sæpe alibi, scriptum puto. Ex nulla harum lectionum satis bona sententia effici potest.

Quasi enata subito classis] Non absimilis Curtii, 9, 8, 13. locus: Alexander 'validissimam' Sabi 'regis urbem cuniculo cepit. Barbaris simile monstri visum est, rudibus militarium operum: quippe in media ferme urbe e terra existebant, nullo suffossi specus ante vestigio facto.' Cui loco particulam *id*, post verbum 'cepit,' excidisse, monendum duxi: aliter enim oratio esset sine calce arena. *Fr.* Perizonius conjecerat *renata.* Nam hoc putabat melius convenire iis, quæ supra scripserat Florus, classem sub ipso ore urbis 'incensam' fuisse a Romanis. Nihil mutandum videtur: *enata* est quasi illo loco nata, tamquam res subita et inexspectata, non facta. Vid. Indic.

§. 15 *Subita de cineribus flamma*] Ryck. *subita in cineribus flamma:* paullo ante idem cum plerisque edd. *Tum interim jam diebus.* Græv.

§. 16 *Quod minus credas*] Acidalius ad Velleium, 2, 117, 1. mallet *quoque:* posset etiam legi *quodque*, sed puto retineri posse vulgatam. *Fr.*

§. 17 *Quanto fortius femina*] Hanc historiam, ut alios sileam, lege ap. Val. M. 3, 2, 8. extern. Appianus, circa fin. Libyci, recitat hujus mulieris ad Scipionem et Hasdrubalem verba. *Cam. Quanto fortius femina*] Alter Palatinus, *quanto fortior femina: fortius* magis placet: et retinent melioris notæ libri. *Salm.*

Femina et uxor Ducis] Illa verba videntur irreptitia: qualis enim antithesis? quæ sublatis illis bellissima

est: præterquam quod Flori genium non sapit hæc verbosa narratio, *femina et uxor ducis:* videtur adscriptum fuisse, *id est, uxor ducis,* a studioso quodam. *Fr.* Begerus dicit, si quid tollendum sit, se potius sublaturum vocem *fœmina* cum copula *et:* eo quod uxor supponat fœminam, non fœmina uxorem. Neque illi adsentior, neque Freinshemio. *Uxor ducis* bene addidit Florus, ut intelligeretur liberos, quos mox memorat, fuisse communes illius et Asdrubalis liberos: *fœmina* autem, ad vituperandam ignaviam, mollemque et fractum animum Asdrubalis, quo multo fortiorem et animosiorem dicit fuisse fœminam: cum alioqui mulieres timidiores et imbecilliores, quam viri, esse soleant. Sic 'mulierem' 'viro' opponunt Cic. v. Ep. F. 16. Justin. I. 3. alii. Copula si abesset a libris, eam non advocarem. Nec tamen est sine emphasi. Vid. Burm. ad Ov. XIV. Ep. Heroid. 55. et Wopk. Advers. Critic. in Vell. Paterc. II. 60. Vol. VIII. Obs. Misc. p. 68.

§. 18 *Ignium mora*] Nam Carthago incensa est. Horat. Carm. 4, 8, 17. 'Incendia Carthaginis impiæ.' Et Epod. 7. 5. 'Non ut superbas invidæ Carthaginis Romanus arces ureret.' Velleius, 1, 12, 6. 'dirutam' ait. Modestinus, in Leg. 21. quib. modis ususfr. amitt. 'aratrum passam.' *Fr.*

Per continuos decem et septem dies] Quamdiu Romæ incendium duraverit sub Nerone, vid. Tac. 15, 40, 1. *Idem.* Ryck. *per continuos x et septem dies:* puto *x* irrepsisse. Nam Appianus septem tantum dies arsisse Carthaginem auctor est. *Græv.* In numero o. s. et e. consentiunt.

Sponte hostes immiserant] Alia similis desperationis exempla notavimus inf. 2, 18, 15. *Fr.* Appianus nihil hujusmodi ab obsessis, quum Urbs caperetur, factum prodit. Suspicor Florum, id, quod Appianus de templo Æsculapii, in quod se receperant transfugæ, ab his, ne in potestatem Romanorum venirent, incenso scribit, ad totam urbem transtulisse.

Triumphus] Ita Vineti editio, nec aliter vetus; quomodo et fuisse in Ms. suo prodidit lectissimi ingenii Lipsius, Elect. 2, 19. in Pall. duobus Gruterus: et in vetere Florentino Acidalius, ad Velleium, 2, 68, 4. cui tamen in voce 'quatenus' nondum omnino adsentior. Vide nostrum Indicem. Similis locutio supr. 2, 2, 32. 'Triumphum periisse naufragio.' *Fr.* Adnotatio Freinshemii pertinet ad refellendam scripturam, quæ est in Beroald. Ald. et aliis quibusdam edd. *triumphis.*

CAP. 16 Hoc bellum scribunt Epit. Liv. 51, et 52. Justin. 34, 1, et 2. Val. M. 7, 5, 4. Auctor de Vir. Ill. cap. 60. Eutrop. 4. 3. Oros. 5, 2. Cic. pro M. Manil. cap. 5. et Off. 1. 11. Plin. 35, 12. Capta autem Corinthus est, Olympiadis 156. anno 3, A. U. C. 608. Plin. 34. 2. *Cam.* Vide etiam Strab. lib. VIII. Vellei. 1, 13. Zonar. tom. 2. Pausan. princ. Corinth.; latius in Achaicis. Item Polyb. ap. Vales. p. 181. *Fr.*

§. 1 *Eversionis urbium curreret*] Forte, *Quasi seculum illud eversionibus urbium curreret.* Salm. *Eversionibus urbium*] Recte: ad eam formam, sicut Claudianus, Epigr. de Sene Veronensi: 'Frugibus alternis, non consule, computat annum.' Alii prave, *eversionis urbium.* Simile est quod dicit inf. 3, 9, 1. 'Aderat fatum insularum.' *Fr.* *Eversionibus* emendarat etiam Perizonius. Sententia est: Quasi ita in fatis esset, ut hoc sæculum non aliter procederet, quam eversionibus urbium.

Corinthus] De hac urbe vide Strabonem, lib. 8. p. 260. *Fr.* Add. Ald. Manut. ad Cic. I. de Off. 11. Ryck. Reg. F, Flor. Berol. et Duisb. *Corinthos.* Vid. inf. cap. 17. 1.

Inter duo maria] Inde 'bimaris,' ἀμφιθάλασσος, dicta Poëtis: Horatio,

I. Carm. 7. Ovid. Epist. 12, 27. Prudent. contra Symmach. 2, 352. Sidonio, Carm. 2, 476. et Epist. 9, 13. *Fr.* Cf. Passerat. ad Propert. III. 21. Cic. II. Agrar. 32. 'Erat posita in faucibus Græciæ, sic ut terra claustra locorum teneret, et duo maria maxime navigationi diversa pæne conjungeret, cum pertenui discrimine separentur.' Muretum, qui I. Var. Lect. 7. scribit, Horatium, Corinthum appellantem 'bimarem,' voluisse exprimere Græcam vocem ἀμφιθάλαττος, reprehendit Lambinus in Epist. Claror. Viror. ab Job. Mich. Bruto editis Lib. III. p. 417. nam ἀμφιθάλασσος significare dicit locum *undique mari cinctum*, διθάλασσος *bimarem*. Sed observavit Torrentius ad Horat. I. Carm. 7. 2. Corinthum ἀμφιθάλασσον vocari a Polluce IX. 4. 17. ubi et Jungermann. add.

Quasi spectaculo exposita] Hoc loquendi genus offendit Nic. Heinsium: Itaque malebat *speculatui exposita*, vel *speculatrix posita*. Loca enim editiora spectare potius dicuntur circumjacentem tractum, quam spectari: et *speculæ* vocabulum hoc significatu Nostro non est ignotum. Sic Clupeam 'Africæ speculam' dixit cap. 2. hujus libri. 'Ultima Septentrionis' specula, lib. III. 5. sed illum locum vix sanum esse opinor: quomodo et Columellæ lib. VII. cap. 3. 'Celsissima oculorum specula.' Phædrus F. XXXVI. 'Cæsar Tiberius cum petens Neapolim In Misenensem villam venisset suam, Quæ monte summo posita Luculli manu Prospectat Siculum et respicit Tuscum mare.' Ita opinor, ut recte Gronovius, vel *despicit*; neque enim ab anteriore parte ea villa bina maria potuit prospexisse; respexisse potuit, ut ap. Nasonem in F. 'Respicit a tergo summum brevis area Circum.' Si *speculatrix posita* legas, confirmabit hanc conjecturam Papinius lib. II. Silv. 2. 'Celsa Dicarchæi speculatrix villa profundi.' Et Val. M. IX. 8. 'Angusti atque æstuosi maris alto e tumulo speculatrix statua memoriæ Pelori collocatum indicium est:' ubi teste Vorstio codex unus Brandeburgicus *expositum indicium est*, ut legendum sit *exposita*, quomodo apud Florum, vel *collocata indicium est*, statua nimirum. Ceterum Florus cum hæc scriberet in animo habebat Acrocorinthum arcem loco editissimo positam, de qua cum alii, tum Strabo lib. VIII. Plin. Hist. et Liv. XLV. cap. 28. Mela lib. II. c. 3. 'Ex summa arce, quam Acrocorinthon appellant, maria utraque contueus:' mox *atque projectum est*, tolle τὸ *est*, et continua cum sequentibus. *Græv.* Plinius quoque IV. 4. eodem modo, quo Mela: 'Corinthus e summa sua arce, quæ vocatur Acrocorinthus, diversa duo maria prospectans.' Amplecterer conjecturam Heinsii, si verba nullam aliam commodam interpretationem reciperent. Sed in vulgata nihil vitii aut obscuritatis animadverto: nam quemadmodum Corinthus prospectabat utraque maria, ita vicissim spectaculo erat, seque ostendebat iis, qui illa navigabant; sicut de Agrigento dicit Virg. III. Æn. 703. 'Arduus inde Acragas ostentat maxima longe Mœnia.' Et *spectaculo exposita* sic potest dici, ut ap. Ov. *exponere videndum* III. Pont. I. 49. 'Exposuit mea me populo fortuna videndum.'

Facinus indignum] *O facinus indignum!* Salm. Ryck. *o facinus indignum!* sic et inferius idem codex *o fata rerum!* sed sæpe omittitur apud Nostrum ista exclamandi particula. *Græv.* In Naz. et Voss. 1. 2. non est *o* post 'hæc,' sed est in aliis scriptis et v. e. quod recte recepit Begerus. Ceterum non intelligo quid sit, quod dicit Florus, Corinthum deletam, antequam in numerum certorum hostium referretur. Nam quum Achæis indictum est bellum, utique etiam Corinthus, quæ corpori Achæorum

tum conjuncta erat, in numerum hostium relata est: quum præsertim legati Romani Corinthi, et ab ipsis maxime Corinthiis, violati fuissent. Vid. Epit. Liv. LI. LII. Pausan. Achaic. c. XIV. Strab. L. VIII. p. 381. et Vellei. I. 12.

§. 2 *Critolaus caussa belli*] Cic. de N. D. 3, 38. 'Critolaus evertit Corinthum: Carthaginem Asdrubal. Hi duos illos oculos oræ maritimæ effoderunt.' *Fr.* De Critolao Polyb. Excerpt. legat. c. CXLIV. et Pausan. Achaic. l. d.

Libertate a Rom. data] Supr. I. 21, 2. 'Volsiniensium servi libertatem a dominis datam in ipsos erexerant.' Cic. Fam. II. 12. 'Omnino est hoc populi, maximeque nostri, in eo potissimum abuti libertate, per quem eam consecutus sit.' *Fr.*

Legatos violavit] De eorum, qui legatos violant, pœna, vide scriptores, quos supr. I. 18, 5. citavimus. *Idem.*

Dubium an et manu] Venustior et rotundior erit hæc περικοπὴ si *et* deleas, auctoritatem secutus Ryckiani codicis. *Græv.* *Et* est in aliis o. s. et e. De re varie traditum est a veteribus. Vid. Polyb. et Strab. l. d. Epit. Liv. LI. et Boecler. ad Vell. I. 12.

§. 3 *Ordinanti tum maxime Macedoniam*] Ita Pal. tert. et o. e. ante Vinetum. Zinzerling. Promuls. Crit. juven. (cap. 22.) legit *cum maxime*, quod cur non omnino probem dicam in Ind. voce *Maxime*. Fr. Probo Zinzerlingii emendationem, qui in Promulside corrigit *ordinanti cum maxime Macedoniam*. Nam 'cum maxime' Latinis est in præsenti, hoc tempore, uti multis exemplis cum Zinzerlingius, tum ipse ad Suet. et Tullium ostendi. *Græv.* Præter Zinzerling. l. d. etiam Rhenan. ad Tac. I. Hist. 29. Ryck. ad Tac. III. Hist. 4. et Græv. ad Suet. Domit. X. ad Cic. II. Off. 7. et I. Ep. Fam. 9. rejiciunt *tum maxime*, pro, in præsentia, hoc tempore, et pro eo partim e libris scriptis, partim e conjectura, ubique substituunt *cum maxime*. Quam recte, mihi nondum liquet: quum non animadvertam rationem sermonis Latini repugnare, quo minus etiam possit dici *tum maxime*, pro, tum, vel eo potissimum tempore. *Maxime* sæpe ita ponitur, ut prope idem sit, quod fere, potissimum. Liv. VII. 29. 'Legati maxime in hanc sententiam loquuti sunt.' Id. XXXIV. 13. 'In hunc modum maxime adhortatus pronunciat.' Curt. III. 2. 'Levibusque scutis cetræ maxime speciem reddentibus.' Jam etsi facile credo quibusdam locis male scribi *tum maxime*, pro *cum maxime*, tamen quæro, cur numquam liceat huic adverbio præponi 'tum,' ac dici 'tum maxime' pro, fere, potissimum, præcipue eo tempore? Etenim si recte dicitur 'eo maxime tempore,' cur non etiam Latine dici potest 'tum maxime?' neque enim quisquam, opinor, negabit 'tum' idem esse, quod 'eo tempore.' At isto modo loquitur Liv. XXXI. 14. 'Neque enim ipse Rex Athenas obsidebat: eo maxime tempore Abydum oppugnabat.' Quid ergo causæ est, cur pro eo non possit dici 'tum maxime Abydum oppugnabat?' Equidem nihil video, et Livius ipse non dubitavit hæc permutare. Nam quod hic *eo maxime tempore*, id paullo post *tum maxime* dicit c. 18. 'Questus Attalo Rhodiisque arma illata, et quod tum maxime Abydum oppugnaret.' Omnino sentio cum Freinshemio, nec ubique huic particulæ manus admovendas puto. *Cum maxime* pro, in præsenti, hoc tempore, nunc, plane recte dicitur; *tum maxime* quare vitiosum sit, pro, tunc, eo tempore, nondum possum intelligere. Quin etiam nonnumquam male *cum maxime* substitui credo, pro *tum maxime*, ut in hoc Terent. Phorm. 2. 1. 'Quamobrem omnes, cum secundæ res sunt maxume, tum maxume

meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant;' ubi Zinzerlingus legit *cum maxume meditari.* In Suet. Tib. XIV. quoque nihil mutandum arbitror, etsi codex Salm. habet, 'Thrasyllum quoque Mathematicum cum maxime expertus est,' pro vulgato *tunc maxime.* Est enim sententia: Tiberium et sæpe quidem ante, sed tum maxime, expertum fuisse veram certamque esse Thrasylli artem: vel, (quemadmodum etiam boni Scriptores loquuntur,) si umquam alias, tum maxime. Nec Grævius ibi improbat *tum maxime,* atque etiam Tacitum sic loqui ostendit IV. A. 27. 'Cœptantem tum maxime seditionem disjecit,' et Florum male a nonnullis sollicitari scribit. Sed in Tacito Rhenanus, Muretus, et Ryckius itidem legunt *cum maxime.* Florum male sollicitari mihi omnino persuadeo; ob eamque causam hic reliqui, quod in plerisque scriptis et v. e. erat. Nam nullam varietatem scripturæ inveni, nisi quod in Naz. erat, *ordinato cu maxime,* in Reg. Q, *ordinanti tum Maced.* et in Voss. 2. *cum maxime.* Quod Zinz. scribit, in Vineti Edit. esse *ordinanti cui tum maxime,* sed ab aliis omnibus abesse *cui,* in eo fallitur. Nam Edd. B. S. P. J. A. et Camertis idem habent. Ceterum non ubique invitis libris scriptis pro *tum maxime* substituendum esse *cum maxime,* mecum sentit, et in Livio compluribus locis legi *tum maxime,* ostendit cl. Drakenb. ad Liv. XXVII. 4. 2.

§. 3 *Igitur Metello ordinanti, tum maxime Macedoniæ mandata est ultio*] Hæc quomodo possint consistere, ignoro; distinctione, non minus, quam lectione, falsa. Corinthii superbius appellaverant Legatos Romanos: mandata ultio Metello, qui tunc Macedoniam pro prætore regebat: non autem Macedoniæ ultio illi mandata est, quæ nihil peccaverat, quod verum esset, si Corinthus in media Macedonia sit: lege, *Igitur Metello, ordinanti tum maxime Macedoniam, mandata est ultio.* Salm. Ita Pal. pr. Toll. Duisb. Fran. et v. e. *Macedoniæ* Naz. et alii, *Macedonio* Voss. 3. perperam.

Consul] Aut 'prætor,' vide supr. 2, 14, 5. *Freinsh.* Metellus hoc bellum Proprætor gessit. Pigh. ad A. U. 606. In his sæpe minus adcuratus est Florus.

Per patentes Elidis campos] Vetus, *Elide:* est *Elidæ:* sic alibi *Leucadam* dixit, ut pluribus ibi disputamus. *Salm.* Cur Elidem et Alpheum conjungat, intelligas ex Pausan. pr. tit. 8. Τῆς δὲ γῆς τῆς Ἠλείας κατὰ μὲν Ὀλυμπίαν καὶ τοῦ Ἀλφειοῦ τὰς ἐκβολὰς πρὸς τὴν Μεσσηνίαν εἰσὶν ὅροι. τὰ δὲ πρὸς Ἀχαΐαν Δυμαίων εἰσὶν ὅροι. Meminit Eleorum hoc in negotio etiam Polyb. ap. Vales. *Freinsh.* Naz. Flor. et Voss. *Elidis.* Pal. 1. Berol. Duisb. Edd. V. B. S. et P. *Elide.* Pal. 2. Regg. Magl. et Fran. *Elidos.* Ryck. *Elideos.* Hoc refero ad morem scribarum conjungendi varietatem lectionis; de quo sæpe supra. A Salm. hic, ad II. 15. 5. et IV. 11. 4. legente *Elidæ* dissentit Heins. ad II. 12. 5. *Patentis* Naz. Ryck. Voss. 3. et Edd. B. S. et P.

Toto Alpheo] Vid. I. 18. 24.

§. 4 *Uno prælio*] Metellum cum Achæis Bœotisque duobus præliis congressum, primo ad Thermopylas, altero in Phocæis vicisse, auctores habeo Pausan. in Achaicis, et Oros. 5. 3. *Stad.* Flori locus similis est hic ap. Tac. H. 2, 38, 5. 'Singulis velut ictibus transacta sunt bella.' *Freinsh.*

Fata rerum] Tollius adscripserat, se ita correxisse ad Auson. IX. Epist. vs. 24. quum ante legeretur *fato.* Sed *fata* dudum fuerat in Ed. V. B. et J. Pall. ap. Grut. Ryck. Regg. Toll. Fran. Duisb. quoque cum Ed. V. et J. *o fata rerum.* Hoc etiam displicet Tollio l. d. qui particulas illas admirationis apud Florum ubique tolli

jubet. Mihi aliter videtur. N. Heinsius in exemplari suo scripserat, *fata o rerum.* Voss. 1. etiam *fata*, 2. *facta*, 3. *fato.* Sed ab omnibus abest *o.* Salm. nihil adnotarat ad Edit. Gruteri, in qua est *fato.*

Quum Met. dimicasset, ad victoriam Mumm. venit] Minime novum esse, ut intervertantur præmia, alterius consilio periculoque parta, victoriaque jam parata e manibus eripiatur successoris novi superventu, non exili suggestu exemplorum probatum nobis ad Tac. H. 4, 85. 5. *Grut.* Unde sæpius invidia decedentium, et rerum gerendarum impedimenta. Vide supr. ad. I. 9, 2. item Polyb. ap. Vales. p. 178. Sallust. Jug. cap. 83. et Val. 9, 3, 7. De Mummio vid. etiam Plin. 35, 12, 1. et Pausan. lib. 5. p. 336. pr. *Freinsh.*

§. 5 *Diæi late*] Hactenus omnes, *dignitate:* absurde. Emendatio est eruditissimi Pighii, quam ob evidentiam suam textui inseruimus. Hoc enim nomen Achaici Imperatoris, etiam ap. Polyb. in Excerpt. Valesianis. Vide latius ipsum Pigh. in Annal. Rom. A. U. C. 607. *Id.* Catanæum quoque suspicatum fuisse hic legendum *Diæi*, vel ita in veteribus libris invenisse, intelligi potest ex iis, quæ ad Plin. III. Ep. 1. adnotat, ubi magnam partem hujus Capitis describit. ‘ Late vincere,’ ‘ funderc,’ ‘ domare ’ in deliciis sunt Floro. Vid. Ind. Nemo se neque scriptum, neque editum librum Flori vidisse testatus est, in quo non legeretur *dignitate.* E Regg. et Toll. quidem hic nihil adnotatum erat ad Ed. Grævii, in qua est *Diæi late.* Sed vix credo in iis ita scriptum esse. Si ita legeretur in Cod. Berol. Begerum id non prætcriturum fuisse mihi persuadeo.

Tandem] Ita Magl. In Naz. Ryck. Toll. Duisb. Fran. Voss. Ed. V. P. et J. *tum:* quod non deterius puto illo altero, et Begerus e Berol. recepit. Beroald. *tamen.* Varietas orta videtur e notis compendiariis.

Civitas, &c. deleta est] Justinus, 32, 2, 6. ‘ Urbs ipsa Corinthus diruitur: populus omnis sub corona venditur: ut hoc exemplo ceteris civitatibus metus novarum rerum imponeretur.’ Cui consentit Zonaras, tomo 2. *Freinsh.*

Tuba præcinente] Nescio quid antiqui moris hoc verbo Florus tangit, quod forte (dum certiorem hujus loci explicationem comminisci, aut velint alii, aut nos possimus) non inepte referretur ad veterem illum in cives animadvertendi ritum, quem ad Tac. 2, 32, 8. Lipsius explanat: ut quemadmodum illo casu, sic hoc nostro, tuba cecinerit, quo omnibus innotesceret, auctoritate jussuque publico negotium istud peragi. Sive potius eo factum, ut eodem modo destrueretur, quo condi solebant urbes; nisi quod ibi tibiæ adhibitæ. Vide Pausan. Messen. p. 268. quemadmodum etiam Atheniensium muros diruit Lysander, Plut. in Vita, cap. 28. et Xenoph. Adde Tzetzen, Chil. 7, 7, 139. Serv. ad ista Virgil. in lib. 2. ‘ Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum.’ Liv. lib. 1. ubi de Alba diruta: Suppl. Curt. 1, 14, 7. *Id.*

§. 6 *Incensum atque projectum*] A militibus nempe, pretium eorum non æstimantibus, sub duce nihilo rerum istarum prudentiore. ‘ Mummius enim, ut traditur, magnanimitatis, quam artificiorum, studiosior:’ Strabo lib. 8. p. 263. ‘ Et tam rudis fuit, ut cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas, in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros:’ Velleius 1, 13, 6. *Id. Projectum*, i. e. vilissimo pretio venditum a militibus, pretium rerum a præstantissimis artificibus factarum ignorantibus. Græv. ad hæc Cic. XIV. Ep. Fam. 2. ‘ Etiamne reliquias tuas miseras proji-

cies?' Pro eo alii, ut Id. observat, frequentius dicunt 'abjicere,' de quo vid. Interp. Phædri ad IV. F. 4. 42. Quintiliano Decl. V. 4. est *perdere.* 'Rus, servulos, penates, et omnia utiliora properanti festinatione perdentis addixi.' Freinshemius simpliciter videtur accepisse pro, abjectum, vel contemtum, tamquam vile et nullius pretii. Et sic etiam *projicere* et *projectus* dicunt Latini. Sen. VII. de Benef. 28. 'Quædam' beneficia 'perdidimus, quædam projecimus,' i. e. ut Lipsius, ultro adspernati sumus. Tac. I. A. 42. 'Quibus tam projecta Senatus auctoritas.' Sen. Controv. XXIV. 'Rhetor ex Asianis non projecti nominis.' Strabo de hac re Lib. VIII. p. 381. 'Polybius, quæ in excidio Corinthi evenerunt narrando, deplorans militarem contemtum artificiorum ac donariorum inter alia commemorat. Ait enim se præsentem vidisse tabulas in solum projectas, ac milites super iis talis ludentes.' Pal. pr. Toll. Duisb. et v. e. *porrectum* solenni errore librariorum, quem etiam in Horatio observavit celeb. Bentl. III. Carm. 10. 3. Epod. X. 22. et II. Sat. 3. 112.

Quantas opes] Corinthus antiquitus opulentissima, qua de causa Homerus, Il. 2, 570. Ἀφνειόν τε Κόρινθον. *Freinsh.*

Corinthii æris] Toto orbe celeberrimi. Cujus memoria pleni scriptorum libri. Vide præcipue Plin. 34, 2. et Muretum, Var. Lect. 3, 5. Hinc Romanis primum signa et tabulæ pictæ in pretio et admiratione; vid. Plin. 33, 11. quamvis Sall. Cat. 11, 8. videatur istud Sullæ temporibus tribuere. Hujusmodi 'Corinthia vasa' cupide corrasit etiam Verres: vide Cic. Verr. 2, 19. et quoniam mentio Verris admonuit, insignem Plinii locum ne prætereamus. Sic autem ille, 33, 8, 1. 'Signis, quæ vocant Corinthia, plerique in tantum capiuntur, ut secum circumferant; sicut Hortensius Orator Sphingem Verri reo ablatam. Propter quam Cicero illo judicio in altercatione neganti ei, se ænigmata intelligere, respondit, deberc, quoniam Sphingem domi haberet.' Æs tamen Corinthium (sed non hac mixtura) multis antea ætatibus celebro fuisse, certum habemus ex Athenæo, 4, 1. Adde Philandri Vitruvium, p. 338. *Idem.* Bochartus Hieroz. Part. II. L. 6. c. 16. fabulosa putat esse, quæ de mixtura Corinthii æris hoc casu urbis inventa traduntur. Nec sine ratione. Nam æs Corinthium, quæcumque demum illius mixtura fuerit, multis ante hanc ætatem sæculis celebre fuisse constat e loco Athenæi apud Freinshemium. Vasa Corinthia, quæ in tanto pretio erant apud Romanos, non credo post eversam Corinthum e massis ex auro, argento, et ære hoc incendio mistis et conflatis facta fuisse. Verosimile mihi videtur, Corinthios auctos opibus hoc genus luxus invenisse, vel id ab aliis inventum sequutos fuisse, ut ex auro, argento, et ære inter se mistis vasa facerent, quæ a præstantissimis artificibus cælata, non solum propter novitatem materiæ, verum etiam ob præstantiam artis pretiosissima essent; et postea diruta Corintho apud Romanos primum illa, quæ incendio urbis superfuerant, vasorum Corinthiorum nomine celebrata, deinde autem, ut scribit Plin. XXXIV. H. N. 2. eam adpellationem etiam ad alia omnia signa nobilium fictorum, qui tamen sæculo ante Corinthum excisam esse desierant, productam fuisse. Add. Cic. IV. Verr. 44.

§. 7 *Notam pretiosiorem*] Genus æris nobilioris, ut ap. Cic. de Orator. LXXXIII. 'Notæ optimi vini.' *Ryck.* De notis amphorarum, quibus indicabatur ætas vinorum, omnia vulgata sunt. Hinc *nota* sæpe pro præstantia, pretio, ac dignitate. Sen. IV. Nat. Quæst. 3. 'Ex his me testibus numera secundæ notæ, qui vidisse quidem se negant, sed audisse.' Vid. Schulting. ad Sen. XX. Controv. et

Burm. ad Petron. LXXXIII.

Permixtis] Sic et Pall. et v. e. aliæ enim fere, *perustis* (vestigio veræ lectionis *permistis:*) postea Vineti ed. omiserat vocem *venæ*, quam revocavi, suasu ceterorum Impr. item Pall. *Grut.*

CAP. 17 Bella quæ post deletam Corinthum orta sunt, lege in Epit. Liv. 51, et 52. Justin. lib. 34. et inde Eutrop. 4, 3. Oros. 5, 3. Ceteri locis suis citabuntur. *Cam.*

§. 1 *Corinthus*] Ryck. Reg. Q, Toll. Duisb. Edd. B. et P. *Corinthos*, ut cap. 16. 1.

Nec deinde toto orbe quicquam intactum armis fuit post illa] Ryck. *Nec denique toto orbe quicquid intactum armis fuit post illa:* quod verum puto. Hæc enim sententia est hujus loci: Ut Carthaginis excidium Corinthi interitus, sic Corinthi eversionem secutus est finis Numantiæ, et, ut uno verbo dicam, in omnibus orbis terrarum gentibus tum bella sunt gesta a Romanis. Hoc sequentia ostendunt. Non enim post Numantiam extinctam dicit bellum nuum undique fuisse, sed post deletam Carthaginem et Corinthum. *Denique* est ut supra I. 16. 'Nihil mollius cœlo, denique bis floribus vernat.' Sic et alii scriptores, ut alibi notamus. Sed τὸ *fuit* delendum esse retur N. Heinsius, cum subsequatur denuo. *Græv.* Videtur voluisse ita distinguendum hunc locum: *intactum armis fuit post illa duo clarissima urbium incendia. Late*...Et sic in Edit. Begeri. Sed tamen ita pendet quodammodo sequens periodus, nec satis apte cohæret oratio. 'Denique' et 'quidquid' nusquam alibi leguntur. Begerus recepit *denique*, non *quidquid*. Ego neutrum admittendum puto.

§. 2 *Clarissima*] Nullus dubito, Auctorem scripsisse, *clarissimarum;* nec esse puto, ut rem tam claram rationibus aut exemplis firmem. *Freinsh.* *Duo clarissima urbium incendia*] Lipsius censuit emendandum: *duo clarissima urbium excidia.* Sed vulgata non est movenda. Capite sequente: 'Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto.' *Græv.* *Clarissimarum* probabant Ryck. et Perizon. Et ita edidit Begerus. *Clarissima* tuetur Voss. ad Vell. II. 4. Conjecturam Lipsii expressit Begerus: 'quia,' inquit, 'vocabulum *incendia* alias nimis cito repeteretur.' Fran. *clarissima urbium incendia toto orbe viderentur.* Scribæ fraudi fuit bis, non multis interjectis, posita vox *incendia.*

Sed simul pariter quasi unum undique bellum esset] N. Heinsio non videtur ferendum *simul pariter.* Itaque totum locum rescribit: *sed una pariterque: quasi unum denique bellum fuit.* Græv. Tollius referebat ad Synonymiam: nam adscripserat, supr. II. 8. 12. 'Statim et e vestigio.' Plaut. Pseud. I. 4. 17. 'Una simul.' 'Unum bellum,' ut 'Una pax' ex sententia Grævii IV. 12. 64.

§. 3 *Numquam conferre vires suas libuit*] Lege Strab. lib. 3. pag. 109. Ea pestis et olim et hodie fortissimos florentissimosque populos perdidit. Tac. Agr. cap. 12. Britanni 'in commune non consuluut: rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita dum singuli pugnant, universi vincuntur.' *Freinsh.* Liv. XXVII. 39. 'Ut uterque hostem in sua provincia contineret, neque conjungi, aut conferre in unum vires pateretur.' Justin. II. 12. 'Græci adventu hostium occupati prælium collatis viribus capessunt.'

Mari Pyrenæoque vallata est] Hispaniæ situs, laus, &c. habetur ab omnibus. Lege Strab. lib. 3. Plin. 3, 1, 2, et 3. Justin. lib. 44. Solin. c. 36. plura Silius, 3, 325, &c. Claudian. de laude Serenæ: Avienus ibi: 'Hic Hispanus ager,' &c. Et parum inf. locum depravatum sic castigavimus, 'Gens agitat (an *habitat?*) rupis vestigia Pyrenææ.' *Cam.* Solida

populorum munimenta sunt, mare et mons: de quibus utrisque infinita bonorum auctorum dicta coacervavimus, ad Tac. I, 9, 12. item, 14, 23. *Grut.* Vid. præcipue Ludovici Nonii Hispaniam, opus accuratum et multæ eruditionis. *Freinsh.*

Nec adiri quidem] Tantum abest, ut oppugnari: dictum enim est, sicut illud Livii, 44, 6, 7. ' Sunt enim Tempe saltus, etiamsi bello non fiat infestus, transitu difficilis.' Similia passim ap. Auctores. *Id.* Ryck. Toll. Duisb. Fran. Voss. et, ut puto, etiam Naz. et Pall. e quibus nihil adnotarat Salmasius ad ed. Gruteri, quæ habet *nec*, item o. e. *nec adiri quidem:* vid. II. 5. *Ne* primum in Ed. Plantin. inveni. Et sic edidit Grævius judicium Gronovii ad Suet. Tib. XV. sequutus.

§. 4 *Obsessa est*] Tollius adnotaverat: Gronov. *possessa:* leg. *oppressa.* Non scio ubi Gronovius ita legendum præceperit. *Oppressa* etiam primum conjecerat Perizonius. Sed deinde videbatur mutasse sententiam. Freinshemius in Ind. recte exponit, occupata, insessa. Virg. Æn. VII. 333. ' Neu connubiis ambire Latinum Æneadæ possint, Italosve obsidere fines.' Liv. III. 50. ' Quid sibi vellent, qui armati Aventinum obsedissent?' Et XXVIII. 41. ' Quum Annibal hostis incolumi exercitu quartumdecimum annum Italiam obsideat:' ubi male Sigonius *possideat.* Vid. Gronov.

Quam se ipsa cognosceret] Bene igitur Noster, 1, 8, 6. censum Servii commendat eo, quod effecerit, ' ut ipsa se nosset resp.' Pertinet huc adagium nostratium, quo dicunt, equum, si vires suas nosset, homini, quippe debiliori, non ita patienter paritum. Eaque de causa, ' sententia in senatu dicta, ut servos a liberis cultus distingueret,' improbata est, cum appareret periculum, ' si servi dominos numerare,' et inde suam multitudinem viresque æstimare, ' cœpissent.' Sen. de Clement. 1, 24. *Freinsh.*

Sola omnium, postquam victa est] *Et sola omnium, postquam victa est.* Ita libri. *Salm.* Ita Naz. et Pall. ap. Salm. cum quibus consentiunt Ryck. et Florent. et ex edd. B. S. P. et J. Nimirum copula absorpta erat a duabus postremis literis vocis præcedentis. Begerus tamen eam removit auctoritate libri Berol.

§. 5 *Prope ducentos per annos*] Consentiunt Liv. 28, 12, 10. Vell. 2, 90, 3. Strab. lib. 3, p. 109. *Freinsh.* Voss. et edd. B. et P. *in primum Cæsarem Aug.* Salmasius in libro suo post ' cohærenter' scripserat *primum* sine nota libri.

Inde contagio et series caussaque bellorum] Melius Ryck. *inde contagio et series caussæque bellorum.* Græv. Et ita Begero visum fuit edendum.

§. 6 *Per Pyrenæum*] Et hoc inter errores Flori refero. Nam primum Cn. Scipio, primo anno belli Punici, ab ostio Rhodani profectus, et Pyrenæos circumvectus, classem Emporiis adpulit. Liv. XXI. 26. 32. et 60. Deinde frater ejus Publius, prorogato post Consulatum imperio, cum classe triginta navium longarum Tarraconem venit, anno sequente, Id. XXII. 22. Ita Liv. e Polyb. III. 41. 49. 56. 76. et 97.

Scipiones] Vide supra, 2, 6, 36. *Freinsh.*

Raptaque erat impetu Hispania] Loquitur de regione, tamquam de urbe castrisque, quæ quum corona vel alioqui vi oppugnando capiuntur, *impetu capi* et *rapi* dicuntur. Gronov. ad Liv. I. 57. Et utraque vox habet significationem celeritatis et violentiæ. Liv. VI. 23. ' Qui adveniens castra urbesque primo impetu rapere sit solitus:' ubi rurs. Gronov. Scipiones tamen in sextum annum bellum adversus Pœnos gesserunt in Hispania. Liv. XXV. 32.

§. 7 *Scipio*] Pro his, quæ hic de Scipione superiore narrantur, lege quæ supr. 2, 6, 37. sunt annotata: quibus adde quæ scribit Plut. in Apophth. *Cam.*

Statim capta Carthagine] Ita conjungo; innuit enim, eodem die oppugnatam captamque. Vide supr. 2, 6, 39. *Freinsh.*

Provinciam fecit; omnem] V. e. *urbem:* neque secus Pal. 3. ut suspicer, locum hunc coinquinatum glossis librariorum: nam statim sequentia, *omnem citra ultraque Iberum subjecit imperio,* non satis cohærent prædictis: poterat quidem fingi, *et omnia citra ultraque, &c.* sed quis adstruet ei fidem? *Grut.* Salmasius *omne* legendum ait, idque probat ad Solin. p. 1191. *Freinsh. Urbem* etiam Pal. 1. in libro Salmasii, Berol. et Duisb. pro *provinciam.* Tollius putabat utrumque e glossa esse, cui propemodum adsentior; etsi scio Velleium quoque dixisse *stipendiariam provinciam:* II. 97. 'Sic perdomuit eam *(Germaniam)* ut in formam pæne stipendiariæ redigeret provinciæ.'

Omnem citra ultraque Iberum subjecit imperio] An *omnem provinciam?* durum est: legendum, *omne citra ultraque Iberum subjecit imperio.* Id est, quidquid ultra citraque Iberum esset. Sic inf. 'Quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum et Tagum ferro et igne populatus.' *Salm. Omnem citra ultraque Iberum subjecit imperio*] Hanc lectionem ferri non posse viderunt olim viri eruditi. Ineptum enim esset, omnem provinciam citra ultraque Iberum subjecit imperio. Nam si provincia fuit, jam subjecta erat imperio. Scribendum fuisset *omnem citra ultra Iberum terram,* aut *regionem.* Sed quomodo Florus scripserit docet Ryckianus, in quo recte legitur: *omnia citra ultraque Iberum subjecit imperio.* Verba sequentia in eodem codice novam inchoant periodum, omissa copula: *Primus Romanorum ducum victor ad Gades et Oceani ora pervenit.* Græv. Salmasius etiam inf. n. 15. legebat *omne,* non *omnia.* Sed emendatio illius neque ullius libri scripti auctoritate confirmatur, et phrasis 'omne citra ultraque Iberum' paullo insolentior est. Præfero quidem *omnia* e Ryck. cujus scripturam confirmat Fran. in quo est *omn*$^{ia}_{em}$. Et tamen *omnem* tolerari, et orationem ita connecti posse puto: Hispaniam (nam nihil vetat eam vocem repeti) quasi novam integramque provinciam invasit, et stipendiariam nobis fecit: omnem citra ultraque Iberum subjecit imperio: primusque....in quo ἐξεργασίας quædam species est. Nec ἀσύνδετον orationis magnopere me offendit: quum mox sequatur copula *que* post 'primus,' quam ibi habent omnes alii Mss. Ed. V. S. et J. Eadem erat sententia Perizonii, qui in schedis, in quibus nonnulla ad Florum adnotarat, ita scripserat: in V. E. est *urbem* quomodo et Pal. 3. Unde suspicor utrumvis esse ex glossa. Nam sane commodissime potest deesse: hac ipsa enim in periodo præcessit 'provinciam.' Sequentia vero sic commode cohærebunt cum præcedentibus, *omnem* scil. Hispaniam. Ratio, qua Grævius impugnat receptam lectionem, non minus valet contra scripturam Cod. Ryck. Nam si jam erat provincia facta, etiam jam omnia citra ultraque Iberum imperio subjecta erant.

Oceani ora] Ita recte libri Vineti, aliique scripti, et v. e. Correctores mutarunt in *oram,* quod est in aliis vett. edd. atque etiam Camertis et Stadii. In Thesauro Fabri scribit, nescio quis, *ora* hic accipi posse pro oris, et Vorst. ad Val. M. IX. 1. 1. pro litoribus. Atqui apertum est *ora Oceani* hic poni pro freto Gaditano, ut inf. IV. 2. 75. quæ Cic. pro Leg. Manil. XII. vocat 'ostium Oceani.' Add. infr. III. 6. 8. et

Burm. ad Vell. II. 101.

§. 8 *Plus est provinciam retinere, quam facere*] Eadem sententia, 4, 12, 29. Similis ap. Liv. 37, 35, 5. ' Parari singula adquirendo facilius possunt, quam universa teneri.' Curt. 2, 11, 9. ' Facilius est quædam vincere, quam tueri.' Quod ipsum quam difficilem, aut debilem, faciat universalis monarchiæ constitutionem, feliciter ostendit ille, breviter dicam, literis et armis egregius, Marcus a Rechlingen. in Dissertatione sua, de Monarchia Universali. Caussam hujus difficultatis tangit etiam Ov. de Arte, 2, 13. noto carmine: ' Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri: Casus inest illis; hic erit artis opus.' Pertinet hnc consilium Augusti ap. Tac. et Dionem, ' de coërcendis intra terminos imperii finibus.' Adrianus, ap. Spartian. cap. 5. ' Omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo, ut dicebat, Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant.' *Freinsh.*

Ad id temporis liberas gentes, ideo impatientes jugi] Malebat N. Heinsius *ideoque impatientes jugi*, vel *atque ideo impatientes jugi*. Græv. *Ideoque* est in Ryck. Begerus ex auctoritate Cod. Berol. exclusit *ideo*, quæ vox etiam a Duisb. et v. e. abest. Sed non est sine emphasi.

Ideo impatientes jugi] Tac. H. 4. 17, 8. ' Servirent Syria Asiaque: et suetus regibus Oriens: multos adhuc in Gallia vivere ante tributa genitos.' *Freinsh.*

Servire docuerunt] Claudian. de Bel. Get. vs. 140. ' Campo post ausus aperto Marcellus vinci docuit.' *Id.*

§. 9 *Cato*] Gesta hujus Catonis contra Celtiberos, scribit Plut. in Vita, et in Apophth. Val. M. 4, 3, 11. Auctor de Vir. Ill. cap. 47. Frontin. 1, 1, 1. et 4, 7, 31. Multa Cicero, in Cat. maj. Plin. 14, 13. ' Cato,' inquit, ' quum in Hispaniam navigaret, unde cum triumpho rediit, Non aliud, inquit, vinum bibi, quam remiges.' Idem Frontin. 4, 3, 1. Lege quæ scribit Gell. 13, 18. *Cam.* Sed Cato provinciam habuit Hispaniam citeriorem, quæ tum prope omnis defecerat, eamque rursus subegit. Ulteriori, in qua Celtiberi, eodem tempore præerat P. Manlius, a quo Cato auxilio vocatus nihil ibi memorabile gessit, et mox in suam provinciam rediit. Ita Liv. XXXIV. 19. Plutarchus in Cat. maj. etiam Celtiberorum auxiliis adversus alios Hispanos usum scribit.

Gracchus] Quod hic dicitur de Graccho patre, habetur c. 57. Auctoris de Vir. Ill. De isto Graccho Val. M. 4, 6, 1. Plin. 7, 13. Cic. de Divin. 1, 18. et alibi. *Cam.* Add. Liv. 41, 6, 3. Diod. ap. Vales. 305. *Freinsh.* Duisb. Fran. edd. V. et S. *Graccus* et *Graccorum*, antiqua ratione scribendi, quæ et in multis libris veteribus et in nummis hujus familiæ apud Ursinum est. Vid. supr. ad II. 6. 30. Juret. ad Prudent. I. cont. Symmach. et Drakenb. ad Sil. IV. 497. Begerus tamen hic e Goltzio ad A. U. 538. profert nummum, in quo est ' Gracchus.' Et sic rursus ap. eumdem ad A. U. 577. in alio nummo est ' Ti. Sempronius Gracchus.' At contra ad A. U. 744. ' Graccus.' Mihi non verosimile videtur hoc nomen tam varie in nummis veteribus legi. Ap. Mediobarbum quidem semper sine adspiratione in iisdem scribitur. Unde et *Graccuris* urbs Hispaniæ, quæ male *Gracchuris* in Epit. Liv. et Plinio, urbs Hispaniæ ab hoc Graccho constituta, apud Vaillant. in Numism. Coloniar. et Harduin. in Numm. antiq. Populor. et Urb. Insigne hujus Gracchi elogium exstat ap. Cic. II. de Off. 12.

CL. urbium eversione] Liv. 40, 49, 1. ' CIII. oppida intra paucos dies in deditionem accepit.' Polybius auctor est, evertisse Gracchum 300. urbes Celtibericas: quod tamen comice ex-

agitat Posidonius, ap. Strab. lib. 3. p. 111. in Gracchi gratiam, inquiens, ab eo turribus urbium nomen inditum: quod nostro quidem seculo non semel vidimus, cum effigies ducum passim circumferrentur, adjunctis imaginibus locorum quæ cepissent, inter quæ sæpius ignobiles vici, aut modica oppidula, sub ingenti titulo conspiciebantur. *Freinsh.*

§. 10 *Metellus*] Metelli gesta in Hispania lege in Epit. Liv. 53. Val. M. 7, 4, 5. et Auct. de Vir. Ill. cap. 61. Frontin. 1, 1, 12. *Camers.* Adde Appian. de bello Numant. et Vellei. 2, 5, 2. *Freinsh.*

Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen] Locus hic non satis planus, et mendo, nisi fallor, non vacat: ita ut credam, facit scripturarum varietas, quæ fere mendosi non dubium est argumentum. In altero Pal. *Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruerat, et Celtiberius fieri:* et ita olim conjecerat præstantissimus Gruterus: sed ne sic quidem omnia erunt sana: et hæc loquutio, *Celtiberius fieri*, nescio quomodo minus placet, et genium Flori non resipit. Locum hunc sic legere et distinguere non dubitem: *Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruerat et ex Celtiberia ferre, qui et Contrebiam et Nertobriges memorabili cepisset exemplo, majori gloria pepercit:* vel hoc modo: *Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruerat et ex Celtiberia ferre: quum Contrebiam et Nertobriges memorabili cepisset exemplo, majori gloria pepercit.* Metellus, inquit, ille qui tulerat ex Macedonia cognomen, meruerat et ex Celtiberia ferre, cum duas urbes in Celtiberia cepisset, victis pepercit, nec eorum urbes evertit, et ita abstinuit Celtiberici cognomine, quod ad æternam gentis maculam et opprobrium retinuisset, sed majorem laudem adeptus est ob humanitatem et clementiam, qua erga victos usus est, quam si ex victoria cognomen tulisset. Pro *Contrebiam et Nertobriges*, unus de Pal. habet, *cum Celtiberiam memorabili cepisset exemplo:* nec longe abit veteris editionis scriptura, *Cetebriam:* hæc Contrebia nescio an illa sit, quæ ap. Ptolomæum Contrebita, qui juxta eam *Nertobrigam* ponit: sed de his alibi erit videndum. *Salm. Qui ex Macedonia*] Hæc est ed. Vineti; neque ea tamen longe integrior quam aliarum, in quibus: *cui ex Macedonia cognomen, meruerat Celtibericus fieri, cum et Contrebiam memorabili cepisset exemplo, et Nertobrigis, &c.* Et vero Pall. duo magis accedunt huic scripturæ, quam priori: quippe est in 2. *qui ex Macedonia cognomen meruerat, et Celtibericus fieri, cum et Trebiam mem. cep. ex. et Nersobriis, &c.* ac tert. habet, *qui ex Maced. cog. mer. et Celtiberius filius: cum et Contreb. mem. cep. ex. et Hersobrigis, &c.* Ego his me non expedio: suspicabar tamen legi posse voce una bis posita: *qui ex Macedonia nomen meruerat, meruerat et Celtibericus fieri: cum et Contreb. mem. cep. ex. et Nertobrigibus majore gloria pepercisset.* Certe omnino mihi persuadeo, illa *maj. glor. pepercit*, minime accommodanda cognomini: sed urbi uni cui pepercerat, cum alteram vi captam diripuisset. *Grut.* De cognomine si accipias, juvet locus alius inf. 4, 12, 41. 'Potuit et ille redire Marmaricus, sed modestior in æstimanda victoria fuit.' Forte nec absurde legeretur hoc modo: *cui ex Macedonia cognomen meruerat et Celtibericus fieri, cum et Contr. mem. cep. ex. et Nertobrig. maj. glor. pepercisset:* et ne quem offendat ista dictio, *Celtibericus fieri*, ea usus est iterum Noster inf. 3, 8, 1. Appian. de Bellis Hispan. pag. 281. 'Nergobrigas' appellat. Val. Max. 5, 1, 5. 'Centobricenses.' Vide Ambrosio de Morales lib. 7. cap. 51. *Freinsh. Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruit, cum et Contrebiam memorabili cepisset exemplo*] Ryck.

Metellus ille qui ex Macedonia cognomen meruerat et Celtibericus fieri, cum Trebiam cepisset, ex Persobrigis majore gloria pepercit. Sic fere etiam Palatinus secundus. *Celtibericus fieri* habetur etiam in pristinis editionibus. Ex quorum vestigiis sic locum hunc restitui: *Metellus ille, cui ex Macedonia cognomen, meruerat et Celtibericus fieri, cum Contrebiam memorabili cepisset exemplo et Nertrobriges, majori gloria pepercit.* Non recessi hic a veteribus libris, nisi quod *qui* in *cui* mutaverim, quod et Grutero succurrit. Posses etiam in fine, quia in Mss. extat, *Nertrobrigis* legitur, scribere: *cum Contrebiam memorabili cepisset exemplo, et Nertrobriges, iis majori gloria pepercit.* Alioquin hiulca erit hæc periodus. Jusseram edi *Metellus ille, cui ex Macedonia cognomen, meruerat et Celtiberius fieri*, sed operæ graviter hallucinatæ sunt cum ediderunt: *Metellus ille, cui ex Macedonia nomen erat, et Celtiberius fieri meruit*, quod lector benignus emendabit. Nertrobrigibus Metellus conditiones lenissimas tulit, non sponte, sed quod audiret Luculli adventum appropinquare, ideoque vellet omnia transigere, ne gloria in Lucullum derivaretur: teste Appian. in Hispanicis. Verum Nic. Rubenius, Serenissimo Sueciæ Regi a bibliotheca, qui nuper bonis dolentibus obiit, legebat: *Metellus, cui ex Macedonia cognomen, meruit et Celtiberius fieri, cum Contrebiam memorabili cepisset exemplo, Nertobrigæ majore gloria pepercit.* Græv. In Ryck. est, *cum Trebiam cepisset ex*, i. e. exemplo, *Versobrigis....* Alii scripti fere consentiunt cum Pal. 2. apud Grut. his exceptis. Berol. Voss. *meruit.* Magl. *Celtiberinus fieri.* Berol. Duisb. et v. e. *Celtiberius filius.* Voss. *nec Celtibericus fieri.* Fran. *Celtiberius fieri:* deinde Reg. Q *cum et Trebeam.* Magl. et Voss. 1. *cum et Contrebiam.* Voss. 2. *cum Trebiam*, et in marg. *Celtiberiam.* Flor. et Berol. *cum Contrebium.* Duisb. et v. e. *cum Cetrebiam.* Pro *Nersobriis*, quod ex eodem Pal. habet Gruterus, Naz. *Nerosorigis.* Ryck. edd. B. S. et P. *Versobrigis.* Regg. *Vertobrigis.* Flor. et Voss. 3. *Nersobrigis.* Berol. Duisb. Fran. Voss. 1. et v. e. *Nersobriges*, Magl. *Nertobriges.* Voss. 2. *Nesobrigis.* In Vineti libro vetustissimo, erat *cognomen meruit, quum et Contrebiam.* Et ita post Vinetum ediderunt Gruterus, Freinsh. Anna Fabri, aliique. Nec improbarem, si et alii libri adstipularentur. Est locus vexatus, quem varie tentarunt Viri Docti. Is. Vossius eodem fere modo legebat, quo Grævius; sed *pepercit* interpretabatur, abstinuit a titulo Celtiberici. Sic etiam Freinshemius ad IV. 12. 41. Mihi *pepercit* potius referendum videtur ad Hispanos, de quibus sermo est, quam ad Metellum. Nam verba *majore gloria pepercit* opponi videntur iis, quæ de Graccho dixerat, 'CL. urbium eversione multavit.' Est enim major gloria parcere urbibus captis, quam eas evertere. Vid. IV. 12. 57. Rupertus ad h. l. *Metellus ille, cui ex Macedonia cognomen, meruit et Celtibericus fieri, cum C. m. c. e. et Segobrigæ majori gloria pepercisset.* In hac conjectura, quæ Begero in contextum admittenda visa fuit, cum alia repugnant libris scriptis, tum quod *Segobrigam* intrudit: quum sciret Vinetum hic observasse, in Itinerario Antonini 'Nertobrigam' urbem memorari, quomodo etiam in Plin. III. H. N. 1. pro *Vertobriga* legendum censet Salmas. ad Solin. p. 197. et duas hujus nominis urbes in Hispania, ex iisque alteram in Celtiberis, a Ptolemæo, ac denique 'Nertobrigas' in iisdem Celtiberis, vel eorum finibus, ab Appiano in Hispan. p. 281. et 283. locari. Et miror Rupertum putasse hanc emendationem confirmari e Strabone, qui Lib. III. p. 162. auctor est, Metellum et Sertorium bellum gessisse ad ur-

bes Celtiberorum 'Segobridam' et Bilbilim. Nam vel cæco adpareat ea non pertinere ad bellum Metelli Macedonici cum Celtiberis, sed Metelli Pii cum Sertorio diu post hoc tempus gestum, de quo inf. III. 22. Et hoc ipse Rupertus satis vidit. Aliter Tollius Fort. c. XXVI. *Metellus (ille, cui ex Macedonia cognomen: erat enim Celtiberici vilius*, vel, *nam Celtiberici sprevit) cum C. m. c. e. Segobrigæ majore gloria pepercit.* Idem quod de Ruperti emendatione, etiam de hac sentio. Salmasius in exemplari suo post adnotatas var. lect. e Pall. ita scripserat: *Metellus ille, cui ex Macedonia cognomen, meruerat et Celtibericus fieri. Cum Contrebitam* (pro *Contrebiam*) &c. Hoc deinde rejecit; etsi non omnino contemnendum videtur. In tanta varietate scripturæ veteris et conjecturarum existimavi totum locum ita edendum esse, ut eum edi voluerat Grævius, qui a plerisque scriptis non longe recedit. Sed pro *Celtiberius* ex iisdem et v. e. posui *Celtibericus.* A 'Celtiberia' enim est 'Celtibericus,' non 'Celtiberius,' ut ab 'Iberia' 'Ibericus.' *Cui* pro *qui* jam ante ediderat Stadius, idque probarant Rupertus, Voss. Heins. Ryck. et Perizon. Et facilis est horum permutatio. Quia tamen adhuc scabra est oratio, nec optime cohæret, verba *meruerat et Celtibericus fieri*, parenthesi includenda existimo; qua ratione paullo apertior erit sententia. Pro *Nertobriges* quoque si quis malit *Nertobrigam*, non repugnabo. Schefferus itidem legit *cui*, deinde omnia post *cognomen* usque ad *majori* parenthesi includit, et post *Nertobriges* addit *eis*, quod excidisse putat ob præcedentes literas *es*, et refert ad superiora de Catone, *Celtiberos fregit:* et de Graccho, *eosdem multavit.* Quæ Grævius hic de lenissimis conditionibus Nertobrigibus a Metello latis scribit, ea Appianus in Hispan. p. 282. de Marcello narrat, qui A. U. 601. decem annis ante Metellum Cos. fuit. Marcello autem successit Lucullus.

§. 11 *Lucullus*] Luculli gesta in Hispania scribit Val. M. 3, 2. Epit. Liv. 48. Auctor de Vir. Illustr. cap. 58. Ab his eisdem habetur, quod hic de Scipione Æmiliano. *Camers.* Erat enim Scipio corpore valido. Dio ap. Vales. p. 614. Similia de Marcello refert in ejus Vita Plutarchus, cap. 2. Scipionis autem pugnæ meminit etiam Plutarch. in Præcept. Reip. gerendæ, cap. 21. Item Plinius, 37, 1, 8. adversarium ejus Intercatiensem fuisse scribens: et accedit L. Ampelius. *Freinsh.* Quærit Tollius: ubi verbum? an, servire docuit, e n. 8.? Potest etiam e superioribus suppleri, fregit: quamquam id non convenit omnibus, quæ mox sequuntur.

Cum a rege fuisset provocatus] Ita Viri docti emendarunt, cum in omnibus libris constans scriptura esset, *cum rex fuisset provocatus.* Sed hac supersedere poterant: vera est enim et proba hæc lectio, *cum rex provocatus fuisset:* hoc est, cum rex provocasset: *provocari*, pro, provocare, h. l. activam habet significationem: vide Priscianum, lib. 8. qui plura ejusdem modi ex optimis et vetustis auctoribus recenset: ap. Solin. similiter 'honoratus est,' pro, honoravit: vulgo locus ille corruptissimus, ubi de Dionysio loquitur, Siciliæ Tyranno, cum Platonem accitum ad se exciperet. Sed in nostris lectionibus plura dicturi sumus. *Salm. Rex fuisset provocatus*] Ita Pall. duo, et e. v. et probavit olim Salmasius: ad eam formam Varro ap. Diomed. lib. 1. 'Affectatus est regnum' dixit, Liv. 4, 24, 2. 'Communicati sunt.' Ov. de Ponto 1, 3. 'Hanc probat, et primis dilectam semper ab annis Est inter comites Marcia censa suas.' Suet. Aug. 21, 9. 'Multatus est rebellantes.' Apulei. 207, 17. 'Punita sum funestum nuptiarum mearum prædo-

nem:' sicut Cic. pro Mil. cap. 13. 'Punitus es inimicum.' Nam ap. Val. M. 5, 1, 3. ext. malim legere 'Quodam Tarentinorum in convivio parum honoratum de se sermonem habitum.' Ne vero quid dissimulem, videtur mihi Florus aliter scripsisse: quis enim iste rex, cujus nec Livii Epit. nec Velleius 1, 12, 4. nec Appian. 284. e. meminerunt? non omissuri puto, si quid ejus rei fuisset. Quid ergo si literas istas *Rex* ita scriberem, *cum R. ex. fuisset provocatus:* b. e. *Rom. exercitus?* quod aperte Appianus: nec obstat illud *opima*, quo abusum opinor Auctorem, et hoc nomine decorasse insignia, celebria spolia: quod et hoc evincit, quod Scipio tum non imp. erat, sed Trib. tantum militum; deinde quod Plut. scribit Rom. cap. 27. et Marcello cap. 10. tria tantum ad sua usque tempora opima spolia fuisse. Proprie opima quæ sint, notum ex Liv. 4, 20, 7. quamvis Varro ap. Fest. in *Opima spolia* ea etiam sic vocari dicat, quæ miles detraxerit, dummodo duci hostium: quod ita non observatum fuisse, et Livius indicio est, et hoc ipsum Scipionis, parque Licinii Crassi certamen, qui similiter ducem hostium in Thracia, sed imperatore Augusto, confecit, nec idcirco spolia opima more majorum retulerunt. Vide Val. M. 3, 2, 6. ubi leg. 'Quia sub alienis auspiciis rem gesserant.' Eandem scripturam *rex* pro *Rom. exerc.* extare in libris Livii notavit Beatus Rhenanus, ad Liv. 1, 25, 7. *Freinsh. Cum rex fuisset provocatus*] Sic Ryck. cum aliis libris omnibus, quibus invitis in edd. nunc circumfertur: *cum a rege fuisset provocatus.* Mentem quidem Flori editores assecutos esse puto, sed non verba, quæ ὁ πάνυ Gronovius, qua erat sollertia, feliciter in lucem revocavit, cum scribi jussit: *cum rex fuisset provocator:* facile *or* transiit in *us* oscitantia librariorum. Sed Jac. Perizonius in Animadv. Hist. cap. 7. cum Regis nullius ceteri historici meminerint, putat *Rex* a sciolo intrusum esse, delendumque. Provocatus enim fuit a barbaro quodam ad singulare certamen Romanorum aliquis: idque subiit Scipio. *Græv.* Conspirant in scripturam Naz. Pall. et Ryck. omnes alii Mss. et v. e. excepto Voss. 3. qui habet *a rege*, et Reg. Q, in quo est *rex fuisset*, omissa particula *cum*. Begerus expressit conjecturam Freinshemii, quæ hic locum habere non potest. Non enim 'Romanus exercitus,' sed unus e Romanis, quicumque vellet, ab Intercatiensi quodam provocatus fuerat. Et ita Appianum in Hisp. p. 284. scribere, observat Perizon. Animadv. Hist. p. 267. non, quod Freinshemius dicit, exercitum Rom. provocatum fuisse: quod quomodo unus homo facere potuerit, ne quidem intelligi potest. Salmasius interpretationem suam verborum 'provocatus esset,' repetit ad Lamprid. Commod. c. XI. multaque ibi, et ad ejusdem Diadum. C. VII. ad Solin. p. 38. et 78. profert eadem forma, ut putat, dicta: quæ tamen non omnia ab aliis probata sunt. Multa hujus generis congesserunt et alii ap. cl. Burm. ad Vell. II. 97. et ad Quintil. IX. Inst. Orat. 3. quibus add. Lang. ad Cic. I. Off. 25. et Lips. ad Tac. I. A. 5. Mihi maxime adridet sententia Perizonii, quam pluribus rationibus confirmat l. d. Freinshemius quoque non recte ex sententia Lipsii accepit illud Ovidii 'censa est:' cujus aliam significationem esse ostendunt Gronov. in Add. L. IV. Obs. p. 427. et Perizon. ad Sanct. Min. III. 2. 3.

Opima retulerat] Quomodo opima, cum Scipio et alienis auspiciis rem gereret, nec esset ipse Imperator, nec in ipsa acie detraxisset barbaro spolia, nec barbarus ille fuisset dux hostilis exercitus imperator? Hæc enim requiri volunt ad opima spolia Jovi Feretrio ferenda et consecran-

da. Laxe igitur hæc vox hic accipitur, non proprie, pro spoliis amplissimis, et quæ pene opimis fuerint paria, ut censet ingeniosissimus Perizonius, in elegantissima Dissertatione de Spoliis Opimis, quæ reperitur in Animadv. Hist. cap. septimo, p. 250. *Græv.* Hoc ita exponendum esse etiam Freinshemius vidit: sed non adsignat veram causam cur hæc proprie 'opima' dici non potuerint. Nam 'opima spolia' quoque dicta fuisse, quæ manipularis miles Duci hostium detraxisset, certis quibusdam conditionibus accedentibus, docet cont. Liv. Perizon. l. d. p. 253. Earum autem conditionum hic nulla aderat.

§. 12 *Decimus Brutus*] Quæ de Decimo Bruto dicit Florus, sumpta sunt ex Epit. Liv. 55. et 56. memiuit Val. M. 8, 15. si tamen non est alius. *Camers.* *Decimus* autem scribendum, non *Decius*; hoc enim proprium nomen est, alterum gentilitium. Appian. 'Sextum' appellat. Vellei. 2, 5, 1. 'Aulum.' *Decimum* autem, præter Nostrum, Livii Epit. 59, 11. Plutarchus, Quæst. Rom. cap. 34. Tabulæ Capit. consulares et triumphales; Cassiodorus; ac Panvinius; quin et nummus quidam argenteus, denarius, qui D. Callaic. habet; quem penes se esse dicit Franciscus Fernandius de Cordoua, in Didascalia Sua multiplici, p. 45. Ap. Plin. 36, 5, 21. sine prænomine est, 'Brutus Callaicus.' L. Ampelius semper 'Decimum;' semel atque iterum 'Calæcium' pro 'Callaico' vocat. *Freinsh.* De prænomine Bruti Interpp. ad Vellei. II. 5. Salm. in exemplari suo e Pal. pro *Celticos* scripserat *Celtiberos.* Ita etiam Perizonius conjecerat; maxime, quia in seq. de his tribus populis 'Celtiberis,' 'Lusitanis,' et 'Callaicis' agit Florus. Mihi nihil mutandum videtur. Vicini Callaicis erant Celtici, quorum sedes ad promontorium Celticum fuisse scribit Strabo. Vlitius ad Grat. Cyneget. vs. 514. et ad Nemesian. vs. 253. Dausq. in Orthogr. et Heins. ad Sil. III. 345. volunt scribendum esse *Callæciæ.* Hæc fortassis est vetus scriptura: nam deinde etiam cœpisse scribi 'Gallæcia' liquet ex Inscriptionibus Gruteri, Gudii, et Donii. Cellarius II. Geogr. Ant. 1. scribit in Gruterianis utrumque legi. Ita est: sed in iis, quas citat, prima litera est *C. Omnes* malui e Regg. Flor. Berol. Duisb. et v. e. quam *omnis*, quod erat in Magl. et aliis vett. edd. ad vitandam amphiboliam.

Formidatum militibus] Chronicon Hispanum Floriani de Ocanpo 3, 37. cum dissensum Celticorum et Turdulorum narrasset, addit: exinde persuasionem fuisse apud gentes, eos qui tangerent aquas istas, sui suorumque commodorum oblivisci, sed verba Auctoris sic se habent: *Siguiose junto con esto, que las gentes comarcanas, y todos los otros espannoles, quantos del tuvieron noticia, rehusavan despues desto muchos siglos adelante de tocar en sus aguas, creyendo ser de tal propiedad, que si lo hiziessen, perderian la memoria de si mesmos y de sus prouechos, con oluido perpetuo, de quanto les cumpliesse, como tanbien avian hechoc los Galos sobredichos quando le passaron, la qual superstition duro por alli casi todos los tiemps dela gentilidad, hasta que sus naturales y vezinos reciobieron nuestra santa fò Catholica:* quod equidem ex parte confirmat Epit. Liv. 55. *Freinsh.*

Flumen oblivionis] 'Ferunt, inter Celticos et Turdulos, cum fecissent expeditionem eo, Limæo flumine transito, ortam seditionem; ad quam cum accessisset ducis obitus, mansisse illos ibi dispersos, indeque Oblivioni fluvio factum nomen.' Strabo, lib. 3. p. 106. Florianus nescio quem Julianum Lucam diaconum citat, qui prælium inter eas gentes commissum, et Celticum ducem occubuisse, nar-

rat. Alium fluvium Lethen constituit idem Chronicon, 2, 34. quod refellitur a Cordoua dicto loco. Alius item est hoc nomine, qui circa Syrtes delabitur: sed de eo non est sermo h. l. *Idem.* Mela III. 1. 'Et, cui Oblivionis cognomen est, Limia.' Add. Bochart. Chanaan. I. 34. et Cellar. II. Geogr. Ant. I. Ceterum accusativus 'flumen' non habet, unde pendeat. Non enim, ut in supp. ita hic quoque potest suppleri, fregit, vel, subegit. Ex Epit. Liv. LV. intelligitur desiderari, *transiit.* Non rarum est, ut pluribus nominibus unum verbum adponatur, quod tantum uni eorum nominum respondeat: cujus generis multa habent Sanctius in Min. IV. 8. ibique Perizon. n. 5. et Græv. ad Flor. III. 21. 26. nonnulla etiam adnotata sunt supr. ad II. 7. 8. Sed hoc omnino insolens est et durum, ut in eadem periodo duorum verborum ellipsis sit. Nam aliter explenda sunt illa, 'Celticos, Lusitanosque, et Gallæciæ populos,' aliter 'flumen Oblivionis.' *Victor* non est in Fran. De Juliano Luca vid. Notas Ramiresii ad Luitprand. Adversaria n. 36.

Cadentem in maria solem] Poëtico more, sed et ex opinione communi: vide quæ notat Lipsius ad Tac. Germ. 45, 2. 'Sonum emergentis [solis] audiri:' et Paneg. Vet. 2, 2. Strab. p. 95. *Freinsh.* Add. Stat. II. Silv. 7. 27. et Delr. ad Sen. Thyest. vs. 819. Sed in Tac. l. d. Lipsius legit *se mergentis*, probantibus cum aliis, tum uno instar omnium N. Heinsio ad Vell. I. 17. Nam vett. hoc non de sole oriente, sed occidente tradiderunt. 'Cadere' propria est de hac re vox Poëtis. Vid. Turneb. VI. Advers. 21. et Broekh. ad Propert. I. 16. 23.

Non sine quodam sacrilegii metu] Divinus ille Scaliger, ad Euseb. p. 134. putida hæc censet et κακόζηλα, et videntur sane: nisi forte Florum tueatur Tacitus, Germ. 34. 7. ubi dicit, 'Sanctius ac reverentius visum, de actis deorum credere, quam scire:' ideo sacrilegium pæne fuisse ait Florus, prægrande illud mysterium coram deprehendere. Quo etiam allusisse videtur exquisitissimus adulator L. Vitellius, qui Caio percontanti, 'Vidissetne se cum Luna congredi? oculis in terram demissis, tremens, velut attonitus, exigua voce: Solis, respondit, Domine, vobis diis licet invicem videre.' Dio, lib. 59. fin. *Freinsh.* Post Scalig. ita de hoc loco judicat Vossius VI. Inst. Orat. 4. 3. Florum, quum simpliciter potuisset dicere, quod Sex. Ruffus, 'Hispanias per D. Brutum obtinuimus, et usque ad Gades et Oceanum pervenimus,' τερατολογίᾳ poëtica rem amplificare. Hos sequitur Grævius in Præfat. et merito quidem. Begerus tamen, ut plus sapere videatur, Florum eadem ratione defendit, qua usus fuerat Freinshemius. Sed ea neque personæ Bruti convenit, qui milites invitos coëgit transire flumen Oblivionis, et peragrare litora Oceani; nec efficit, ut Historico liceat hujusmodi portenta ac prodigia loqui. Tollius quoque ad Præfation. Grævii adscripserat, Lipsium ad Tac. l. d. excusare, vel tueri Florum exemplo Hieronymi et aliorum. Verum Lipsius ibi nihil pronunciat de oratione Flori, nec vitium illius a Scaligero notatum tueri conatur: sed postquam ostenderat, etiam alios memorare stridorem solis in Oceanum cadentis, addit, Hieronymum in eodem errore aut sermone esse in Eccles. c. 1. 'Sol ipse postquam ardentem rotam Oceano tinxerit, per incognitas nobis vias ad locum, unde exierat, regreditur.' Hæc non magis pertinent ad defendendum vitium κακοζηλίας et τερατολογίας in oratione Flori, quam quod Bochartus, cujus locum itidem adscripserat Tollius, Phaleg. III. 7. dicit, multas nugas de solis occasu, et stridore occidentis a Græcis et Latinis, in iisque etiam a Floro, referri. Viro docto

locus Taciti videtur sufficere ad defendendum Florum. Vid. Obs. Misc. Vol. x. Tom. 2. p. 174.

Horrore] Suet. Aug. cap. 6. de loco ubi natus fuit Aug. 'concepta opinione veteri, quasi temere adeuntibus horror quidam et metus objiciatur.' *Freinsh.*

§. 13 *Duces*] 'Tanti esse exercitum, quanti imperatorem, vere proditum est:' Noster inf. 2, 18, 15. ubi vide. *Idem.*

Si res cessisset] Sequimur lectionem optimi et doctiss. Vineti, *si res cessisset*. Salm. Sic emendat Vinetus adprobantibus viris doctis. Ita mox, 'si fortuna cessisset:' et inf. 3, 1, 2. *Freinsh.* Libri scripti, et Edd. Vett. *recessisset*. Voss. 2. *si recensisset*. Voss. 3. *nisi decessisset*. Ald. tamen *res cessisset*, idque etiam videtur fuisse in Reg. Q: nam ex eo ad Edit. Grævii, quæ hoc habet, nihil adnotatum erat, e Reg. F *recessisset*. Recte Servius ad hoc Virg. XII. Æn. 148. 'Cedere res Latio,' i. e. feliciter cuncta procedere. Petron. XXXI. 'Vota mihi cedunt.' Vid. ibi Burm. et ad Ovid. Fast. II. 380. Dicitur autem absolute *cedere* in utramque partem. Suet. Calig. LIII. 'Prout stilus cesserat.' Liv. XXIII. 43. 'Nolle ominari, quæ captæ Urbi cessura forent.' Sed frequentius addito aliquo adverbio 'bene,' 'male,' 'prospere,' vel simili. Multa hujus generis Heins. ad Ovid. Fast. II. 380. et Bentl. ad Horat. Sat. II. 1. 31. Sed non satis capio, quomodo verba, *si res cessisset*, conveniant cum præcedd. 'summus vir astu et audacia.' Erat enim, ut eum describit Florus, summus astu et audacia, etiam si res non successit. Perizon. explicabat: summus futurus, si res cessisset, ut erat astu et audacia. Hoc forsitan non omnes probabunt. Possent hæc verba videri loco mota, et opportuniore post vocem 'Celtiberis' collocanda. Sed vereor, ne hic aliquid adpictum sit e seqq. 'si fortuna cessisset.'

Salondicus] Vinetus e suis *Solondicus*. Et ita Naz. Berol. Fran. Duisb. et v. e. *Solundicus* Voss. 2. Verosimile est esse eum, qui in Epit. Liv. XLIII. dicitur 'Olonicus.' Vid. hic Vinet. Gron. ad Liv. l. d. et Pigh. ad A. U. 583.

§. 14 *Velut cœlo missam, vaticinanti similis*] Ejusmodi superstitio quantum roboris habeat in animis imperitæ plebis, præter hoc exemplum, etiam testimonio sunt, Ennus ap. Nostr. inf. 3, 19. 4. ubi plura dicemus; Sertorius, qui cervam, quam mansuefecerat, Dianæ mandata ad se perferre simulabat, ap. Plut. in Vita, cap. 16. Maricus Boius, ap. Tac. H. 2, 61. Munzerus, Bello Rustico; Anabaptistæ Monasterienses, &c. *Freinsh.* De Euno inf. III. 19. 'Fanatico furore simulato.'

Juxta tentorium ipsum] Lipsius vult Florum scripsisse *juxta tentorium ipsius*. In Ryckiano mox est *cecidisset*, et *fixisset*, ut et in editis. *Græv.*

§. 15 *Viriatus*] Historiæ hujus auctores sunt, Epit. Liv. 52. et 54. Cic. de Off. 2, 11. Val. M. 6. 4, 4. Auctor de Vir. Ill. cap. 71. Oros. 5, 4. Eutrop, 4, 15. Sil. 3. 354. Victi autem sunt a Viriato M. Vetilius prætor, C. Plancius prætor, Claudius Unimanus. Auctores qui supra. *Camers.* Frontin. 2, 5, 7. 'Celtiberorum ducem' facit; falso, ut credo. Adde Constantin. Porphyrogen. 55. *Freinsh.* Item Suet. Galb. III. Ap. Appian. in Hispan. Strabon. L. III. et VI. et alios Græcos in Excerpt. Peiresc. ultima syllaba hujus nominis semper est *θος*. Latine quoque *Viriathus* scribi jubent Docti, non *Viriatus*. Vid. Drakenb. ad Sil. x. 220.

Ex venatore latro] Sic Antonius Ciceroni, Philip. 3, 22. dicitur 'ex mirmillone dux, ex gladiatore imperator.' Simile inf. de Spartaco, 3, 20, 8. add. Ammian. 23, 16. Dio ap. Vales. 614. Tac. 2, 52. 1. *Freinsh.*

Epit. Liv. LII. 'Ex pastore venator, e venatore latro, mox justi quoque exercitus Dux.'

Si fortuna cessisset] Ryck. *cepisset.* Reg. Q, et Fran. *gessisset*, eodem errore, quem in Naz. I. 1. 3. notavit Salmasius, et in Ovid. et Horatii libris Heinsius et Bentl. locis ad n. 13. laudatis.

Hispaniæ Romulus] H. e. fundator et conditor imperii Hispani, sicut Romani fuerat Romulus. Σωτῆρα vocat Diod. ap. Vales. p. 346. *Freinsh.*

Per XIV. *annos*] Qui plurimum numerarunt, annos fecerunt 14. belli Viriatini: ut Livii Epit. 54. et Florus. At Appianus p. 297. 'annis' duntaxat 'octo id bellum gestum' aperte scribit. Aperte inquam, atque etiam exacte. Nam ille numerat ab anno 606. quo proprie id cœpit: Liv. et Florus anno 601. quo Lusitani rebellarunt, non tamen Viriato duce: sed quia connexa bella fuerunt, confundunt. Quorsum hæc? ut prælargum falsumque esse Velleianum numerum constet, et parte altera truncandum: 'Coutumelioso X. annorum bello' legito: et Justinum 44, 2, 7. auctorem habeto. Hæc Lipsius ad Vellei. 2, 90. 4. *Idem.* 'Undecim' annos Viriathum Lusitanis præfuisse est in Excerpt. Peiresc. Diodori p. 361. ubi Justini, aut Diodori sententiam veriorem esse putat Valesius. Vid. tamen Voss. ad Vell. l. d.

Omnia citra ultraque Iberum] Salmasius ad Spartian. Adrian. c. XI. et Heins. ad Ovid. Ep. Med. vs. 27. hæc verba ita laudant, *Omne intra Iberum et Tagum flumen depopulatus.* Nempe *omne*, pro *omnia*, hic quoque volebat Salmasius, ut supr. n. 9. Hoc fortassis sine vitio dici potest, ut in iis quæ habet Broekh. ad Propert. IV. 8. 30. Sed non sine causa abeundum est a scriptura librorum, in qua nihil reprehendi potest.

§. 16 *Castra etiam Prætorum et Præsidum aggressus*] *Prætorum præsidium*, in altero Pal. alter vero, *prætoriorum præsidium*, uterque male. *Salm. Prætoriorum præsidium* etiam Naz. ap. Salm. item Ryck. Duisb. Fran. et v. e. *Prætoriorum et præsidium* Flor. Edd. B. P. et J. *Prætorum et præsidium* Berol. Magl. et Ald. *Prætoriorum præsidum* Voss. sed 2. perperam *prætoriarum.* Fortassis ita scripserit Florus, ut III. 19. 7. 'Prætorios duces profugos prælio ipsi sequebantur.' Et omnes quos a Viriatho gravibus cladibus adfectos tradunt Veteres, Prætores fuerunt, Vetilius, Claudius, et Plautius. Vid. Epit. Liv. LII. Oros. V. 4. et Aur. Vict. c. LXXI. 'Præsides' pro Præfectis provinciarum Florum e more sui temporis dicere observat Schulting. ad Sen. Controv. XXV. Hoc bene animadversum arbitror: nec enim scio Cic. Liv. aliosque vetustiorum ita loqui.

Claudium Unimanum] De hoc Livius nullam facit mentionem, sed Auctor de Vir. Ill. Orosius, Eutropius, idem cum Floro dicunt. *Camers.* 'Vitellium' nominat Diodor. lib. 32. Claudiorum alias cognomen fuit 'Centimanus,' l. 2. §. 36. de O. J. *Freinsh. Claudium inhumanum* Voss. 3.

Pæne ad internec. cecidit, et, &c. fixit] Hactenus omnes, *cecidisset, et, &c. fixisset:* nullo sensu: quod etiam Vinetus animadvertit, et propterea particulam *quum* inserendam putavit. Sed hac nostra emendatione, quam et Berneggerus pro verissima habet, res expedita est. Cecidit enim prætorem et trophæa illa fixit sine dubio: sic Auctor de Vir. Ill. Oros. et Eutrop. supra citati. Item Adonis Chronic. sub anno 4631. Corrupit locum particula 'pæne,' quæ correctoribus videbatur aliam constructionem requirere: quapropter verborum subsequentium casum mutarunt, cum ea vox cum sequentibus conjungenda fuerit. Simile corruptionis exemplum ostendemus in Liv. 4, 31, 8. Loqui-

tur de Mamerco Æmilio, quem ob imminutam censoriam potestatem, notatum et ærarium factum, urgentibus bellis dictatorem dixerant: legitur itaque: 'Adeo, simul fortuna civitatis virtute vera cguit, ut nihil censoria animadversio effecerit, quo minus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur.' Hic particula 'Adeo' idem operata est, quod in Nostro illa altera: scripsit enim Livius *eguit, nihil censoria animadversio effecit, &c.* præterea non intellexerunt correctores vim vocis 'simul,' quæ valet, simulatque, quam primum: ita Sall. Cat. 7. 3. 'Juventus, simul' (sic vetustiores edd. non *simul ac*) 'belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebant.' *Freinsh.*

Cecidit et] Duæ voces in unam coaluerant, librariorumque opera factum erat *cecidisset:* male. Simile mendum in Justino 10, 3, 3. annotavimus, in voce *processisset*, pro qua rescribendum: *processit et.* Item in l. II. de Feriis ubi legitur, *Cessantes, excusationes allegentur*, pro *Cess. exc. allegent, ut, &c.* Similiter corrigendus Obsequens cap. 122. *Cum in agro Pistoriensi Catilinam devicisset laureatos, &c.* Putem legend. *C. Ant. in a. P. Cat. devicit, et laur. &c.* Sicut apud Paul. Diac. lib. 15. pr. *Attila dum cum fratre Bleda, &c. devastaret, &c. peremit, &c. compulit:* lego: *Attila d. c. f. Bl. devastat, &c. perimit: &c. compellit.* Idem. *Cecidisset* et *fixisset*, ferc omnes libri scripti et editi. E Regg. adnotatum est *cecidit insignia.* Iidem tamen habent *fixisset*, ut alii. Vinetus recte animadvertit ita non consistere orationem, nisi inserto *quum:* Qui quum cecidisset Unimanum, et tropæa fixisset, tandem eum Fabius ....Sed hoc propemodum intolerabile hyperbaton foret. Itaque malui sequi Freinshemium, cujus conjecturam etiam Grævius et alii receperunt, etsi non velim præstare ita scripsisse Florum. *Internicionem* hic erat in libris Vineti, in Pal. 2. ap. Salm. Ryck. Regg. Toll. et o. e. v. item Gruteri, Freinsh. et Grævii. In Cicerone quoque multis locis ita e vett. libb. ediderunt Gruterus et Grouovius. *Internecio* tamen e Prisciano præfert Voss. in Etymol. In Pal. 1. hic et cap. seq. n. 6. *ad interemptionem:* ut in nonnullis libris Ciceronis pro Leg. Manil. c. XI. pro Sull. XI. et pro Dom. XXIV. Vid. Græv. ad ea loca.

Insignia] Sic Pal. et I. Vetus tamen editio, *insignita:* sed illud alterum præplacet: dictum enim est sicut illud Virg. Æn. 7. 612. 'Quirinali trabea, cultuque Gabino Insignis.' *Freinsh. Insignita* etiam Berol. et Duisb. Recte Naz. Regg. Voss. Flor. Fran. et Magl. *insignia*, pro quo perperam Ryck. *insigna.* Reg. Q *insignia cladis ex fascibus nostris et trabeis.* Frec. I. 6. 3. 'Trabeas, fasces, ceteraque insignia Romana in montibus suis trophæa præfixit.' Ex his Tollius Fort. XXVI. facit, *ceteraque insignia imperii in montibus suis tropæa fixit.* Ego antiquo. 'Trabeas' hic pro paludamentis Imperatorum poni adnotarat Ryckius. Et ad hos pertinere ostendit vox 'fascibus.' Sic I. 13. 10. 'trabeas' pro amplissimo vestitu dicit. Nam alioqui trabea non erat propria vestis Imperatorum.

In montibus suis trophæa fixit] Servius ad Æn. 11, 6. 'Trophæa non figebantur nisi in eminentioribus locis. Sallust. de Pompeio (Iucert. 5, 7.) 'Devictis Hispanis, trophæa in Pyren. jugis constituit.' Ex quo more trophæa arcubus exædificatis in urbibus figuntur.' Sc. ut magis sint conspicua. Sic inf. 3, 2, 9. 'Domitius Ænobarbus et Fabius Maximus ipsis quibus dimicaverant locis, saxeas erexere turres, et desuper exornata armis hostilibus trophæa fixere:' ap. Tac. 2, 18, 4. 'Miles [Germanici] struxit aggerem, et in modum trophæorum, arma, subscriptis victarum gentium nominibus, imposuit:' ap. Sil. 15, 482. 'Pyrenes tumulo clipeum cum carmine signat, Hasdrubalis spo-

lium, Gradivo, Scipio victor.' De trophæis Pompeii etiam Dio lib. 41. p. 185. Et Plin. 37, 2, 3. 'Imago, quam Pyrenæis montibus imposuisti.' *Freinsh.*

§. 17 *Etiam*] Ita v. e. et codd. quidam scripti Vineti: ut et Pall. alii editi, *eum*. Idem. *Etiam* omnes scripti et Ed. V. B. S. et P. *Eum* Junt. et Ald. Et hoc in quibusdam suis invenisse videtur Vinetus. Nam ita scribit: 'Vetusti quidam libri scribunt *etiam* pro *eum*.' Non video, quam sententiam habeat *etiam*, putoque, locum ita distinguendum: *tropæa fixit. Tandem eum Fabius*....ut in Edd. Camertis et Stadii. Et sic videbatur Perizonio. Mox V. E. *oppressit*. Retineo vulgatum. Vid. ad IV. 2. 19.

Pompilio] Diodoro, lib. 32. est Σκηπίων. Forte leg. Κηπίων, et apud Florum, *Servilio*, pro *Pompilio*. Freinsh. Hic quoque aut turpiter errasse Florum, aut fœde fuisse interpolatum erudite docet ingeniosiss. Perizonius Animadversionum Historicarum cap. 10. testatus, Q. Servilium Cæpionem Consulem anni 613. Fabio Maximo Serviliano successisse, et ab hoc fraude sublatum Viriathum, quod constet ex Appian. Liv. Vell. et Val. M. Neque verum esse Viriathum a Fabio fuisse oppressum, cum contra Viriathus Fabium ad pacem secum æquis conditionibus faciendam adegerit, teste Appiano, qui ista pace labem rebus prospere ceteroquin a se gestis in Hispania imposuerit, idque Epitomen Livii docere. Præterea nullos tum fuisse Romæ Pompilios, sed Florum scripsisse *Popilio*. Fuisse autem M. Popilium anno post Cæpionem Consulem, et ex Hispania quoque tenuisse provinciam alteram. Sed eum non contra Viriathum, sed contra Numantinos bellum gessisse, neque id illum confecisse, sed fusum fugatumque cum ignominia successori hoc bellum tradidisse. Posse autem tot erroribus Florum liberari, si pro *successore Pompilio* scribamus *successore Cæpione Servilio*, quod facile potuisse fieri pluribus in loco laudato ostendit Perizonius. Nec improbo sollertiam Viri et amici eximii, vero similius tamen mihi videtur Florum hic ut innumeris aliis in locis dormitasse. Cæpionem oppressisse Viriathum præter laudatos a Perizonio scriptores clarissime docet Aur. Victor c. 71. 'Pacem a Pop. Rom.' (sic recte ex Mss. Schottus, cum perperam legatur in vulgatis *Popilio*) 'maluit integer petere, quam victus: et cum alia dedisset, et arma retinerentur, bellum renovavit. Cæpio cum vincere eum aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriathum humi depositum peremerunt. Quæ victoria quia emta erat, a senatu non probata.' *Græv.* Quinque libri Vineti Magl. Fran. edd. B. S. P. et J. *Pompilio*. Naz. Pal. 2. Flor. Berol. Duisb. Voss. et v. c. *Popilio*. Ryck. *populo*. Florum, si *Popilio*, vel *Popillio*, ita enim est in Fastis, scripsit, errasse certissimum est. Sed nondum pro certo adfirmari potest hoc ab ipso Floro profectum esse. Nam in Regg. diserte scriptum est *Serv. Cæpione*, et in Pal. 1. ap. Salm. quem Gruterus tertium vocat, *Cæpione*, Ald. Camert. et Stad. Edd. *Servilio*, quod Gruterus a Criticis intrusum dicit. Beger. edidit *Cæpione Servilio*. Recte quidem ex Historia. Sed non debuerat sine ullo præsidio librorum conjecturam Perizonii admittere, qui, quod miror, ne ipse quidem ad scripturam Pal. 1. in quo est *Cæpione*, provocat. Magis inclino ad Florum culpa liberandum, quam condemnandum. Sed reliqui, quod plerique scripti, Ed. vet. ac recentiores habebant.

Violata victoria] Inf. 2, 20, appellat: 'Violare arma Romana.' *Freinsh.*

Qui conficiendæ rei cupidus] Cur ejecerint τὸ *quippe* caussam nullam video. In Ryck. enim et omnibus editis an-

tiquioribus legitur, *quippe qui conficiendæ rei cupidus.* Græv. 'Quippe qui' rursus bis cap. seq.

Extrema deditionis] Agitantem de deditione, quod extremum est in bello. Rursus IV. 5. 'Compulitque ad extrema deditionis.'

Domesticos percussores] Amicos Viriati, quos pro pace consequenda miserat: vide Appian. p. 296. m. quod item Metellus imitatus est, ap. Sall. Jug. 46, 4, et 61, 3. vergentibus jam populi Romani moribus. Prius enim minime Romana ars putabatur, fraus ac dolus. Hinc cum Q. Marcius gloriaretur decepto per inducias et spem pacis Perse, 'veteres, et moris antiqui memores, negabant, se in ea legatione Romanas agnoscere artes.' Liv. 1, 53, 4. et 42, 47, 5. Quamvis ne hoc quidem Servilii factum probatum, præter ceteros etiam Val. M. 9, 6, 4. indicet. Vid. quæ notavimus supra 1, 18, 21. Insidias hujusmodi 'degeneres' vocat Tac. 11, 19, 4. *Freinsh.*

Hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse] Plutarch. de Sertorio, simili fraude cæso, in Eumene, c. 37. 'Neque vero Sertorii vitam dehonestavit exitus, cui quæsitum est ab sociis, quod hostium inferre potuisset nullus.' Quo Lucianus respexerit, cum in Jove Tragœdo dixit, 'adversarium ante pugnam sublatum, invictum mori.' *Idem.*

CAP. 18 Bellum Numantinum scribunt Epit. Liv. 57, et seqq. Auctor de Vir. Ill. cap. 58, et 59. Val. M. 2, 7, 1. 3, 2, 7. ext. 7, 6, 2. ext. August. Civ. 3, 21. Eutrop. 4, 3. Oros. 5, 6. *Camers.* Adde Strab. lib. 3. p. 122. Vellei. 2, 4, 3. Appian. in Hispanicis: Frontin. 4, 1, 1. Plut. Mario, cap. 3. Veget. 3, 10. Diodor. in Excerpt. Vales. p. 381. *Freinsh.*

§. 1 *Ita virtutis nomine*] Quæro exempla probatorum Scriptorum, apud quos, præcedente adverbio 'quantum,' 'ita' fungatur vice redditivi 'tantum.' Tentavit hunc locum Tollius Fort. c. XXI. Sed admodum obscura sunt, quæ scribit, culpa, credo, typographorum. Primum putat legendum, *Numantia, quam Carthagini, Capuæ, et Corintho opibus inferior; ita* ....Deinde dicit, se pro *ita* repositurum fuisse *in tantum*, nisi scivisset ista ætate *quantum* usurpatum pro, quemadmodum: ut in Suet. Vesp. IV. 'Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea paruit, prædictum Judæi ad se trahentes rebellarunt.' Hinc adparet eum in Floro voluisse retineri *quantum*, et pro eo operas male dedisse *quam.* Verum *quantum* non Suetonii modo, sed etiam Terentii et Ciceronis ætate ita usurpatur. Terent. Andr. 1. 3. 2. 'Quantum modo intellexi senis sententiam.' Cic. III. Ep. Fam. 8. 'Etsi, quantum ex tuis literis intelligere potui, videbam.' Ac neque 'quantum' in his plane idem est, quod quemadmodum, neque particulam redditivam, quam Grammatici vocant, post se habet. Suspicor *quemadmodum* fuisse scriptum compendio literarum, et ex eo deinde ortum *quantum.* 'Quemadmodum' obvium est in Cic. et aliis, 'ita' vel 'sic' sequentibus. Ipse Flor. II, 6. 19. et II. 8. 1. 'quemadmodum....sic.' Vid. Stewech. de Particul. Ling. Lat. Doctiss. Wopkens, ut probet hunc locum non fuisse tentandum, in Adversar. in Dictyn profert locum Venantii Fortunati lib. III. 495. (est in Poëtis Christianis Fabricii p. 705.) 'Quantum nocte dies distat, sol lampade lunæ, Factori cedunt sic tua facta suo.' Si Florus esset scriptor medii sæculi sexti, ipse quoque hic nihil tentandum putarem.

§. 2 *Sine muro*] 'Nec enim est magnus murorum usus urbibus cum viris vincendi guaris.' Plut. Symp. 2, 5. Sic ad hoc quoque caput pertineat, quod Strabo, lib. 3. pag. 106. ait: 'Quosdam eorum, qui ad Durium amnem accolunt, Laconica uti vitæ

ratione.' Nam Sparta sine muris, ad Antigonum usque, si credimus Justino, 14, 5, 6. *Freinsh.* Strabo lib. III. p. 162. et Appian. in Hispan. p. 281. et 307. tamen memorant muros et munitiones Numantiæ, et Oros. v. 7. arcem. Vid. Cellar. II. Geog. Ant. 1.

Apud flumen Durium sita] Sic quidem recenter editi, aut *situata:* at noster antiquus tantum habet, *apud flumen sublata:* et vere: Mss. Vineti aberat etiam vox *Durium*, eratque in plerisque, *apud flumen silata.* Pal. 2. præfert, *apud flumen Sytata:* tert. *apud flumen situata.* Grut. Sueyro, in versione Velleii: *La Numancia ciudad puesta segun Morales en el fin septentrional de los Celtiberus, en los pueblos llamados Arcuacos, poco mas de una legua mus arriba, de donde ahora esta la ciudad de Soria, a la pouente que llaman de Guaray, lunte el rio Duero.* Freinsh. *Apud flumen Durium sita*] In Ryck. ut et in aliis libris, docente Grutero, desideratur *Durium.* Græv. *Durium* nec Vineti, nec alii scripti, excepto Reg. F, nec vett. editt. habent. Sequens vox varie scribitur. Naz. Vineti quidam, Reg. F, Magl. Voss. 1. et 3. *silata.* Pal. 2. ap. Salm. *Sylata.* Voss. 2. *Siladam.* Pal. 1. Flor. Edd. B. S. et P. *situuta.* Berol. Duisb. et v. e. *sublata*, quod edidit Begerus. In Fran. scriba conjunxerat duas varias lectiones *apud flumen silata, vel sita.* Et ita etiam in quibusdam libris Vineti erat. Viderint acutiores, si ex his aliquid ad hunc locum emendandum possint exsculpere. Mihi nomen fluvii vix videtur posse abesse. *Situatas* barbarum esse recte pronunciat ad h. l. Vinetus. Nec dubito, quin pro eo legendum sit *sita:* ut in Ryck. Reg. Q et nonnullis Vineti.

Quatuor millibus] Variat Strabo dicto libro. *Freinsh.* Numantinorum numerum alii majorem, et contra Romanorum minorem faciunt. Vid. hic Vinet. Interpp. Velleii II. 1. et Perizon. Animadv. Hist. c. VI. p. 208. Mox *millium* non legebatur in duobus Pall. Duisb. Fran. et edd. V. S. et P. In Ryck. $\frac{m}{XL.}$ unde error oriri potuit. In sec. Pal. et Regg. male *exercituum*, et in Reg. Q pejus *quadraginta millium exercituum per annos* XIV. *sola vires sustinuit.*

Per annos quatuordecim] Strabo lib. III. p. 162. bellum Celtibericum, quo etiam Numantinum comprehendit, viginti annos durasse scribit. Et Numantinos jam inde ab initio hoc bello implicatos fuisse, et jam A. U. 600. i. e. 20. annis ante excidium urbis eorum, cum Rom. pugnasse, constat ex Appian. Hispan. p. 280. 281. Sed cum sola Numantia ne quidem per 14. annos bellum gestum est. Petavius IV. Rat. Temp. II. hoc numero etiam bellum cum Viriatho comprehendi censet. Sed ita Florus etiam 20. annos ponere potuerat.

Sævius aliquanto perculit] Lipsio rectius videbatur: *sæpius aliquando perculit:* non laudo. Sævius perculit Romanos Numantia, quam Carthago, aut Corinthus. Mox pro edito *pudendisque fœderibus affecit*, Ryck. *p. vulneribus af.* hoc est, cladibus, ut sæpe loquuntur auctores. 'Affici clade,' aut 'vulnere,' nemo nescit quam bene dicatur, sed quam bene dicatur *affici fœdere* viderint alii. *Græv.* Perizonius *fœderibus* defenderat, adscripto loco Flori III. 21. 13. Vellei. II. 1. 'Pompeium ad turpissima deduxit fœdera, nec minus turpia ac detestabilia Mancinum.' Et potest Florus videri præcipue respicere ad turpia illa fœdera, quæ mox memorat. Sed est tamen inauditum genus loquendi *fœderibus aliquem adficere.* Itaque *vulneribus* recte prætulit Grævius vulgato *fœderibus*, quod habent alii o. s. et e. *Vulnus* pro clade notissimum. Et *pudenda vulnera*, ut 'pudendæ clades' ap. Liv. XXV. 6. 'Vul-

nere adficere,' Tac. IV. A. 45. 'Pisonem uno vulnere in mortem adfecit.' Et Scriptor de Bell. Hisp. c. XII. 'Compluresque vulneribus adfecerunt.' 'Clade adficere' Curt. X. 6. Et sic forsitan melius legatur in Vell. II. 30. ubi de bello gladiatorio scriptum est: 'Gravibus variisque casibus adfecere Italiam.' Nam *casibus aliquem adficere* non memini me usquam alibi legere. Suet. Cæs. XXV. 'Germanos maximis adfecit cladibus.' Curt. X. 6. 6. 'Clades, qua adfecti sumus.' Si tamen 'casibus' videbitur retinendum ex Sulp. Severo, quem in vita B. Martini cap. XXI. ita loquutum ostendit Wopkens. in Adversar. in Vellcium, per me licet maneat cum aliis singularibus Velleii, quæ Sulpicium imitatum esse dicit. Begerus hic *vulneribus* in contextum intulit, quod non fecerat Grævius, contentus sententiam in Animadv. dixisse.

§. 3 *Si fateri licet*] Apud aures insuetas audire vera. Simili præfatione utitur inf. 3, 7, 1. *Freinsh.*

Sedigenses socios] Omnino verum est, *Segidenses:* quod cum alii jam vidissent, mirum eos retinuisse: tres scripti Codd. *Segidenses* scribunt. *Salm. Segulenses*] Sic Pall. tres: nam nunc iterum in scenam redit ille Naz. *Grut.* Hoc autem ipsum cum, Thebis diruitis, Athenienses fecissent, 'ita graviter tulit Alexander, ut secunda legatione bellum deprecantibus, ita demum remiserit, ut oratores et duces, quorum fiducia totiens rebellent, sibi dedantur.' Justin. 11, 4, 10. ut ita non adeo injusta belli caussa videatur, receptatores hostium invadere. *Freinsh.* Hic quoque de scriptura Codd. Pall. in diversa eunt Salmasius et Gruterus. *Segidenses* Toll. Regg. Voss. Fran. Duisb. et Edd. vett. sed Ald. *Segedenses.* Ryck. *Sedigentes.* 'Segida' urbs Celtiberiæ est ap. Steph. Eam non longe abfuisse Numantia intelligitur e Strab. lib. III. p. 162. et App. in Hispan. p. 279. Sed huic et Plinio III. H. N. est 'Segeda.' Vid. hic Vinet. et Rupert.

§. 4 *Deprecatio*] De hac nihil scribit Appianus, sed Numantinos una cum Segidensibus adversus Rom. pugnasse auctor est, in Hispan. p. 279.

Hoc sic a barbaris acceptum] De Hispanis in genere Justinus, 44, 2, 5. 'Plurimis militares equi et arma sanguine ipsorum cariora,' ubi notam Bernecceri vide: et quæ notamus sup. 1, 10, 2. et 2, 3, 5. Item Dionys. ap. Vales. 529. et supp. Curt. 1, 14, 6. *Freinsh.* Liv. lib. 34. c. 17. ostendit omnes Hispanos hoc ingenio fuisse, plerosque manus sibi attulisse ob ademta arma: 'Ferox gens,' inquit, 'nullam vitam rati sine armis esse.' *Græv.* Naz. Fran. Toll. Duisb. Voss. 1. 2. et v. e. *absciderentur* ab 'abscido:' quod probabat Tollius.

Megara viro fortissimo duce] Illud *viro* mihi suspectum est; nec temere: satis fuisset dicere, *Megara fortissimo duce.* Hoc leve tamen argumentum: illud fortius, quod omnes libri *victo*, non *viro*, scribunt: an legendum, *Megara invicto et fortissimo duce?* an potius *Megaravicto*, aut *Megaravisto*, ut *Megaravistus* sit nomen proprium illius ducis? Quibus otium est, verum quærere non omittent, nos ad sequentia pergimus. *Salm. Megara viro*] Videtur restituendum, *Megaravicto:* nam sic sane Pall. tres: nisi quod fere duabus vocibus exararint, *Megari victo.* Grut. Ryck. etiam *Megara victo fortissimo duce.* Videntur Salm. et Gruterus non absurde conjecisse *Megaravisto fortissimo duce.* Græv.

Conversi, Pompeium] Ἀσύνδετον cum hac distinctione non magnopere placet. Malim cum Perizon. *conversi. Pompeium prælio aggressi fœdus t. m.* De Pompeii rebus gestis adversus

Numantinos Pigh. ad A. U. 613. Add. Cic. III. de Off. 30. De Mancini Pigh. ad A. U. 616. Ap. Appian. in Hispan. p. 300. male ' Atilius Mancinus.'

§. 5 *Ne oculos quidem*] Scio quidem, a Viris doctiss. exponi hæc de ardore vultus et oculorum, de quo sup. 1, 16, 12. quædam notavimus: sed h. l. videntur simplicius intelligenda, ut dicat Auctor, non ausos appropinquare Numantinis. *Sie haben ihnen nicht getrauet under die augen zu tretten.* Freinsh. Tantum terrorem offundunt animis clades. Similia de Masæsylis Liv. narrat lib. 30. ' Tum vero Masæsyli, non modo primum impetum, sed ne conspectum quidem signorum atque armorum tulerunt. Tantum seu memoria priorum cladium, seu præsens terror valuit.' *Græv.* Recte Freinsh. et Grævius. Est enim hic extremus gradus timoris. C. Nep. Epam. VIII. ' Quod eos coëgit apud Leuctra superare Lacedæmonios, quos ante se Imperatorem nemo Bœotiorum ausus fuit adspicere in acie.' Vid. ibi Gebhard. Herald. II. Advers. 4. Rupert. ad h. l. et Bentl. ad Horat. I. Carm. 3. 18.

§. 6 *Armorum manubiis*] Non intelligo quæ sint *armorum manubiæ*, nec quisquam Interpretum id exposuit. Sententia verborum vix alia esse potest, quam Romanos a Numantinis coactos fuisse arma tradere: nam sic *armorum manubiæ* dicerentur, ut Livio in XXXI. 37. ' Spolia armorum.' Sed hoc nemo prodidit. Appian. p. 300. scribit Mancinum a Numantinis loco iniquo circumventum pacem cum iis æquis conditionibus fecisse. Plutarchus in Ti. Graccho addit, Numantinis omnia, quæ in castris erant, in prædam concessa fuisse. Dubito ergo an Florus scripserit *armatorum manubiis;* ad augendam ignominiam Romanorum, qui quum arma haberent, tamen hosti omnia sua diripienda dare coacti fuerint, quæ ferro defendere debuerant.

Ad internecionem] Epist. Liv. 55, 5. ' Quum spes nulla servandi exercitus esset.' *Freinsh. Cum ad internecionem sævire potuissent*] Ryck. *cum ad internecionem delere potuissent:* hoc est, occidere, ut alii loquuntur. *Græv.* Sic quoque Voss. 3. *Internicionem* rursus Ryck. Toll. Duisb. et o. c. *interemptionem* Pal. pr. Vid. Cap. præced. n. 16.

§. 7 *Deditione Mancini*] Adde Vellei. 2, 90, 5. et quæ notamus supr. 1, 16, 12. *Freinsh.* De deditione Mancini Appian. et Plutarch. l. d. Cic. III. de Off. 30. Flor. III. 14.

§. 8 *Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto*] Nimirum, ' Iter est, quacunque dat prior vestigium:' ut loquitur P. Syrus: et vere Paterc. 2, 3, 5. ' Non ibi consistunt exempla, unde cœperunt: sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt:' de qua re luculentiora promsimus, ad Tac. 13, 16, 5. *Grut.*

§. 9 *Acrius in castris*] Hunc locum Begerus, si ei credimus, restituit e Cod. Berol. At ego neque in scripto ullo libro, neque in edito aliter inveni; præterquam in quibusdam Edd. Elzeviriorum, et iis, quas curavit Schrevelius, in quibus negligentia operarum editum erat ' acrius in castris, quam cum Numantino.'

§. 10 *Quippe*] Disciplina militaris quibus artibus revocari possit, hoc ipso, aliorumque ducum exemplis, docent, Veget. 3, 11. Frontin. 4, 1. Val. M. 2, 7. *Freinsh.*

Injustis] Hoc contra nescio quos, qui malebant *insuetis*, recte tuetur Anna ex illo Virg. III. G. 346. ' Haud secus ac patriis acer Romanus in armis Injusto sub fasce viam dum carpit:' quæ in eamd. sententiam laudat Veget. I., de Re Milit. 19. Nempe ut 'justum' dicitur pro eo, cui modus inest; ita ' injustum ' pro

immodico et nimio. Add. Gron. ad Quintil. Decl. III. 16.

Servilibus maxime operibus] Imitatus hoc est Sylla. Vide Plutarch. in Vita. *Freinsh.* Hæc se non æquis oculis legere scribit Lips. v. de Milit. Rom. 6. Nam milites Rom. ipsos omnia opera castrorum fecisse, numquam servos, nisi semel aut iterum, ob causas: quamquam iidem interdum adjuverint, milites ipsos omnia onera sua portasse, nec iis ab Imperatoribus disciplinæ studiosis permissum fuisse servum aut jumentum ad eam rem habere, docet Ib. Dial. II. Sed Florus hæc nunc ideo 'servilia opera' vocat, quia sub Ducibus disciplinæ militaris negligentibus, quales fuerant, qui ante Scipionem bellum cum Numantinis gesserant, lixæ et calones semper magno numero in castris erant, et opera castrorum faciebant. Ita Salm. ad Spartian. Adrian. XIII.

Ferre plenius vallum] I. e. plures vallos, quam pro more, gestare. Vallos secum ferebant milites, ut statim se vallare ac munire possent, si castra subito locanda, aut alia necessitas esset. Lips. v. de Mil. Rom. 11. Liv. XXXIII. 6. 'Quintius postridie, vallum secum ferente milite, ut paratus omni loco castris ponendis esset, progressus.' Serv. in Virg. VI. Æn. 1. 'Consuetudo erat militis Romani, ut ipse sibi arma portaret, et vallum.' Ferebant autem singuli plerumque ternos vel quaternos vallos in unum fascem compositos. Polyb. XVII. 14. Pro his Scipio eos coëgit septenos ferre. Epit. Liv. LVII. vid. Lips. l. d. 'Plenus' pro copioso et abundante obvium est. Sed non scio, quis præterea 'hoc vallum' dixerit pro, hic vallus. Munitio tota castrorum et alia munimenta sine discrimine *vallum* et *vallus* dicuntur. Scriptor Bell. Alex. c. II. 'Omnibus viis atque angiportis triplicem vallum obduxerant; erat autem quadrato exstructus saxo.' Gron. III. Obs. 18. Vid. quæ adnotantur ad Liv. VIII. 38. 7.

Scorta] Polyb. ap. Vales. 206. Ὅτι Σκιπίων ἑταίρας καὶ θύτας καὶ μάντεις ἐξήλαυνε τοῦ στρατοπέδου. *Freinsh.* Epit. Liv. LVII. 'Duo millia scortorum castris ejecit.' Lipsius v. de Milit. Rom. 18. exponit mulierosos. Sic Quintil. Decl. III. 3. 'Inter Romanarum legionum manipulos scorta deligere, et ad stuprum trahere sacramento rogatos.' Et ib. II. 'Itane tandem scorta tua stipendium merentur, et sub signis exoletos trahis?' Et *scortum* hac significatione sæpe ap. Latinos. Curt. 10. 1. 'Amicos Regis non scorta se colere: nec moris esse Persis mares ducere, qui stupro effeminarentur.' Liv. XXXIX. 42. 'Philippum Pœnum, canum ac nobile scortum.' Vid. Ald. ad Cic. de Senect. XII. Torrent. ad Suet. Vitell. III. et Burm. ad Quintil. l. d. Appianus tamen, nam in eo leguntur, quæ habet Suidas in ἑταῖραι, fortassis e Polyb. cui Valesius et Freinsh. hæc tribuunt, p. 303. a Scipione ἑταίρας, meretrices, castris ejectas dicit. Sed præfero sententiam Lipsii: nam femineus sexus plane removebatur a castris Romanis. Et hæc causa nefandæ libidinis cum maribus in castris. Nec movet me auctoritas Appiani; nam hic vocem Latinam 'scorta,' quæ de utroque sexu dicitur, tantum de sequiore dici putare potuit. Add. annotata ad Liv. Epit. LVII. A Græca militia quoque non abfuisse eam fœditatem, argumento est Cinædopolis, insula parva Ceramici sinus, ita dicta, quod in ea Alexander M. probrosos ex exercitu suo reliquit. Plin. v. H. N. 31. *Ad hæc scorta* Ryck. Flor. Berol. Duisb. Fran. Voss. 3. Supr. c. 8. §. 3.

Necessariæ] Naz. Florent. Berol. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et v. e. *necessaria:* quod Salmasio melius vide-

batur. Nihil muto: ne quis ad omnia præcedentia referat.

Amputantur] Tolluntur, adimuntur: XXIV. 7. 'Amputari moras jubent.' Cic. Somn. Scip. VI. 'Quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit.' *Circumcidere* dicit Cels. IV. 20. 'Circumcidendum vinum est in totum annum.' Et VI. 9. 'Vinum ex toto circumcidendum est.'

§. 11 *Tanti esse exercitum*] Hinc Liv. 2, 39, 1. 'Rem Romanam, ducibus quam exercitu, fortiorem:' et 5, 28, 5. 'Multitudinem semper ferme regenti esse similem.' Antigonus Gonatas, fine literarum ad Zenonem, quæ ap. Laërtium leguntur: 'Qualis princeps fuerit, tales quoque illos, qui ejus imperio parent, plerumque evadere verisimile est.' Claudian. in Eutrop. 2. 415: 'Cum duce mutatæ vires:' et ita plane Liv. 5, 19, 3. Vide omnino Grut. ad Tac. Discursum sextum, et decimum. Adde supr. 2, 17, 13. Plutarch. Lucullo, cap. 30. Sen. Ep. 104, 40. Justin. 4. 4, 7. et 6, 8, 2. Tac. H. 2, 68. H. 2. 73, 2. Claudian. de Laud. Stilic. 1, 168. Sall. Jug. 32. Ecclesiast. 10, 2. Proverb. 29, 12. *Freinsh.*

§. 12 *Viris*] Vid Ind. et Græv. ad III. 3. 8. Postulabant sibi æqua imperari, quo nomine libertatem intelligebant, ut qui nullius imperio parere didicissent. Appian. in Hispan. p. 309.

Veram et sine exceptione victoriam] Sic legati fatentur; 'Jugurtham sine ulla pactione, sese regnumque suum in illius fidem tradere.' Sall. Jug. 62, 4. de qua deditionis specie abunde diximus ad Liv. 42, 8. *Grut.* Hodie vocant *sich auf gnad und ungnad ergeben.* Freinsh. 'Sine exceptione,' i. e. sine conditione, pactione ulla. Sen. IV. de Benef. 34. 'Ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit, quod impediat.' Petron. c. LXXXVI. 'Cum hac tamen exceptione, si ille consenserit.' Plin. I. Epist. 2. 'Nec est, quod putes, me sub hac exceptione veniam postulare.' Suet. Cæs. LXXVIII. 'Nec destiterit per continuos dies quidquam cuiquam, nisi sub exceptione, polliceri, si tamen per Pontium Aquilam licuerit.' 'Excipere' in venditionibus aliisque pactionibus proprie dicuntur, qui sibi aliquid retinent, vel conditionem aliquam adponunt. Unde 'exceptio' pro conditione et pactione. Vid. Rævard. II. Varior. 13. Brisson. de V. S. Torrent. ad Horat. II. Sat. 3. 285. et Gron. ad Sen. Epist. XXX. et ad Controv. II. Ita supr. II. 6. 3. 'Saguntus fœdere in libertatem excepta.'

Primum] Ea vox non ab Auctore; nec ulli rei videtur esse. *Freinsh.* Sane non magnæ rei est; et omisit eam Begerus, sed tamen contra omnes libros. Et potest ita accipi, eos primum voluisse pugnantes mori: deinde, ubi hoc non concedebatur, alia inivisse consilia, quæ mox referuntur. Apertior esset sententia, si paullo post scriptum fuisset, *deinde, quum fossa*....Sed 'primum' etiam ap. alios sæpe solum ponitur, non sequentibus particulis 'deinde,' 'postea,' aut similibus. Vid. Manut. ad Cic. II. Ep. Fam. 9. et VII. 23. Fabric. ad Cic. I. Off. 14. et Stewech. de Partic. Sed tamen non bene fluit oratio.

Destinata morte] Justin. XX. 3. 'Omissa spe victoriæ in destinatam mortem conspirant.'

Epulis, quasi inferiis] Passim animadvertas hunc morem ap. Nostr. 4, 2, 69. 4, 12, 50. et Tac. 2, 31. Appian. I. Civil. p. 379. Oros. 5, 18. et alios. Rationem reddit Salomon ille sapientiss. Proverb. 31, 6. et Liv. 26, 14, 3. 'Ut alienentur mentes ab imminentis sensu mali.' Hodie Turcis in prælium profecturis familiare est, ex albo papavere confecti opii esu munire pectus adversus incerta eventuum,

quod *Massac* vocant, referente Bauhino, in Pinace suo Medico. Adde Casaub. ad Baron. 16, 80. *Freinsh.* Item Rupert. ad h. l. et Cuper. ad Auctor. de Mortib. Persecut. c. XLIX. Sen. I. de Ira 13. 'Multi meliores ad ferrum fuere male sobrii.'

Celiæ] Cerevisiæ, ut fere vocatur, genus. Vide late de hac re Hadrianum Junium, Animadv. 2, 12. et Lindenbrogium, ad Ammian. 26, 22. Quibus adde lepidum Epigramma Juliani, ab Erasmo versum hoc modo: 'Bacche quis? unde venis? verum tibi dejero Bacchum, Te haud novi, tantum est cognitus ille Jovis. Is nectar redolet, hircum tu: dic, age, num te E spicis finxit Gallia vitis inops? Non igitur Bacchum te dixero, sed Cercalem, Et frumentigenam, nec Bromium, imo Bromum.' Item Plin. 14, 22. in fine. *Freinsh.* De 'celia' est Epistola Boxhorii ad Blancardum in Epistolis Boxhornii, et Crenii Analect. p. 215.

Sic vocant indigenæ ex frumento potionem] Hoc sequor: sed habetur in libris optimis: *Sic vocant indigenam ex frumento potionem.* Indigenam potionem, ἐπιχώριον πόμα, et fortean ita scripserit Florus: quod temere non affirmarim. *Salm.* Naz. *indegenam.* Pall., quidam libri Vineti, Fran. Magl. Berol. Duisb. Voss. 1. et v. e. *indigenam.* Hoc prius probaverat Salm. Et recte quidem. Plin. XIV. H. N. 6. 'De indigena vino.' Sidon. XXII. Carm. 27. 'Indigenam fulminis ignem.' Gell. II. 24. 'Neque vino alienigena, sed patrio usuros.' Val. M. I. 5. 'Extera, id est, alienigena exempla.' *Vocat indigena* nonnulli libri Vin. et Voss. 2.

Ex frumento] Tac. in Germ. 23. 1. 'Potui humor, ex hordeo et frumento, in quandam similitudinem vini corruptus.' *Freinsh.* Etiam aliæ gentes potione et tritico, hordeo, pane, vel milio utebantur. Vid. Vinet. et Rupert. ad h. l. et Pichen. ad Tac. l. d. Add. huc, quæ ad l. 9. D. de tritic. vin. ol. leg. scribit Cujac. XXIV. Obs. 39.

§. 13 *Non est permissa pugna morituris*] Prudenter; cum desperatis enim pugnare, nihilo sanioris sit: quapropter id sedulo caverunt maximi duces. Agesilaus pugnare ob hanc causam noluit cum Messeniis, ap. Polyæn. lib. 2. Frontin. 2, 1, 10. et cum Thebanis, ap. Diodor. 15, 33. Emperamus Spartanus cum Messeniis, ap. Pausan. Messen. p. 257. Pelopidas cum Phocensibus ap. eund. Polyæn. dicto libro. Omnesque ii quos recenset Frontinus 2, 6. quibus add. Aribæum ap. Polyæn. lib. 7. Syracusanos ap. Thucyd. 7, 15, 10. Locris certe a Crotoniatis pugnare coactis, 'non alia causa victoriæ fuit, quam quod desperaverant.' Justin. 20, 3, 6. Marius 'forti desperatione viam spei fecit.' Oros. 5, 15. Adde inf. 3, 3, 8. Adde Tac. H. 3, 60, 5. Latron. Declam. in Catilin. 3, 8. Tac. 12, 31, 8. Justin. 1, 6, 12. Cronic. del Peru 2, 213. Xenoph. p. 643. ubi Epaminondam Spartæ imminentem a paucis oppidanis pulsum refert; addens ὡς τοὺς ἀπονενοημένους οὐδεὶς ἂν ὑποσταίη. Insigne rei hujus exemplum ap. Fulgos. 6. 11. de Gandavensibus. Ii enim a Ludovico Flandriæ Comite obsidio pressi, cum dedere se vellent, si toleranda viris imperarentur: ille autem, pedibus nudis, abjectis exterioribus indumentis, aperto capite, fune in collum accepto, veniam petere juberet: indignitate rei ad desperationem acti, cum quinque millibus eruptione facta, hostilem exercitum 30000. ceciderunt. *Freinsh.*

Lorica] Adde inf. 3, 10, 25. Plura in Ind. *Freinsh.* 'Loricam' hic et III. 10, 25. pro toto aggere ponit. Vid. Lips. in Ind. et Schel. ad Hygin.

Quatuorque castris] Appian. in His-

pan. p. 306. tradit, a Scipione gemina castra ad Numantiam facta, et eorum alteris ipsum, alteris Fabium fratrem ejus præfuisse. ' Quatuor castris ' dicit, pro quaternis, et IV. 12. 54. ' Tria castra ' pro ternis, contra canonem Grammaticorum, qui singulari carentibus distributiva jungenda dictant. Servius ad Virg. VIII. Æn. 168. ' Cicero per epistolam culpat filium, dicens male eum dixisse: ' Direxi literas duas.' ' Sed hoc non est perpetuum. Tac. 2. A. 71. ' Numerate sex liberos.' Suet. Cæs. L. ' Post tres liberos.' Sic ' Jus trium liberorum ' ex Lege Jul. de Maritand. Ordin. ap. Plin. et alios. Et ' tres,' ' quatuor,' ' quinque liberi ' in libris JCtorum sæpe.

Fames] Vide sup. 1, 10, 2. et inf. 3, 22, 9. *Freinsh.*

Ab duce orantes prælium] Scripta lectio, *orante*. Lege, *orant:* sequitur enim in iisdem scriptis, *et ubi hoc non impetrabant:* quod magis placet. *Salm.*

Tanquam viros] Nam ille alter pereundi modus, vilissimos fortissimosque non distinguit. Senserunt hoc Alexandri milites cum ' quererentur clarissimum regem non in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse.' Curt. 3, 5, 5. Non pigebit subjicere verba Heinsii: quem literarum hac tempestate principes inter, consensus doctorum numerat: ea sunt autem in laudatione funebri Principis Mauritii, de obsidione Bredana: ' Hosti nova hæc obsidionis ratio placere cœpit, qua de fame ac egestate militis, non de virtute, triumphatur, qui nihil gravius indigniusque tulit, quam quod præliis ab hoste interclusus, ad ignaviam redigeretur, expugnatus antequam oppugnaretur.' *Freinsh.*

Ubi non impetrabant] Ryck. *sed ubi hoc non impetrabant:* quod vulgatæ præfero. *Græv.* In Ryck. *hoc* legi non videram. Salmasius e Naz. adnotarat *ubi hoc n.* e Pal. 1. *sed ubi hoc n.* e Pal. 2. *et hoc ubi n.* quod etiam in Fran. et Magl. est: *et hinc ubi* Voss. 2. *sed ubi non* Regg. Berol. Duisb. Voss. 3. et v. e. *ubi non* Flor. et Voss. 1. Sed hæc levia sunt. *Orantes* non video quomodo retineri possit: nam non cohæret oratio hæc, *ab duce orantes prælium placuit eruptio.* Perizon. pro eo quoque scripserat *orant.* Videtur seribend. ac distinguend. *ab Duce orant prælium, ut t. v. occideret: ubi non impetrabant, p. e.* Nescio tamen an *orantes* relinqui, et hoc totum ita accipi possit: Ubi ab Duce prælium orantes non impetrabant, placuit eruptio. Hoc placet Wopkensio II. Tullian. Lect. 15. ut suppleatur *iis,* quod ego quoque excludi non volebam. Non dissimile est hoc Livii III. 70. ' Unde quum eadem reverti posset ad suos...terga impugnare hostium satius visum est.' Begerus *orant prælium...et ubi non i.*

§. 14 *Inde*] Hoc est, ex cadaveribus occisorum: meminit Val. M. 7, 6, 2. ext.: ' Capta jam urbe complures inventos, artus et membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes.' Idem Petronius, fine Satyrici: utrobique similia invenies exempla: quibus accenseas et illud Persarum sub Cambyse, ap. Sen. de Ira, 3, 20. Adde quod ex Olympiod. narrat Photius, Biblioth. cod. 80. ' Dum Vandali Hispanias vastarent, qui in muratas se urbes Romani receperant, eo inedia adacti sunt, ut invicem se laniando edere cogerentur. Ibi mulier una, quatuor liberorum mater, omnes devoravit.' Nota sunt quæ acciderunt Hierosolymorum obsidio. Add. Reg. 4. 6, 15. et Tac. Agr. 28, 3. de Usipiis. *Freinsh.*

Ruptis equorum cingulis] Nempe, quibus stragula et ephippia adligabantur; de quibus Ov. R. A. vs. 238. Apulei. de Deo Socr. pag. 54. Ed. Elmenh. Claudian. Epig. XX. XXI. et XXIV. ubi etiam ' zonas ' et ' balteos '

vocat. Non scio unde hoc acceperit Florus. Sed mihi valde suspectum est. Nam primum plerique veterum ita periti erant equitandi, ut nullo negotio etiam sine stragulis et ephippiis equis vehi possent. Vid. Lips. III. de Mil. Rom. 7. Deinde, non facile credi potest, Numantinos tam arcta obsidione pressos, qualem describit Appianus, consilium per munitiones hostium cum equis erumpendi capere, vel de ejus successu quidquam sperare potuisse. Denique, si jam tanta fames in urbe erat, ut ne humanis quidem cadaveribus abstinerent obsessi, quod etiam alii prodiderunt, nequaquam credibile est, iis equos ad fugam superfuisse. Appian. quidem in Hispan. p. 309. eos nec pecudem nec herbam amplius, qua vescerentur, habuisse scribit.

§. 15 *Itaque etiam deplorato exitu*] Illud *etiam* non agnoscit optimus librorum Naz. et isto auctore expungere debes: adde, si vis, et veterem editionem, quæ cum Naz. convenit, ut ita pluribus auctoribus expungas. *Salm.* Adde Nazarian. et veteri editioni Ryckianum, qui *etiam* æque ut illi ignorat. *Græv.* Ignorant et alii scripti. E Voss. quidem adnotatum erat; sed suspicor ibi aliquid erroris esse: nam *etiam* erat in Ed. quæ cum Voss. collata erat.

Hoc genere] Theogenem quendam hujus facinoris auctorem facit Val. M. 3, 2, 7. ext. Vide et Sen. de Ira, 1, 11. Simili ratione, vel furore potius, a victorum potestate se suaque vindicarunt, Abydeni, ap. Polyb. 16, 16. Astapenses, Liv. 28, 22. Axiothea Nicoclis, ap. Polyæn. lib. 8. Butes Persa, Plut. Cimone, cap. 13. quam Borgen vocat Polyæn. lib. 7. Cantabri, inf. 4, 12, 50. Cappadoces, Justin. 13, 6, 2. Carthaginienses, Florus, 2, 15, 17. Val. M. 3, 2, 8. ext.: Cimbricæ feminæ, inf. 3, 3, 29. Gallica quædam gens, Oros. 5, 14. Adonis Chronic. sub anno 4690. Isaurenses, Diodor. 18, 22. Istri, Liv. 41, 11. Judæi, Joseph. de Bell. Jud. 6, 28. et 7, 18. Magdeburgenses, si vera est quorundam narratio, nuper: Marmarenses, Diodor. 17, 25. Metulii, Appian. Illyrico: Saguntini, supr. 2, 6, 4. Scapula, Hirtius de B. H. cap. 33. Sidonii, Diodor. 16, 45. Sobii, Curt. 9, 4, 6. Taochori, Xenoph. de Exped. Cyri, lib. 4. Thalenses, Sall. Jug. 76, 6. Theoxena, Liv. 40, 4. Turci, in expugnatione Naupacti, Jovi. Hist. lib. 31. Vaccæi, Liv. Epit. 53. Xanthii, Plut. Bruto, cap. 74. Quibus adscribam quæ in citato opere de nautis Belgicis, ab hostibus oppressis, prædicat Heins. 'Navibus accensis, pulvere icti, et cum hoste in aërem elisi, quia non vincuntur, ex opinione sua vincunt.' *Freinsh.* Aliter nonnihil de Numantinorum exitu narrant Appian. p. 310. Val. M. l. d. et Oros. 5. 5.

§. 16 *Macte fortissimam*] Ita quidem edendum curavi; si cui minus placeat, non impedio quin rescribat antiquam lectionem, quam in variis inveniet: *macte fortissimam civitatem*, videtur dixisse, sicut dicitur, 'Bene me,' 'Bene te,' 'Bene nos,' &c. ap. Plaut. sic Tibull. lib. 2. 'Sed bene Messallam sua quisque ad pocula dicat:' hinc 'benedicere aliquem:' nam illud, 'asseruit,' ad seqq. pertinet, 'cum fide socios:' asseruit socios cum fide, h. e. fideliter, bona fide: ita loquuntur Auctores: sicut 'Cum summo studio,' Sall. Cat. 51, 33. 'Cum cura,' Liv. 3, 4, 4. 'Cum bona fide et gratia:' qualia loca multa notavi in Ind. Taciti. Ceterum, hunc *μακαρισμὸν* Florus, non ut Rom., sed ut Hispanus, aut Hispaniensis, addit. *Freinsh.* Magl. *macte fortissimam.* Ryck. *macteque etiam fortissimam.* Ceteri scripti, et o. e. v. *macte esse fortissimam.* Credo *esse* illud partim ortum a prava distinctione, quæ est in Duisb. Fran. et v. e. in quibus 'asseruit' conjungitur cum superio-

ribus; partim ex eo, quod non satis intelligerent rationem et usum vocis 'macte.' Est quidem supplendum *esse*, ut integra oratio sit, 'Macte esse jubeo fortissimam civitatem,' quemadmodum ap. Liv. II. 12. 'Juberem te macte virtute esse:' sed non necesse est addi. De formulis 'macte,' 'macte esto,' 'macte esse jubeo,' multa Scal. I. Epist. 20. Catan. ad Plin. Panegyr. XLVI. et Noris. Cenotaph. Pisan. Diss. III. c. 5.

§. 17 *Unus enim vir*] Dissentit Strabo, lib. 3. et Appian. p. 311. sed a Nostro stat Veget. 3, 10. ubi vulgatum alteri præfero; nec enim tam absurdus inde enascitur sensus, ut videbatur Viro docto, sed germanus omnino et probus: 'Scipio,' ait, 'Africanus sub aliis imperatoribus Hispanienses exercitus frequenter victos accepit: hos disciplinæ regula custodita, &c. cum ipsis denique Numantinos capta civitate sic concremavit [alii, *superavit*] ut nullus evaderet: cum ipsis,' subaudi *exercitibus*. Sic Tac. 1, 25, 5. 'Præcipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum tot bella toleravisset.' De triumpho Scipionis Plin. 33, 11. *Freinsh.* Hæc verba *Unus enim vir* Grutero videntur irrepsisse ex glossa. *Græv.* Sed sunt in omnibus libris. Salmasius adscripserat, 'Unus non fuit, οὐδὲ εἷς, more Græcorum scilicet.'

CAP. 19 Quæ hoc capite continentur, patent ex ante habitis, et post habendis capitibus. Unde Romam vitia irrepserunt, docet August. Civ. 2, 21. et 3, 21. sic ad idem: 'Tunc primum,' inquit, 'per Cn. Manlium Procos. de Gallogræcis triumphantem, Asiatica luxuria Romam omni hoste pejor irrepsit. Tunc enim primum lecti ærati, et pretiosa stragula visa perhibentur: tunc inductæ in convivia psaltriæ, et alia licentiosa nequitia.' Plura Liv. 39, 6. Plin. 33, 11. Notanter Justin. 36, 4, 12. (ubi Berneccerus.) Lege Juv. S. 3, 58. &c. et 6, 298. &c. *Camers.* Cf. cum h. cap. inf. 3, 12. *Freinsh.*

§. 1 *Reliqua secula ut grandia æque*] Grande sane vitium hujus lectionis; quod minimo tamen labore potest tolli. An ab hoc tempore tot secula fluxerunt usque ad Cæsaris et Pompeii furores civiles? Vix profecto triginta anni, plus aut minus, interjacent, ab hac Numantiæ eversione usque ad illa bella civilia. Scribend. itaque: *reliqua seculi, ut grandia æque, ita vel magis turbida et fœda.* Salm. *Sæculi*] Sic Pall. o. hactenus editi, *sæcula:* nihilo forte pejus, nisi obstarent tot membranæ. *Grut. Reliqua seculi*] Firmat Ryckianus hanc scripturam a doctis redditam Floro. N. Heinsius tamen malebat *Reliqua secuta, ut grandia æque, ita vel magis turbida et fœda.* Paullo post idem codex: *quæ etsi juncta inter se sunt omnia atque confusa.* Cum et in aliis codicibus sic legatur, merito pridem probarunt eruditi editores. *Græv. Seculi* etiam Magl. Duisb. Berol. et vett. edd. Fran. *secundi*, quo ipso tamen confirmatur id, quod probant Viri docti. Vulgata scriptura sequentium verborum est in Naz. Berol. Duisb. Voss. 1. et 2. (nisi quod hic pro *æque* habet *atque*) et o. v. e. In ceteris valde variat.

Crescentibus cum ipsa magnitudine imperii vitiis] Ea mente Tac. H. 2, 38, 1. 'Vetus ac jam pridem insita mortalibus potentiæ cupido, cum imperii magnitudine adolevit,' &c. Adde inf. 3, 12, 11. *Freinsh.*

§. 2 *Quam ducentorum annorum fecimus*] Supra Prolog. n. 8. unde magis apparet, ipsius Auctoris esse lectionem, quam ibi reposuimus. *Idem.*

Aureos] De aurea ætate, et aliis, et cur sic dicta, notavi multa, primo in Ruffin. in Annotationibus Claudiani. *Camers.*

§. 3 *Centum sequentes*] Ryck. Regg. Flor. Berol. Duisb. Fran. et v. e. *c. vero s.* Magl. *c. quoque s.*

Quippe qui Jugurthinis] Tollius Fort. XXIX. *Quippe quis Jugurthinis...immiscuerit.* Nam putat hæc referenda esse ad Populum Rom. de quo paullo ante dixerat, ' quibus Africam, M. S. H. domuit;' non ad annos. Vulgata satis ferri potest: nam ' tempus' sæpe ponitur pro hominibus. Vid. ad Præf. Lib. I. n. 6. Cic. pro Sext. VI. ' Fuerat ille annus in Reipubl. magno motu et multorum timore, tanquam intentus arcus in me unum.' Paullo post Duisb. Fran. et v. e. *Graccanas.*

Ne quid turpitudini desit] Nam hæc etiam turpiora erant, quam Servilia. Inf. III. 20. 1.

§. 4 *In se ipse conversus*] Justin. 44, 2, 2. de Hispanis: ' Si extraneus deest, domi hostem quærunt.' Ubi vid. not. Bernec. *Freinsh.*

Cæsaris manibus] *Manibus* desideratur in Berol. Duisb. et v. e. probantibus Tollio et Beger. qui id ab Edit. sua exclusit. Poterat abesse, et e superioribus repeti *bellis.* Sed metaphora a furentibus, qui manus in viscera sua convertunt, postulat ut retineatur.

Et nefas] Non displicet sententia Acidalii, qui, ad Vellei. 2, 59. 1. *hei nefas* rescribendum arbitratur, quamvis etiam abjici possit istud *et*, ut legatur *(nefas!)* sicut inf. 2, 20, 7. et 4, 2, 14. et alibi. *Freinsh.* Posterius placebat Tollio, Ryck. et Perizon. *Nefas* ita positum est abominantium et aversantium rem aliquam. Inf. III. 21. 1. Virg. VII. Æn. 73. ' Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem.' Et VIII. 687. ' Sequiturque (nefas) Ægyptia conjux.' Catull. Carm. LXIX. 89. ' Troja (nefas) commune sepulcrum Europæ Asiæque.' Add. Toll. ad Auson. Epist. IX.

Semet ipse laceravit] More furentium suos ipse artus et sua membra cædens, quod de Macedonibus dixit Justin. 13, 6. 17. Quomodo Sidon. Carm. 5, 511. ' Pharsalica Cæsar Arva petens, subitas ferro compescuit iras. Sed sua membra secans.' *Freinsh.*

§. 5 *Quæ etsi involuta inter se*] Quis hujus lectionis auctor fuerit, ignoro Nam prima ed. et libri calamo exarati habent, *quæ etsi juncta inter se sunt omnia, atque confusa.* Atque ita reponend. censeo. *Salm.* Sic v. e. ac fere Pall. nam Naz. habet *quæ si juncta.* Grut. Acidalius tamen ad Vell. 2. 99. 4. *si* retinet, et per, etsi explicat. *Freinsh.* Acidalius laudat Edit. Flor. quæ est, opinor, Juntina, in qua *si* legitur, ut et in Ed. B. S. P. et A. Gronovius quoque IV. de Pec. Vet. 4. scribit in Naz. *si* esse, et audiri debuisse doctos, qui id probarunt. Grut. quidem e Naz. profert *si*, sed Salm. ex eo adnotaverat *etsi.* Et hoc etiam alii scripti habent. ' Si' infinitis locis veteres dicunt pro, etsi. Sed ideo non statim pro *etsi* contra libros vett. substituendum est *si.* *Involuta* habet Voss. 3. et al. edd. vett. fortassis etiam quidam libri Vineti, qui ita edidit; *juncta* ceteri s. et v. e.

Quo melius appareant] Recte, nec sine exemplis optimorum scriptorum. Vide Curt. 5, 1. 1, et 2. Tac. 12, 40, 11. et 13, 9, 7. Vell. 1, 14, 1. Sic Appianus bellum Viriathicum seorsim congerit, et, si quid eodem tempore in Hispania gestum est, in alium locum rejicit. Adde inf. 3, 12, 14, et Suet. Aug. 9, 1. Eod. consilio Ov. F. 1, 61. ' Hæc mihi dicta semel, totis hærentia fastis, Ne seriem rerum scindere cogar, erunt.' Aliter tamen Sisenna, ap. Non. verbo *Saltuatim.* Freinsh. Similis locus in Suet. Ner. XIX.

Virtutibus obstrepant] Anna Fabri παραφράζει, ne scelera sint impedi-

mento virtutibus. Potius, ne, si scelera cum virtutibus misceantur, et simul commemorentur, ea re virtutes minus adpareant, et minus conspici atque intelligi possint. Est sermo ab auribus ad mentem translatus: nam 'obstrepere' proprie est, strepitu facto turbare et impedire.

§. 6 *Justa et pia bella*] Eodem modo III. 12. 14. 'domesticos motus' opponit 'externis et justis bellis.' Briss. IV. Form. p. 344. frequens illud apud veteres epitheton 'justi piique belli' ex solenni apud Romanos sciscendi, decernendi, et indicendi belli ritu ortum putat. Hæc fortassis olim causa illius adpellationis fuerit. Sed Florum eo respicere non arbitror. Nam is inter pia et justa bella etiam bella Cæsaris cum Germanis et Gallis, Pompeii cum Tigrane, et Crassi cum Parthis ponit, quibus bellum publice jussum et indictum fuisse non facile probari poterit. 'Justa ac pia bella' Floro, ut ipse satis ostendit, sunt omnia, quæ geruntur adversus gentes exteras; quas illi, teste Sall. in Orat. I. de Ord. Rep. natura hostes putabant: ut Græci alienigenas et barbaros, quod dicit legatus Philippi in concilio Ætolorum ap. Liv. XXXI. 29. add. Demosth. et Schol. illius in Mid. p. 331. Ed. Lamb. Contra *impia*, quæ geruntur adversus patriam, ut Virg. VI. Æn. 612. 'Quique arma sequuti Impia.' Quæ adversus tyrannos suscipiuntur, itidem 'justa ac pia' sunt: nam hi hostes sunt patriæ. Vid. Suet. Galb. c. X.

CAP. 20 Vetus e. orditur hinc librum tertium: neque aliter Pal. 3. non male: (immo optime:) retinui tamen vulgatam distinctionem, ob hujus superiorisque sæculi Viros, qui in scriptis suis capitum numerum alterum producunt allegantque: tanto quidem magis, quod caput istud superioribus adnectant Pal. 1. ac 2. *Grut.* Quæ hic de Attali regis testamento dicuntur, habentur a Plin. 33, 11. Val. M. 5, 2, 3. ext. Epit. Liv. (58, et) 59. Justin. 36, 4, 5. Strab. lib. (13. p. 429. et) lib. 14. p. 444. Euseb. Lib. Temp. August. Civit. 13, 11. Appian. Mithridat. Eutrop. 4, 3. Oros. 5, 8. Advertendum, Asiam bello captam, Attalo regi muneris loco possidendam pop. Rom. tribuisse &c. Lege Val. M. 4, 8, 4. Attalus enim contra Philippum Maced. regem, et contra Antiochum pro Rom. pugnaverat. Acron Carm. 2, 18, 5. vult ex Horatii sententia, Romanos non jure factos Attali heredes. *Cam.* Adde Vell. 2, 4. et Sext. Ruffum. *Freinsh.*

§. 1 *Victa ad occasum*] Alter Palatinus ab hoc capite exorditur librum tertium hujus operis: alii libri tantum a sequenti, ut hactenus omnes editi. *Salm.* In libro Duisb. quoque huic capiti præscribitur: *Incipit Liber tertius;* eamque divisionem non sine ratione probant Voss. ad Vell. II. 51. et Ryck. et Perizon. ad h. l.

Pacem agebat] Sic sæpe veteres: et contra, 'bellum agere.' Vid. Gron. II. Obs. 3. et Heins. ad Ov. II. Tr. 230. Reg. Q *ab oriente.*

Et tota insimul regna] Naz. *insemel:* et fortasse melius, de qua voce in librum primum diximus. *Salm.* *Insemel* etiam Magl. et Voss. 1. *in semet* Fran. *in semu* Voss. 2. vid. ad Præf. lib. I. n. 3. Tollius pro *veniebant* malebat *obveniebant.* Si id esset in libris Flori, nihil mutandum foret. Nam et ita Justin. XXXVIII. 5. Plin. VII. Ep. 11. et Cic. ipse, aliique optimi Scriptores. Sed non minus rectum est *venire.* Cic. II. Verr. 14. 'Huic hereditas facile ad HS. tricies venit testamento propinqui sui.' Et rursus ib. c. 18. et 22. Id. II. Phil. 16. 'Hereditates mihi negasti venire.' Add. Græv. ad Lucian. Dial. Zenophant. et Callidem. et ad Justin. XIII. 4. Hæc autem potissimum dicuntur do

hereditatibus testamento relictis; 'redire' de legitimis. Vid. Briss. de V. S.

§. 2 *Regis Eumenis filius*] Ita quidem Strabo etiam, et Oros. 5, 8. sed Justin. 36, 4, 1. patruum ei facit Eumenem. *Freinsh.* Justinum errasse consentiunt Docti. Consulendi sunt Bongars. ad l. d. Reines. III. Var. Lect. 2. Rupert. ad Besold. c. XII. et Spanh. de Præstant. et Usu Numism. Diss. VIII. c. 6.

In bonis regis hæc fuerant] Larga quidem et liberali interpretatione Romanorum: nam aliter secus videri possit; ut privatum tantum instrumentum intellexerit Attalus. Regna enim, nisi quæ aliquis acquisiverit armis, regnum ita non esse videntur, ut in externos transmitti possint, absque consensu populi. Eodem tamen modo postea Romanis legata dicuntur regna; Ægypti, ap. Cic. de L. Agrar. 1, 1. et 2, 16. Bithyniæ, Epit. Liv. 93. Vell. 2, 4, 1. Cic. de Agrar. 2, 15. Eutrop. 6, 4. Sex. Ruff. Cappadociæ, Jordan. de Success. Regn. cap. 55. Cyrenarum, Epit. Liv. 70. Appian. fine Mithrid. Justin. 39, 5, 2. Ammianus, ext. lib. 22. quod male confundunt, ad dicta Ciceronis loca, cum Alexandrino, interpretes. Paphlagoniæ, Jordan. dict. loc. Thraciæ, Dio 47, 4, 9. *Freinsh.* Virdung. ap. Rupert. existimabat hic nonnulla excidisse. Perizonius contra hæc verba suspecta habebat, tamquam e glossa. Non multum bonæ sententiæ in illis invenire possum. Sed sunt in omnibus libris.

Hæc fuerant] Melius, *in bonis regis hæc fuerunt.* Salm. *Fuerant*] Ryck. *fuerunt*, ut Salm. legend. vidit, ex libris, an conjuctura incertum. *Græv.* Salmasius ita legi volebat e Naz. et Pall. cum quibus præter Voss. 1. consentiunt omnes alii scripti, et vett. edd.

Retinebat] I. e. tenebat, compositum pro simplici. Voss. ad Vell. II. 51. Liv. XXI. 45. 'Agnum læva manu, dextra silicem retinens.' Catull. Carm. LXV. vs. 8. 'Diva...retinens in summis urbibus arces.' Vid. ibi Statium. Sic alibi 'reddere' et 'recipere,' pro, dare et capere.

§. 4 *Amiserit, an recuperaverit*] Sic v. e. nam seqq. interserunt, *amiserit pop. Rom. an vec.* non necessario: cum proxime eædem voces præcesserint: restat tamen ultimum quoque in Pal. 1. sed non item in 2. aut 3. *Grut.* Est etiam in Ryck. et edd. vett. excepta prima.

Regii sanguinis] Quippe filius Eumenis: testes Liv. 45, 19, 10. Justin. 36, 4, 6. Eutrop. 4, 25. alii: nisi quod Vellei. 2, 4, 1. 'mentitum' ait 'regiæ stirpis originem,' quo forsan etiam referas hæc Diod. ex lib. 34. ap. Vales. Ἀριστονίκου μὲν ἀντιποιησαμένου τῆς μὴ προσηκούσης βασιλείας. Mithridates, ap. Sall. H. 4, 2, 10. Attali filium facit, siquidem vulgatæ lectioni credimus, quam tamen corrigendam putaverim, hoc modo: 'Attalum ex rege miserrimum servorum effecere: simulatoque impio testamento, filium Eumenis Aristonicum, quia patrium regnum petiverat,' &c. hactenus enim legebatur, *filium ejus Aristonicum.* Freinsh. De Aristonico Ep. Liv. LIX. 'Aristonicus regis Eumenis filius.' Strabo lib. XIV. p. 646. ambigue: Δοκῶν τοῦ γένους εἶναι τοῦ τῶν βασιλέων. Tollius Fort. c. XXIX. addita copula legit, *regii sanguinis, et ferox juvenis.* Sed sine auctoritate librorum.

Urbes regibus parere consuetas, partim facile sollicitat] Tac. H. 4, 17, 8. 'Suetus regibus Oriens.' Mirum autem non est, urbes istas facile præposuisse regium dominatum Romano, cum eum etiam libertati postea antehabuerint Cappadoces, ut referunt Strabo, lib. 12. p. 273. et Justin. 38, 2, 8. Nempe verum est illud Mith-

ridatis ap. Sall. H. 4, 2, 26. 'Pauci libertatem, pars magna justos dominos volunt.' Plut. Anton. cap. 113. Orientales vocat, 'homines servire assuetos, et regnari quærentes.' *Fr.*

Myndum] De his Strabo, ubi supra. Plin. 2, 28. *Cam.*

Paucas resistentes Myndum, Samon, Colophona vi recipit] Ryck. una voce auctior est, *paucas resistentes invenit, Myndon, Samon, Colophona vi recipit:* sed editam non sollicito: dein idem Ryck. *Crassi quoque prætoris excidit exercitum.* Latet aliquid sub hac scriptura, quæ in aliis etiam libris est vitiosa, quod eruendum acutioribus committo. Post ex hoc libro sæpius laudato scribo, *custodem suum:* vulgati male *custodem sui.* Græv. Voss. 3. *resistentes invenat.* 'Samon' Græca terminatione habent o. s. et e. *Myndon* Ryck. Regg. Toll. Duisb. Fran. et v. e. *Colophona* iidem et Voss. 1. 2. sed ille *Calefona,* hic et Fran. *Colofona.* Pro *recepit* Pal. 1. et Flor. *cepit,* Ryck. *recipit.* Ita volebat Tollius: et rectum puto.

§. 5 *Crassi quoque Prætoris*] Hujus tria nomina ap. Liv. Epit. 59, 2. et Eutrop. 4, 25. 'P. Licinius Crassus:' quartum 'Mucianus,' ap. Vell. 2, 4, 2. et A. Gell. 1, 13. Hunc omnes esse putant Crassum, quem in Chronicis consulem invenies scriptum, A. U. C. 623. Appellat tamen hic Auctor 'prætorem,' et Velleius 'procos.,' quem Strabo, lib. 14. p. 445. Liv. Epit. 59. (Cic. Philip. 11, 8. Frontin. 4, 5, 16.) Justin. 36, 4, 7. et Oros. 5, 10. 'consulem.' Crassus ille, qui in Asiam consul venerat, fortasse insequenti anno, qui M. Perpernam habuit consulem, non jam amplius consul, sed procos., aut prætor, cæsus fuit, ante quam Perperna cos. in Asiam pervenisset, ei in illa provincia successurus. Velleius enim quando hunc Crassum procos. cæsum dicit, addit decedentem ex Asia. *Vin.* Eruditiss. Norisius Cenotaph. Pisan. Dissert. II. cap. 11. Florum erroris ex eo arguit, quod Prætores demum post hoc tempus, Asia jam pacata, in eam missi fuerint; tum autem, quum adhuc bellum in ea gerebatur, Procoss. ut post Crassum, Perperna et Aquilius. At Vossius ad Vell. II. 4. putat Crassum a Floro 'Prætorem' dici, quia 'Proconsulis' et 'Prætoris' adpellatio promiscue sumatur. Hoc verum est; atque etiam sæpe omnem Præfectum exercitus, et provinciæ 'Prætorem' vocari. Haud scio tamen, an rectius sentiat Norisius. Nam Florus in his parum adcuratus est, et hic eod. errore 'Prætorem' vocare potuit, qui 'Procos.' erat, quo supra sæpe 'Consules' eos, qui 'Procoss.' 'Prætores,' et 'Proprætores' erant. Vid. II. 2. 27. II. 7. 6. II. 15. 11, et II. 16. 3. Nec tamen satis caute Norisius Crassum ex consulatu Asiam sortitum scribit, quam ei in consulatu a populo tributis comitiis datam esse auctor est Cic. XI. Philip. 8.

Cecidit exercitum, ipsumque cepit] Nazariani, et vet. editionis lectio, *Crassi quoque prætoris cæde exercitum ipsumque cepit:* ex qua nihil eliciam; forte tamen, *cædit exercitum.* Salm. *Cædit,* quod conjiciebat Salm. est in Edd. B. S. P. et J. Et sic legebat Toll. et mox *capit.*

Ipsumque cepit] Idem Val. M. 3, 2, 12. et Frontin. 4, 5, 16. Strabo, ubi supr. occisum scribit fortiter prælianteni. Vide et Adonis Chronic. sub anno 4655. *Freinsh.*

Familiæ] Non tam adoptivæ, quam agnatæ, Muciæ nimirum, unde 'Mucianus' appellatus est; solebant enim Romani adoptantis quidem adsumere nomen, sed et suæ familiæ retinere, quamvis aliquantum deflexum: quod et Appianus notavit de Bell. Civ. lib. 3. p. 532. cujus verba ita reddiderim: 'Moris enim est apud Romanos, ut adoptivi adoptantis nomen adjiciant suo: hic autem non adjecit suo, (sed

solum usurpavit), quin suum nomen patrisque penitus immutavit, pro Octavio Octavii filio, Cæsar Cæsaris (Divi) filius in posterum appellatus:' ita Crassus Mucianus est Crassus ex familia Mucia, sicut Scipio Æmilianus, Fabius Æmilianus, Cotta Messallinus, Nero Domitianus, &c. Hinc Pomponius JCtus in l. 2. §. 40. de O. J. 'Lucius Crassus, frater P. Mucii, qui Mucianus dictus est.' Ubi tamen, pro *Lucius*, omnino rescribendum *Licinius;* cum prænomen ejus non *Lucium*, sed *Publium*, fuisse, inter omnes constet. Vide Cic. Bruto, cap. 26. In Indice quoque JCtorum Digestis præfixo, pro Μαικιάνου videtur leg. Μουκιάνου. *Idem.* Rupertus ad Pompon. l. d. emendat *Publius Crassus.* Contra Perizonius Animadv. Hist. c. IX. contendit, ibi retinendum esse *Lucius Crassus*, et Pomponium per errorem *Lucio Crasso* tribuisse, quod debebat *Publio.* Add. quæ de loco Pomponii scribit Guil. Grotius de Vitis JCtor. I. 6. 9. Posterior conjectura nollem excidisset doctiss. Freinshemio. Nam, ut alia taceam, vel ex eo solo, quod *Mæcianus* ibi dicitur scripsisse libros 16. Fideicommissorum, liquet non posse cogitari de substituendo in ejus locum *Muciano;* quum certum sit e §. 1. Instit. de Fideicomm. hered. Crassi Muciani ætate Fideicommissa eorumque jura nondum cognita fuisse.

In exitium sui, quod volebat, ita concitat] Legebam, *ira concitat:* nunc nihil muto: præpositio *in* abest Nazariano, non male: hoc modo: *exitium sui, quod volebat, ita concitat:* editum tamen prætulerim. *Salm.* Lips. conjicit: *Barbarum virgula excæcat: inque exitium sui, quod volebat, ira concitat.* N. Heins. autem: *Barbarum virgula excæcatum in exitium sui, quod volebat, ita concitat.* Græv. *Excæcat, et in e. sui, q. v. ira c.* Reg. Q. Hoc Tollius non male tuetur e Freculpho, qui I. 6. 5. de barbaro illo: 'Cum ira,' inquit, 'et dolore exarsisset.' Et sic Oros. vs. 10. e quo, ut multa alia, descripsit Freculphus. Val. M. III. 2. 12. Rom. Barbarus 'vi doloris accensus.' Et Frontin. IV. 5. 'Ab eo per dolorem concitato transverberatur.' Nec Perizonio displicebat *ira;* idemque legebat *custodem barbarum*, omisso pronomine *sui*, pro quo Grævius e Ryck. mavult *suum: sui* defendi potest e Virg. Æn. IV. 654. 'Et nunc magna mei sub terras ibit imago.' Et ex Ov. M. I. 30. 'Et pressa est gravitate sui:' aliisque ap. Sanct. Min. II. 13.

§. 6 *Perperna*] Marco prænomine, ut appellavimus. Istos autem *Perpennas*, PERPERNAS, R pro priori N, invenisse scriptos in vetustis marmoribus, tradunt antiquarii, et in libris Varronis de lingua Latina. *Vin.* Meminit hujus Perpernæ Val. M. 3, 4, 5. et Tac. 3, 62, 6. Vide Ὀλυμπιάδων ἀναγραφὴν, Eusebio subjunctam. *Freinsh.* *Perperna* Cod. Flor. *Perpena* Naz. ceteri *Perpenna*, ut in Plutarch. Sertorio, et Appian. I. Civil. Rectum esse *Perperna* e Fastis et Nummis vett. docent Pigh. ad A. U. 608. et Sigon. ad Liv. XLIV. 27. Add. Interpr. Justin. XXXVI. 4. et cl. Burm. ad Vell. II. 4.

§. 7 *Aquilius*] In Fastis et Nummis 'Aquillius.' Et ita hoc nomen scribendum esse censet Sigon. ad Liv. II. 4. Turnebus XXX. Advers. 28. contra *Aquilius.* In Inscriptionibus est 'Aquilius' et 'Aquillius.' Græci quoque varie Ἀκύλιος, Ἀκυήλιος, et Ἀκύλλιος.

Mixtis (nefas!) veneno fontibus] 'Clisthenes Sicyonius ductum aquarum in oppidum Criseorum ferentem rupit: mox affectis siti restituit aquam elleboro corruptam, qua usos profluvio ventris decipiens, cepit.' Frontin. 3, 7, 6. cujus lectionem uno loco tueor, altero sollicito. *Criseorum* enim vera scriptio est; nec opus mutatione, nam eadem urbs 'Cirra' et

'Crissa.' Vide Pausan. in Phocicis p. 684. Stephanus Crisam vocat. Inde bellum Criseum in Justini Prologo tertio. Sed quod in fine exempli Frontiniani *decipiens* scribitur, corruptionis manifestum est: substitui forte possit, *deficientes*. Quo verbo utitur idem Auctor 3, 8, 2. De hoc Clisthene scribit etiam Pausan. p. 99, 10. Adde Zwing. Theatr. 506. f. 1. Buchanan. Hist. Scot. p. 211. in 8. Galfrid. Hist. Brit. 8, 24. Hodie quidam retulerunt tot sæculis inauditum scelus, ut vinum infuso pharmaco corrumperent: sed non impune tulerunt. Quod enim Baldus 2. Cons. 188. hostem veneno occidere, non illicitum putat, jam dudum meliorum gentium consensus abhorret. *Freinsh.* *Mixtis nefas veneno fontibus*] Ryck. *inistis nephas veneno phontibus*: forte; *infectis nefas veneno fontibus*. Græv. Magis puto esse errorem scribæ pro *mistis*, ut sunt infiniti hujusmodi in omnibus libris. In eadem, qua Baldus, sententia fuit Auctor primæ Vitæ Clementis VI. in Baluzii vitis Paparum Avenionens. p. 251. de Carolo IV. Imp. scribens: 'Carolus dicitur procurasse, quod dictus suus adversarius (Guntherus Swartzemb.) satis cito mortuus est; an autem toxico, sive alio modo, varii varia sunt locuti, sed qualitercunque fuerit, non est sibi ad culpam imputandum, juxta illud dictum vulgare: Non refert an armis habeatur palma dolisve.' Sed vid. Grot. III. de J. B. ac P. 4. 15.

Contra fas Deum] Perizonius hic scripserat: '*Fas* est a, fari, et videtur esse jus, quod Magistratus dicit. Unde et 'dies fasti,' et 'nefasti.' Sed tamen majorem habet significationis emphasin, quam *jus*.' Omnino majorem emphasin habet. Servius in Virg. I. G. 269. 'Quippe etiam festis quædam exercere diebus Fas et jura sinunt:' 'fas' interpretatur, jura divina; 'jura,' humana: et 'fas' ad religionem, 'jura' ad homines pertinere dicit. Livius quoque XXVII. 17. hæc eodem modo videtur distinguere. Nam quod primo 'fas ac jus,' id deinde 'divinum et humanum' vocat. Ita 'contra fas Deum' est, contra jus divinum. Grotius de J. B. et P. III. 4. 16. putat Florum sic loqui, quia Jus gentium, quod talibus factis violatur, Diis auctoribus adscribitur: ejusque sententiam probat Schulting. ad Dial. de Oratorib. c. XXXVI. Rupertus ad h. l. refert ad superstitionem Veterum, qui lacus, fluvios, et fontes Diis sacros putabant. Sed credo gentes cultiores hujusmodi flagitia improbasse sine respectu ad numina fluviorum et fontium. Et fortassis quoque non omnes ea superstitione tenebantur. *Morem* et *fas* etiam Tacitus conjungit I. A. 19. 'Cur contra morem obsequii, contra fas disciplinæ vim meditentur?'

In id tempus sacrosancta Rom. arma] Hoc est, nullis flagitiis conscelerata. Supr. tamen, 2, 17, 17. ipse tale quid de Cæpione retulit, ubi notata nostra vide. *Freinsh.* Sen. II. de Ira 8. 'Violatos fontes venenis.'

LIBER III.

Cap. 1 De bello contra Jugurtham gesto, extat liber integer Salustii. Epit. Liv. 62, et seqq. Auctor de Vir. Ill. c. 62. 67, et 75. Plutarch., Mario, et Sylla, cap. 3. Frontin. 1, 8, 9. 2, 1, 23. Eutrop. 4, 3. Oros. 5, 15. Memiuit Eusebius Libro Temporum. *Camers.*

§. 1 *Quis speraret*] Ἀκύρως, dicit in Ind. Freinshemius: ut in illo Virg. Æn. iv. 419. 'Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.' Videtur accepisse pro, timere, ut vulgo in Virgil. exponunt. Sed et ibi, et hic, et multis aliis locis *sperare* est existimare, exspectare, credere: ut ap. eund. Poëtam ii. Æn. 657. 'Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto Sperasti?' Et *spes* pro quacumque exspectatione rei alicujus, sive bonæ, sive malæ. Liv. xxi. 6. 'Omnium spe celerius Saguntum oppugnari allatum est.' Stat. ix. Th. 129. 'Spes necis.' Sic apud Græcos ἐλπὶς et ἐλπίζειν. Hoc dudum docuerunt Casaub. ad Suet. Cæs. lx. Schott. ii. Obs. 36. Voss. Inst. Orat. iv. 12. 3. et Gron. Obs. in Script. Eccles. c. xiv. Add. Wass. ad Sall. Cat. xli. et Reitz. in Ambiguis.

§. 2 *Se Numidia concussit*] Commota, concitata est ad bellum. Freinsh. in Ind. Petron. c. cxxiv. 'Tu concute plebem Curio.' Juv. x. 327. 'Et se concussere ambæ.'

Citra spem omnium] I. e. præter spem. *Citra* sæpe pro, extra, præter, etiam apud alios invenias. Gell. ii. 3. 'Citra morem gentium Græciæ ceterarum:' quod Terentio Andr. v. 3. 8. est 'Præter morem.' Suet. Aug. xliii. 'Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatum dignumque cognitu advectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare.' Hoc ibi quidam inepte, ne quid gravius dicam, interpretatus est ante dies. Sed sunt in illo Commentario infinita non modo ἀκρισίας, sed etiam inscitiæ hujus Magistri argumenta. In Fran. et quibusdam libris Vineti pro *citra* est *contra*. Pro *cessit* Regg. Berol. Magl. Duisb. Fran. Voss. 1. 2. et v. e. *gessit*, ut supra aliquoties. N. Heins. pro *et* legebat *sed:* bene, mea sententia: nec male Scheff. *at.*

Rex fraude præcipuus] Vid. inf. n. 10. *Freinsh.*

§. 3 *Interficere fratres statuisset, agitatus cupidine regni*] Vide quæ notavimus supra, 1, 3, 9. Vide Tac. Indicem: 'Nisi cupido dominandi quovis affectu flagrantior.' *Idem.*

In fide et clientela] Hæc sæpe conjunguntur tamquam synonyma. Terent. Eun. v. 9. 9. 'Thais patri se commendavit in clientelam et fidem.' Cic. pro Rosc. Amer. xxxiii. et xxxvii. Liv. xxvi. 32. et xxxvii. 54. Gell. v. 13. 'Clientes, qui se in fidem patrociniumque nostrum dediderunt.' Quid autem sit 'in fidem et clientelam alicujus venire,' 'se dare,' 'conferre' exponunt Bud. ad l. 63. D. de Eviction. et H. Steph. iv. Schediasm. 9. et 10.

Scelus mandat insidiis] Per insidias exsequi statuit, et iis quasi peragendum committit scelus. Sic Justin. v. 2. verbo *mandare* a personis ad res translato: 'Quum interficiendum insidiis mandassent.' Vid. Schulting. ad Sen. Controv. xvi.

§. 4 *Isque Romam profugisset*] Claudian. de B. Gild. 408. 'Si mœstas squalore comas, lacrymisque Senatum In Numidas pulsus solio commo-

vit Adherbal.' *Camers.* Qui tamen non advertit latens in priori versu vitium; legendum enim: *Si mæsta squalore coma, lacrymisque, &c.* Habitum enim supplicantium exprimit, quo senatum moverit: de quo vide Justin. 4, 4, 1. Liv. 27, 36, 4. et quæ notavit ad Justin. 36, 4, 2. Berneccerus. *Freinsh.* Ryck. *cum se in Adherbalemque dividerent*, omissis omnibus intermediis. Similis error supr. Cap. XVII. §. 2. et alibi in illo libro.

§. 5 *In Scauro*] Similiter II. 8. 13. 'In Antiocho vicimus Xerxem.' Petron. c. CXIX. 'In uno victa potestas, Romanumque decus:' add. supr. II. 6. 33. Sed rem ipsam non recte narrat Florus. Nam Scaurus non fuit inter legatos regni inter Adherbalem et Jugurtham dividendi causa in Africam missos; sed inter eos, qui deinde, Jugurtha Adherbalem in urbe Cirta obsidente, a Senatu missi sunt. Ac ne tum quidem pecuniam ab Jugurtha accepit; sed postea demum, quum decreto adversus Jugurtham bello cum Calpurnio Cos. legatus in Africam venit. Sall. Jug. XVI. XXV. et XXIX. Et Jugurthæ non tam ob legationem corruptam, quam propter scelus occisi Adherbalis bellum inlatum est. Ibid. c. XXVII.

Ipsos Rom. imperii mores] Quia Scaurus omnium videbatur gravissimus et abstinentissimus. Simili ferme figura Nic. Damasc. ap. Vales. pag. 458. Συναπόλλυται Κρείσῳ πᾶσα ἀνθρώπων εὐσέβεια. *Freinsh.* De moribus Scauri aliter sentit Cicero pro Font. VII. aliter Sall. Jug. XXV.

§. 6 *Diu non latent scelera*] Quamquam sollicite tegantur. Senecam vide, Epist. 97, 12, &c. *Freinsh.*

§. 7 *Peritus*] Reduxi in possessionem antiquam v. e. lectionem, eo magis, quod et illam invenisset in membranis suis Vinetus. Vulgabatur antea, *præmonitus*, quod hic non consistit, cum expertus esset ipsemet, quid posset aurum: notet ergo Criticus, *peritum* etiam poni pro experto, pro eo qui didicit, qui periculum fecit: nam et Noster inf. 3, 5, 18. 'Rex callidus, Romanæque avaritiæ peritus.' *Grut.* 'Se peritum et hostium et regionis,' Liv. 25, 18, 9. *Freinsh.* *Peritus* est in uno Vineti et ceteris o. s. et Ed. v. ac J. Liv. XXV. 33. 'Peritus omnis barbaricæ perfidiæ.' Paullo ante *in Numidia* Magl. Berol. Duisb. et v. e. ceteræ, et cum his Græviana, *in Numidam*, quod in nullo scripto inveni. *Consul immittitur* Naz. Pall. et alii o. s. præter Fran. *Immittitur* etiam e. o. ante Vinet. et Gruterum, quod post eos revocarunt Freinsh. et Grævius, quos nunc sequi malui, etsi *mittitur* usitatius puto, si retineatur *Numidiam.*

§. 8 *Interveniente fide publica*] Sall. Jug. XXXII. 'Interposita fide publica.' 'Salvum conductum' vulgo barbare vocari adnotant Bud. ad l. I. D. ad L. Jul. Maj. et Cellar. in Cur. poster.

Confecit] Inf. III. 7. 5. 'Ut veneno se plerique conficerent.' Tac. I. A. 6. 'Quem centurio ægre confecit.' Liv. XXV. 18. 'Ut pedes jacentem conficeret.' Est proprium gladiatorum et bestiariorum. Donat. ad Eun. v. 4. 6. De Massivæ nece Sall. Jug. XXXV. Perizonius suspicabatur excidisse *nepotem*, ut esset, *Masinissæ nepotem Massivam.* Videtur existimasse Florum non debuisse præterire titulum, quo Massiva regnum Masinissæ petiit. Hoc non caret ratione: sed nullum vestigium illius vocis est in libris.

§. 9 *Igitur sequens ultio mandatur Albino*] Hæc suspecta sunt N. Heinsio eaque interpolata putat a sciolo nescio quo: subnectit dein: *Præsens ultio* dicitur Latine scribentibus, quæ maturatur, et sic Florum hic loci dedisse arbitror. Nec aliter Liv. XL. 7. 'Omnes se ire conclamarunt, præter eos, qui speculatoris abs se pulsati præsentem ultionem metuebant.' Sil.

XIV. 220. 'Et qui præsenti domitant perjura Palici Pectora supplicio.' Pari modo 'Pœnam præsentem' habes ap. Cic. lib. II. de Divinat. 'Præsens periculum' passim scriptoribus, et 'Præsens mors:' ita Curt. lib. IX. 1. Maro Æn. I. Florus ipse sub finem libri primi. Unde fit ut et libro III, 14. ap. Flor. eund. malim 'Adeoque præsentis metu mortis exterruit' quam *præsenti:* non enim recordor alibi *metum præsentem* me legisse. *Græv.* Non valde probo hoc genus loquendi Flori: nec tamen quidquam mutandum puto. *Sequens ultio* est, opinor, ultio sequentis, sive secundi sceleris. Sic prima ultio fuit mandata Calpurnio, sequens Albino. Etiam præcedens vox 'altera' videtur confirmare lectionem receptam.

In pretium salutis, quod prius emerat] Nemo facile dixerit, quid sit *emere pretium salutis:* itaque legam, *addito turpi fœdere in pretium salutis, quem prius emerat, exercitum dimisit.* Emerat exercitum Albini Jugurtha, quem corruperat pecunia, ut facili victoria potiretur. Hæc lectio est alterius Palatini bonæ notæ. Naz. autem habet, *quod prius emerat:* hoc etiam explicemus licet. Primus Jugurtha salutem suam pretio redemerat, corrupto Albini exercitu; ne scilicet vinceretur a Romanis: post illi ipsi Romani, cum voluntariam fugam fecissent, turpi fœdere in pretium salutis sancito, a Jugurtha dimissi sunt: et ita salutem etiam redemerunt, quod prius fecerat Jugurtha: *quod* igitur retinendum censemus. *Primus,* an *prius? Prius* malo. *Salm. Quod prius emerat*] Ita v. e. et Vineti: mihi quidem cum Salmasio, magis placeret Pal. 2. lectio, *quem prius emerat.* Ita Val. M. 9, 6, 4. 'Emere victoriam.' Tac. 11, 14, 2. 'Missis corruptoribus hostes ad exuendam fidem emercari.' Adde Tac. 12, 45, 6. *Freinsh. Quem prius emerat*] Hoc est, exercitum corruperat. Recepi hanc lectionem cum Anna doctissima, ex Pal. 2. Vulgo male: *quod primus emerat.* Græv. Uterque Reg. Edd. vett. quæ primam proxime sequutæ sunt, ac deinde Camertis et Stadii, *quem quod prius emerat,* quod puto pertinere ad morem scribarum duas variantes lectiones conjungendi: de quo supra aliquoties monitum est: ceteri libri et v. e. *quod prius emerat.* Salmasius in exemplari suo scripserat, se non videre quo referri possit illud *quod,* quam ad 'pretium:' hic aliter illud interpretatur; sed ita, ut non possim probare illius sententiam: nam non intelligo, quomodo verba, *quod prius emerat,* possint exponi, quod Jugurtha prius fecerat; quem tum salutem redemisse corrupto exercitu Romano, cui frater Albini Cos. præerat, non constat. Dederat ille tum multis ex exercitu Rom. pecunias, partim, ut transfugerent, partim, ut signo dato locum desererent, non salutis ab iis redimendæ causa: quod si vel maxime fecisset, tamen verba, *quod prius emerat,* non admitterent interpretationem Salmasii, quod Jugurtha prius fecerat. *Quod* referri potest ad 'fœdere,' hoc sensu: Quum potitus fuisset castris Romanorum, exercitum eorum quidem dimisit, sed non nisi addito turpi fœdere in pretium salutis, quod fœdus tamen prius emerat, multis in exercitu Romano corruptis, qui, quod pecunias ab eo acceperant, sponte turpes illas conditiones acceperunt. Tamen cum Freinsh. et Grævio præfero *quem,* in quo hæc sententia est: Rex castris Rom. potitus iis turpe fœdus imposuit, quo salutem redimerent, atque ita dimisit exercitum, quem prius emerat, corruptis centurionibus, ducibusque turmarum, et aliis. Sall. Jug. XXXVIII. Sed sive *quem* legas, sive *quod,* tamen præterea aspera et scabra est oratio, et periodus, quæ inchoatur ab *addito,* non optime cohæret cum superiore. Perizonius adnotaverat: alii codd.

habent *quod*, alii *quem*. Fort. *quo* (scil. fœdere) *quem prius emerat, dimisit exercitum*, vel, *salutis, quam prius emerat, d. e.* Schefferus retinet *quod*, idque interpretatur, quam rem, id est, salutem.

§. 10 *Eodem tempore*] Puto legend. *Eo demum temp.* h. e. tum demum: sero quidem, at tandem. *Freinsh.* Non male. Idem vitium in Liv. XXXII. 14. animadvertit Perizon. Animadv. c. II. p. 65.

Pudoris] I. e. existimationis, quam læsam, vel amissam pudor consequitur. Inf. III. 20. 12. 'Pudorem Romanum Crassus asseruit.' Plin. II. Ep. 4. 'Debes famam defuncti pudoremque suscipere.'

Callidissime] Malim *callidissimum;* hoc enim et ordini elegantiæque verborum magis convenit, et Floro; quippe qui ita etiam loquitur supr. 2, 6, 12, et 16. *Freinsh.* Flor. et Magl. *callidissimum;* idque præferendum videtur.

Jam quasi vera fuga] *Jamque quasi vera*, alter Pal. *Salm. Jam simulata, jam quasi vera fuga*] Repræsentavi editionem Vineti, quam firmant duo Pall. meliores, ad quam proxime adit v. e. nihil enim demutat, nisi quod, pro *jam quasi*, præferat, *jamque:* quod et in Pal. 3. reliqui editi, *jam quasi simulata vera fuga:* aut, *jam simulata quasi vera fuga.* Grut. Etiam Berol. et Duisb. *jamque vera fuga.* Hoc e vett. ed. probabat Perizonius addito loco Liv. II. 50. 'Sæpius simulato, quam vero, pavore refugerunt.' Nec magis intelligo quid *quasi vera fuga* differat a *simulata*, quam Perizonius, qui putabat *quasi veram fugam* nihil aliud esse, quam *simulatam.*

Artibus suis aggressus est] Hæc ex Sall. Jug. 48, 1. Centenius Penula, ap. Liv. 25, 19, 9. petito a patribus milite promisit, se, 'quibus artibus ad id locorum Romani et duces et exercitus capti forent, iis adversus inventorem usurum:' eund. 27, 18, 9. Annibal: 'Eadem qua ceperamus arte, Tarentum amisimus.' Vocula ap. Tac. H. 4, 56, 6. 'Optimum ratus' est, mutua dissimulatione, et iisdem quibus petebatur, artibus grassari.' Add. inf. 3, 4, 7. *Freinsh.*

§. 11 *Vicorum populatione non contentus*] Omissa negatio in veteribus excusis, et scriptis libris. In Naz. libro, *populatione contemptus:* forte, *virorum et vicorum populatione contempta, in ipsa Numidiæ capita impetum fecit.* Salm. V. e. omisit negativam, *non;* quam neque agnoscunt Pall. sed 1. habet *contemptus*, quod heic non male conveniat. *Grut.* Forte ex Naz. scriptura fieri possit, *contemptis*, populatione nimirum agrorum, et populatione vicorum. *Freinsh.* Solus inter libros scriptos Ryck. habet negationem, cui omittendæ occasionem præbere potuit præcedens syllaba 'ne,' vel sequens 'con.' Freinshemii conjecturam tamen considerandam puto.

Diu voluit] N. Heins. pro *voluit* scripserat *volvit.* Sic quoque Freinsh. in Ind. v. *Volvo* accepit, et exponit, tentavit oppugnando. Scio recte dici 'volvere aliquid,' 'volvere aliquid animo,' et 'volvere cogitationes,' pro, agitare animo: sed vix credo Latinos scriptores *volvere urbem* hac significatione dixisse. Potius puto supplendum esse verbum conveniens sententiæ, puta, *capere, occupare*, vel simile quiddam: ut ap. Terent. Eun. I. 2. 27. 'Eunuchum porro dixti velle te.' Liv. XXI. 18. 'Daret utrum vellet.' Martial. IX. 33. 'Hanc volo.' Schefferus legit *frustra tradi voluit.* Sed hoc repugnat narrationi Sallustii Jug. Cap. LVI. et seqq.

Gravem armis thesauroque regis] Nihil est, quod hanc lectionem improbemus: sed nec respuenda vetus, *Thalam gravem armis, thesaurosque regis diripuit:* quam libenter prætulerim vulgatæ. *Salm.* Pall. tres, *thesaurosque:* prætulerim prius. *Grut.*

Quæ autem *Zona* ap. Dion. lib. 48. p. 423; an et ibi *Zama* scribendum? Cujus etiam meminit Vitruv. 8, 4. *Freinsh.* Nec hic Ryck. recedit a Naz. in quo scribitur: *Thalam gravem armis thesaurosque regis.* Græv. *Thesaurosque* etiam Toll. Duisb. Fran. Voss. et v. e. Nec dubitavi post Amst. scripturam tot librorum fide subnixam admittere: etsi vulgata, quam habent Regg. satis defendi potest.

§. 12 *Regnique fugitivum*] Val. M. II. 7. 12. 'Tanquam patriæ fugitivos crucibus affixit.' Plin. IX. Ep. 28. 'Futurum te fugitivum rei familiaris, statimque ad nos evolaturum.' Sic 'exsul' et 'profugus' cum genitivo. Vid. cl. Burm. ad Petron. LV. *Jam* non est in Magl. et Ryck. *Gætulia*, si Græcorum rationem scribendi sequimur, diphthongum in prima syllaba habere debet: de quo hic Vinet. et Pier. ad Virg. Æn. IV. 40. In Inscriptionibus promiscue est *æ* et *e*.

§. 13 *Auctis admodum copiis*] *Auctis inmodum copiis*, germanam Flori scripturam esse putamus, auctoribus libris. 'Inmodum' idem quod 'Admodum,' quæ est Annæana χρῆσις. Sic 'In tempus' pro, Ad tempus: de quibus supra diximus. *Salm.* Hoc ex uno tantum Pal. post. adnotarat Salmasius, cum quo consentit Magl. Retineo vulgatum, quod est in aliis. Vid. inf. 5. 14. et 10. 18.

Pro obscuritate generis sui] Solus Vell. II. 11. contra omnes alios scribit, Marium equestri loco natum fuisse. Eum locum varie tentant doctiss. Interp. Perizon. ad Ælian. XII. V. H. 6. nihil mutandum censet.

Capite censos] Sall. Jug. 86, 2. Val. M. 2, 3, 1. Agell. 16, 10. Videtur hac de re loqui Cassius Hemina, ap. Non. in voce *Proletarii. Tunc Marcus præco primum proletarios armavit.* Videtur, inquam, legend. *Tum C. Marius, PR. CO.* (hoc est, *primum Cos.* aut *primo consulatu*) *primum proletarios armavit*, qui autem fuerint proletarii isti, explicat idem Nonius in *Proletarii cives.* Eo usque enim proletarii et capite censi, quos in unam classem congesserant, ex instituto Servii Tullii, sicut aliorum onerum et honorum, ita militiæ, expertes erant. Vide Dionys. 4, 22. et Agell. 16, 10. *Freinsh.* Add. Lips. I. de Milit. Rom. 2. Quod Florus dicit, Marium hos pro obscuritate generis sui sacramento adegisse, id interpretationem capit e Sall. l. d. De loco Cassii Heminæ aliter sentiunt alii. Vid. quæ adnotantur ad Fragm. Historicorum Vet. in Sall. Wass. p. 238.

Fusum] Omnino melius dixisset, an dixit? *fessum.* Ita Tacit. frequenter, ut H. 5, 16, 5. 'Fessi bello.' Adde Claud. de B. Get. vers. 129. *Freinsh.* Confirmat hanc conjecturam multis testimoniis aliorum in Ind. v. *Fessus.* Sed *fusum* est in omnibus libris. 'Saucius' pro fracto ac debilitato, ut 'vulnus' pro clade Inf. III. 23. 4. 'Ægra sauciaque Respubl.' Justin. XXVII. 3. 'Nec difficile saucios adhuc ex superiore congressione integer ipse viribus superat.'

Non facilius tamen vicit] Supr. 2, 15, 13. 'Quomodo maxime mortiferi morsus esse solent morientium bestiarum; sic plus negotii fuit cum semiruta Carthagine, quam cum integra.' *Freinsh.*

Quam integrum et recentem] Probamus magis veterem, *quam si integrum et recentem.* Jam, inquit, fusum et saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quam si integrum et recentem: hoc est, adortus esset. Marius nunquam vicerat Jugurtham integrum et recentem, ut ex comparatione dici posset, tam facile de eo victoriam obtinuisse, cum integer et recens esset, quam cum saucium et fusum multoties ab aliis Imperatoribus adortus est. *Salm.* *Si* est in Naz. Ryck. Reg. F, Magl. et omnibus Edd. vett. præter primam. Altera scrip-

tura tamen ita exponi potest, quam integrum et recentem victurus fuisset.

§. 14 *Hic et urbem*] *Qui et urbem* Toll. Regg. Duisb. Fran. et v. e. *Hic et urbem* Naz. Pall. Ryck. Voss. et aliæ omnes Edd. veteres ac recentiores ante Freinshemium. In Freinshemiana primum invenio *Hic urbem*, excluso *et*, contra o. s. et e. quod Grævius et Amst. sequuti sunt. *Hic* melius convenit orationi, quam *Qui*. Cur *et* sustulerint, non scio. Capsam ab Hercule Libye conditam auctor est Sall. Jug. LXXXIX. Vid. Bochart. Chanaan. I. 24. et Cellar. Geog. Ant. IV. 4. 5. et 8.

Anguibus arenisque vallatam] Ita est; solitudo munimenti locum obtinet, dum hostis ejus asperitatem superare non posse præsumitur. Inde Mithridates, ap. Justin. 3, 7, 4. 'Scythiæ, præter arma virtutemque animi, locorum quoque solitudinibus, vel frigoribus, instructæ.' Verum de his naturæ propugnaculis alibi plura. *Grut.* Operæ pretium est addere, quæ ad Justini locum notavit Berneccerus. Plin. Paneg. c. 14. Germaniam veterem 'prope infinita vastitate interjacentis soli muniri dirimique' dicit. Herodian. lib. 2. scribit, Imp. Augustum munivisse imperium, cum aliis rationibus, tum ἐρήμῳ γῇ καὶ δυσβάτῳ, *terra deserta et ægre pervia*. Freinsh. Capsam inter ingentes solitudines sitam, et loca circa vasta, inculta, egentia aquæ, et infesta serpentibus fuisse scribit Sall. l. d. Hoc Florus tumide 'anguibus arenisque vallatam' fuisse dicit.

Saxeo inditam monti] Quidam libri, *editam:* esset legend. *saxeo editam monte:* sed non placet. *Salm.* *Editam* Pal. 1. Berol. Duisb. et v. e. et hæc insuper *saxam saxeo*. 'Saxeus mons' pro rupe ap. Sall. Jug. XCII. et Front. III. 9. 3.

Mulucham] Fluvius est 'Mulucha' ap. Sall. Jug. 92, 6. Melam, 1, 5. Plin. 5, 2. Priscian. lib. 6. qui Straboni, lib. 17. p. 569. et Ptolemæo dicitur barbare, Μολοχὰθ, id est, *Molochath*. 'Molochat' etiam urbs apud eundem Ptolemæum, quæ, non satis mihi liquet, an sit hujus Auctoris 'Mulucha.' Quem autem locum Marius Liguris opera cepisse bello Jugurthino, cap. 93. legitur, eum Sallustius non 'Mulucham,' sed castellum appellat, non longe a flumine 'Mulucha' in monte saxeo situm. *Vinet.*

§. 15 *Jure sanguinis*] Etenim et adfinitatis jure obtineri auxilia, jus et fas suadet. Justin. 11, 3, 1. 'In transitu hortatus Thessalos fuerat, beneficiorumque Philippi patris, maternæque suæ cum his sub Æacidarum gente necessitatis admonuerat, cupide hæc Thessalis audientibus.' Hinc intelligenda illa Suetonii, Julio, 1, 1. 'Corneliam, Cinnæ IV. Cos. filiam, duxit uxorem; ex qua illi mox Julia nata est: neque, ut repudiaret illam, compelli a dictatore Sulla ullo modo potuit: quare et sacerdotio, et uxoris dote, et gentilitiis hereditatibus multatus, diversarum partium habebatur.' Scilicet quia Cæsar adfinis erat Cinnæ, adversario olim Sullæ, putabatur item alienus futurus ab eodem Sulla. Sed de hoc vinculo necessitudinis, uberiora promsimus ad Liv. 24, 41. *Grut.* Add. supr. 1, 18, 6. *Freinsh.*

Numidiam] An *Numidam?* Idem. Confirmant conjecturam Freinshemii, Ryck. Flor. Berol. Duisb. Voss. 1. 2. et v. e. In Pall. idem videtur fuisse. Nam Salmasius ad librum suum, in quo erat *Numidam*, nihil ex illis adnotaverat. Itaque illud cum Amstelod. recepi: quod et jam ante in Vineti, Stadii, et Gruteri Edd. erat.

§. 16 *Alienæ cladis accessio fieri timet*] Ita prorsus v. e. Pall. o. egregia et clara sententia. *Grut.* Ita plane Minutius Felix, Octavio: 'Dum

fieri malunt alieni erroris accessio, quam sibi credere.' *Freinsh.* Reg. Q, Ald. et Camers *accessionem fieri timet.* Vineti Ed. *accessionem timet.* Plant. Stadii *accessio ne fieret, timet.* Ita variis modis hoc corruperunt. Rectum est *accessio fieri timet*, quod habent alii o. s. et vett. edd. Multis inlustrant hoc genus loquendi Gronov. ad Liv. XLV. 7. et Heins. ad Vell. II. 26. Sunt autem 'accedere' et 'accessio' verba juris, de rebus quæ in contractibus adpendicis et additamenti loco principali adjiciuntur. Vid. Hermol. Barb. ad Plin. XXXIII. H. N. proœm. Popm. ad Caton. de R. R. CXLV. et Brisson. de V. S.

Pretium] Liv. XXIV. 15. 'Capita hostium pretia libertati facta.' Add. Græv. ad Justin. I. 7.

§. 17 *Fraudulentissimus regum fraude soceri sui in insidias deductus est*] Justo Dei judicio quandoque evenit, ut vulpes istæ suis dolis capiantur. Exemplo sit famosissimus ille Pontifex Alexander Borgia, ejusque dignus tali patre filius: quorum alterum ferunt nunquam dicere solitum quæ facturus esset: alterum nunquam facere, quæ dixisset: utrumque vero in idem illud consensisse; nemini fidem non dare, nemini datam non fallere. Pater enim veneno, quod in amicorum necem confecerat, extinctus est: filius eadem fraude, qua hostes consueverat, a Consalvo circumventus. Vid. Bodin. de Republ. 5, 6. Alia caussa Datamis ap. C. Nep. qui tamen et ipse 'tam callidus vir extremo tempore captus est.' *Freinsh.*

Soceri sui] *Generi* scribendum est, quia Bocchus, cui Jugurthæ filia nupserat (ut Sall. cap. 80. testatur), gener erat Jugurthæ: atque is a Boccho proditus est L. Sullæ, tunc Quæstori Marii consulis. *Stad.* Quid ergo? damnabimus Auctorem oscitantiæ tam supinæ, aut, si qua possumus, subveniemus? Extat certe in Jug. Sall. 80, 6. 'Jugurthæ filia Boccho nupserat.' Sed ea verba corruptioni satis opportuna sunt, nostri Auctoris non item. Potest ergo legisse Florus in Sall. immo potest ita legendum esse: *Jugurthæ filia Bocchi nupserat.* Præterquam enim quod credibilius est, majorem annis inter duos fuisse socerum, etiam Plut. Mario, cap. 12. expresse Bocchum Jugurthæ socerum facit. Βόκχος ὁ τῶν ἄνω βαρβάρων βασιλεὺς, ἦν πενθερὸς Ἰουγούρθα. Perperam enim interpres ibi; *gener erat Jugurthæ:* πενθερὸν enim Plutarcho socerum esse, ejusdem ipsius locus documento est, Quæst. Rom. cap. 8. ubi πενθερὸν et γαμβρὸν, ut socerum et generum, diserte opponit: quomodo etiam vertendum erat in Vita Catonis Maj. cap. 39. unde mihi suboritur suspicio, alterum etiam ejusdem Plutarchi locum, Sulla, c. 3. Ὁ δὲ Βόκχος ἐτύγχανε μὲν ἔτι γε πάλαι γαμβρὸν ὄντα μισῶν καὶ φοβούμενος τὸν Ἰουγούρθαν, exponendum esse: Bocchus jampridem 'generi' Jugurthæ odio et metu laborabat. Sed interpp. in errorem induxerat Sallustiani nominis auctoritas. *Freinsh.* Libri Sallustii variant. Sed in eo legendum esse *Bocchi* suadet auctoritas Plutarchi et Flori, quo etiam inclinat Spanh. de Præst. et Usu Numism. Diss. VIII. p. 539. et X. p. 226. Vid. Wass. ad Sall.

§. 18 *Sed ille quoque*] Non bene perspicio, quæ sit horum verborum sententia. Si hæc est: Quemadmodum populus Rom. Jugurtham, ita ille quoque Urbem Romam vidit: (nec video aliam esse posse:) ea mihi aliquantulum frigere videtur.

Vidit urbem] Legitur in optimis Nazarii membranis, *ut vidit urbem quamvis vinctus, et victus.* Facile conjicio legendum *at vidit urbem, u* pro *a:* quarum invicem literarum crebra mutatio est. *Salm.*

Venalem] Istam Jugurthæ vocem annotarunt etiam Sall. Jug. 35, 15.

Epit. Liv. 46. Oros. 5, 15. et Adonis Chron. sub anno 4690. Non valde absimiliter Tiberius, ap. Tac. 3, 65, 3. ‘ Quoties curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui solitus est: O homines ad servitutem paratos!’ Jugurthæ dictum credo in animo fuisse Sidonio, cum scriberet, Epist. 7. 5. ‘ Rem jamdudum in nundinam mitti auctionemque potuisse, si quam paratus invenitur emptor, venditor tam desperatus inveniretur.’ *Freinsh.*

Tamen ut venalis fuisset] Hæc pro spuriis habent Viri eruditione præstantissimi: pace licet eorum dicere, aliter censeo: si mendas sustuleris, quæ totam periodum inquinarunt, hanc γνησίην ἐν ταῖς μάλιστα præstabo. *Tamen ut venalis fuisset:* Nazarii optimus liber, *jam ut venalis fuisset:* optime: sic igitur lege: *jam, ut venalis fuisset, habuit emptorem, et quum ille non evaserit, certum erat, eam non esse perituram:* vulgo perperam legebatur, *certum erit.* Hoc sensu: Jugurtha venalem et quandoque perituram, si emptorem nacta esset, Romam prædixerat: sed frustra: etiamsi, inquit, venalis fuisset Roma, emptorem habuit, Jugurtham: sed cum ille emptor victus sit et captus, certum erat, eam non esse peritnram (quod frustra cecinerat Jugurtha) sublato emptore de medio. *Salm.* Gruterus tamen persistit in ea sententia spuriam esse hanc periodum, inque Suspicionibus suis id demonstratum sibi ait. *Freinsh.* Optime Naz. *Jam ut venalis fuisset.* Solent enim hac particula uti in connexionibus, ut ad Justin. ostendi. *Græv.* Etiam libri Vineti, Pal. 2. Regg. Magl. Voss. 1. 2. et Fran. *jam ut.* Pal. 1. Berol. Duisb. et v. e. *nam ut.* Ryck. Flor. Voss. 3. et ceteræ edd. vett. *tamen ut.* Anna Fabri putabat legend. esse *nam ut:* quia reddatur ratio horum verborum, ‘ frustra cecinerat.’ Accedo ad illius sententiam. Scheff. volebat *nam et, ut ven. f.* Et Perizon. inter alias conjecturas etiam adscripserat, *nam utut. Erat,* quod Salm. e conj. ut puto, legit, habet Voss. 3.

Cap. 2 De hoc bello Liv. Epit. 61. Oros. 5, 13, et 14. Vell. 2, 10, 3. Strab. lib. 4. p. 132. Val. M. 9, 6, 3. Suet. Ner. cap. 2. Cæs. B. G. 1, 45. *Freinsh.*

§. 1 *Et multipliciter magis, et a Septentrione, sævitum*] Particula *et,* leviter trajecta, tu scribe, *et multipliciter, et magis a Septentrione, sævitum.* Salm. Pall. o. *et mult. et magis a sept.* qui ordo Grutero non placet. Putem ego abjiciendum alterum *et,* ut legatur; *et multipliciter magis,* clara sententia ex seqq. ‘ Omni igitur tractu.’ *Freinsh.* Pall. et Ryck. *Multo atrocius, et multipliciter, et magis a septentrione.* Merito probat Salm. Nam aut sic legendum, aut in vulgatis copula ultimo loco posita delenda, ante τὸ ‘ magis.’ N. Heinsius aliter castigandum arbitratur hunc locum, nimirum, *Multo atrocius et multipliciter magis, ut a septentrione, sævitum.* Ita enim subjicit solere, qui eleganter loquantur. Curt. lib. xii. 2. ‘ Hyrcani egregii, ut inter illas gentes:’ lib. ix. c. 1. ‘ Ad magnam deinde, ut in illa regione, urbem pervenit.’ Flor. iii. 17. ‘ Drusum matura, ut in tali discrimine, mors abstulit.’ Sic ille crebro. Phrenetici enim septentrionis filii aliis gentibus sæviores barbarique magis habiti. *Græv.* Reg. Q, *et multipliciter magis,* ut volebant Freinsh. et Perizon. Ryck. Reg. F, Toll. Duisb. Fran. Voss., nisi quod tert. habet *in Sept.,* et Edd. vett. cum Pall. consentiunt, præter solam Junt. quæ habet scripturam vulgatam. Grut. adnotat in Pall. pro *sævitum* fuisse *venientem.* Idem est in Ryck. Regg. Voss. et edd. B. et S. *sævientem* in ed. P. *Veniente* in Duisb. Fran. et v. e. Tollius totum locum intactum præteriit. Nec tamen credo in omnibus illius libris fuisse *sævitum.* Nam cod.

Berol. in plerisque cum Duisb. et v. e. convenit. Is. Voss. ad Catull. p. 175. præfatus multa sine discrimine in 'es' et 'or' exire, ut 'turges' et 'turgor,' 'squalles' et 'squallor,' inter ea etiam refert 'terres' et 'terror;' ac proinde h. l. ita legit: *multo atrocius et multiplici terre magis a septentrione veniente.* Et similiter inf. IV. 9. 2. 'Tandem etiam terre seculum liberavit,' pro *terrore sui.* Habuit fortassis Vossius auctoritatem Veterum, qui 'terres' pro, terror dixerint. Si ea destitutus fuit, quod credo, quum nullam proferat, non potest ex illius conjectura recipi vox Latinis Scriptoribus incognita. Non dubito tamen, quin hic aliquid vitii lateat. Sed hoc acutioribus indagandum relinquo.

§. 2 *Perinde ingenio*] In aliis edd. erat, *pervicaci ingenio. Perinde* ex prima editione vidit summus Vir, J. Gruterus, quem honoris causa nomino: nondum tamen ex toto menda vacat: emendo, *atrox cœlum, perinde ingenia;* vel *perinde ingenium:* omnino aut *ingenium,* aut *ingenia,* scribendum. *Salm. Perinde ingenia*] V. e. *perinde ingenio:* nuperæ enim *pervicaci ingenio:* scias non percepisse vim vocis *perinde,* quæ item comparet in Pall. o. quorum primus habet etiam a manu secunda, *perinde ingenium.* Grut. Simile est illud Senecæ ad Helv. cap. 6. 'Hominum ingenia ad similitudinem cœli sui rigentia.' Tac. G. 29, 4. 'Mattiaci ipso terræ suæ solo et cœlo acrius animantur.' Liv. 5, 33, 12. 'Rhætos loca ipsa efferarunt.' Alludit autem Florus ad illud, quod ait Curt. 8, 9, 20. 'Ubique locorum situs ingenia hominum format:' relege notata supra 2, 11, 4. *Freinsh.* Add. hic Rupert. et Casaub. ad Theophr. Charact. c. 1. *Perinde* (Fran. perperam *peruidere) ingenio* habent etiam alii omnes scripti: *perinde atroci ingenio* Voss. 2. Vid. ad 1. 13. 4. et Salm. ad Solin. p. 175.

A dextris] Videtur intelligere eos populos septentrionalis plagæ, qui versus ortum sunt Italiæ respectu, ut Thracas, Dacas, Getas, Pannonios, Illyrios, &c. Hæc Virdungus. *Rup.*

Atque lævis] Hic vero designat Gallos et Germanos, aliosque ad septentrionem vergentes; ut opinatur Idem. *Idem.*

§. 3 *Prima*] Pigh. ad A. U. 631. non male conjicit *Primi.*

Salyi] Salyi hoc loco, et supra, 2, 3, 5. etiam *Salvii,* et *Saluvii,* perperam scripti nonnunquam ap. Liv. et alios, Græcis Σάλυες appellantur, gens Galliæ Narbonensis, cujus urbes aliquot, quas Strabo, Ptolemæus, aliique memorarunt, adhuc manserunt, vetus suum vocabulum retinentes: atque in iis clarissimæ, Aquæ Sextiæ, et Arelatæ, non procul Massilia. Hi igitur primi Gallorum Transalpinorum fuere, qui senserint arma Romana: primusque Roman. M. Fulvius Flaccus Transalpinos Ligures bello domuit, ut habet Epit. Liv. 60. et Salyos Gallos (sic enim ibi legendum arbitror, *Salyos,* sive *Salvios,* pro *Falanios*) missus in auxilium Massiliensibus. De quibus populis triumphasse procos. A. U. C. 630. scribitur in antiquis marmoribus. *Vin.* Miror Vinetum existimare corrupte dici *Saluvios* ap. Liv. et alios, eamque sententiam recepisse Freinshemium. In Regio exemplari Ammiani XV. 11. nominantur *Saluvii,* teste Valesio ad d. l. Nec abit fragmentum marmoreum triumphorum Romanorum: SALLUVEISQ.....VI.....DE LIGURIBUS. VOCONTIEIS. SALLUVEISQ.... *Rupert.* Libri scripti varie *Salvi, Salri, Salvii, Salini:* ut supr. II. 3. Vetus lib. Pighii *Saluyi.* Vid. ejus Annales ad A. U. 630. et 631. *Sentire* sæpe habet significationem damni ac mali. Horat. III. Carm. 23. 5. 'Nec pestilentem sentiet Africum Fœcunda vitis:' et IV. 6. 1. 'Dive, quem proles Niobæa magnæ Vindicem linguæ, Tityosque

raptor Sensit.' Plura Passerat. ad Propert. II. 10. et IV. 7. et Burm. ad Petron. CXL.

De incursionibus eorum] Vicini quippe erant, et, præter solita inter accolas odia, antiquitus hostes: vid. Liv. 5, 34, 8. Talibus autem de causis Romani pluries bella sumpserunt: vid. inf. 3, 10, 10. et 14. *Freinsh.*

Massilia] De hac urbe lege exactiss. Merulam, Cosmog. 2, 3, 39. *Idem.*

§. 4 *Arverni*] Corrigend. leviter in hac voce Plin. 7, 50. ' Q. Fabius Maximus Cos. apud flumen Isaram prælio commisso, adversus Allobrogum Avernorumque gentes, ad VI. Idus Augustas CXXX. M. perduellium cæsis, febri quartana liberatus est in acie.' Scribend. enim est *Arvernorum*, sicut omnibus, et ipsi Plinio, vocantur. *Idem.* In scriptis *Arvenni*, *Alverni*, et *Averni*. Ryck. et Voss. 1. 2. recte *Arverni*, ut in Fast. Triumph. aliisque Inscriptionibus. Hi autem victi sunt A. U. 632. a Cn. Domitio Ahenobarbo Procos. non ab ejus patre, ut perperam scribit Suet. Ner. II. cujus errorem ibi Casaubonus, et Pigh. in Annal. ad A. U. 633. notarunt.

Varus victoriæ testis] Cum scripti libri, tum vett. excusi, *Varusque victoriæ testis:* forte, *Varus quoque victoriæ testis:* mox lego, *Isara et Vindelicus amnes:* ex fide librorum. *Salm. Varusque*] Ita rescripsi volentibus membranis, et ordine melius cohærente: ita enim v. e. et Pal. 3. alluduntque ceteri. *Freinsh.* Pal. 2. *Varus quoque.* Libri Vineti aliique, Edd. V. B. S. et P. habent *que*, sed nomen fluviorum varie in iis scribitur, *Varus*, *Varius*, *Isaura*, *Isauria*, et *Isata*. Ryck. et Voss. 3. *utriusque*. Junt. Ald. et recentiores *Varus victoriæ testis Isaraque.* Nec inconcinne: nam non est opportunus locus copulæ in principio. Heins. ad Vell. I. 8. legit, *Varusque victoriæ testis*, *Isaraque*, et locum a Salm. non debuisse tentari dicit. Sed hic non multa tentavit contra Mss. quorum nullus copulam *que* post *Isara* habet. Non est mihi nunc otium quærere, an hoc bello ad Varum prælium factum fuerit. Ad Isaram pugnatum fuisse Fabio, ad Sulgam Domitio, et ante adversus Salyos ad Aquas Sextias C. Sextio Calvino ducibus constat. Itaque diligentius cogitandum censeo de scriptura libri Ryckiani, et Voss. 3. Nam Florum præcipue respicere ad victorias Fabii et Domitii indicio sunt, quæ mox scribit n. 6. Si cui probanda videbitur hæc scriptura, ei etiam legendum putem *testes;* quod in vetustioribus quibusdam libris fuisse ex eo suspicor, quod in Naz. ap. Salm. et Fran. est *testis est.* Interim exprimendum putavi id, quod alii libri habent, etsi mihi valde suspectum est.

Vindelicus] Hodie *Sorga;* Straboni ' Sulgas.' Florus appellavit eum ab urbe propinqua Vindelio, ut Joseph. Scaliger ad Auson. 1. Lection. c. 30. Merula in Cosmog. Welser. in Rebus Vindelicis, ext. lib. 1. docent. *Freinsh.* Cellar. II. Geog. Ant. 2. putat legend. *Vindalicus* ab oppido *Vindalo*, vel *Vindalio:* ita enim illud vocant Veteres, non *Vindelium.*

Impiger fluminum Rhodanus] Lucan. 1, 433. ' Qua Rhodanus raptum velocibus undis In mare fert Ararim.' Plin. 3, 4, et 20. Strab. lib. 4. Cæsar B. G. 1, 1, 2, &c. Varro in tribus primis Europæ fluminibus Rhodanum ponit. Gell. 10, 7. *Camers.* ' Impiger fluminum' litotes poëtica pro, rapidissimus. De rapiditate Rhodani multa habet Barth. ad Claud. II. in Rufin. III.

§. 5 *Elephanti*] Usus enim elephantis hoc bello Domitius: unde intelligas illa Suetonii, Ner. cap. 2. ' Allobrogibus Arvernisque superatis, elephanto per provinciam invectus est: turba militum, quasi inter solemnia triumphi, persequente.' Quando au-

tem primum elephantis usi Romani, notat Liv. 31, 36, 3. *Freinsh. Elephantes* Magl. Fran.

Rex ipse Bituitus] *Bisuisus*, quod obtinuerat in plerisque editionibus, ex verbi scriptura manavit, *Bisuisus* pro *Bituitus: s*, pro *t*, frequens erat in illis optimis membranis, quibus usi sumus, ut *positus* pro *potitus*, *ulsus* pro *ultus*, et similia: reliqui libri corruptissime aut *bis victus* duabus vocibus, aut *bis visus*, præferunt. Hic 'Rex Betultus' dicitur in veteri inscriptione. *Salm.* Adonis Chronic. sub anno 4690. 'Bitoitum' vocat: exemplaria Floriana varie. Vetus Inscript. ap. Gruter. 298. 3, *Betultum.* Athenæus, 4, 13, Βιτύϊτον. Vide Scalig. ad Euseb. p. 156. Appian. Fragment. ii. (ap. Voss. de Idol. p. 1058.) 'Bitultus.' Adde Pigh. Annal. ii. 633. *Freinsh.* Stadius primus, quod quidem sciam, edidit *Bituitus:* qua auctoritate non prodidit: quod se mirari dicit Pigh. ad A. U. 633. Sed credibile est eum sequutum auctoritatem Epitomes Liv. Val. M. et aliorum, quos hic laudat Vinetus. Pighius verum hujus Regis nomen putat esse, quod legitur in Fast. Triumph. 'Betultus,' a voce Celtica *Betultich*, i. e. patiens, vel modestus. Contra Scaliger ad Euseb. n. 1890. lapicidam, vel descriptorem lapidis, errasse, et scribendum esse *Betuitus.* Sed Pontanus in Append. Itinerarii Galliæ Narbon. p. 44. in arcu triumphali ap. Arausionenses, quem non Marii, ut vulgo, sed Fabii Max. esse credit, qua in sententia etiam Peirescium fuisse in vita illius prodit Gassendus, hoc nomen BVDVACVS scribi auctor est. Idque nomen gentis Arvernæ esse ostendit ex aliis Inscriptionibus, in quibus ex eadem gente memorantur BODVACII. Quod Florus scribit Bituitum in triumpho ductum fuisse, non omnino certum est: vid. adnotata ad Liv. Epit. LXI.

Carpento] Tale pugnæ genus Britannis inprimis familiare fuit: vide quæ dicemus inf. 3, 10, 17. *Freinsh.* Carpenta Gallorum in præliis sæpe memorat Livius, x. 30. XXXI. 21. XXXII. 30. et alibi: add. Flor. supr. I. 18. 27. Esseda Britannorum Cæs. IV. Gall. 33. et Cic. VII. Ep. Fam. 6. et 10. e quibus pugnandi modum describit Broekh. ad Propert. IV. 10, 42. Antiquissimum morem fuisse, ut Reges Ducesque e curribus pugnarent, intelligi potest e sacris literis, et aliis vetustis Scriptoribus.

Qualis pugnaverat] Quid, si, *argenteo carpento, quali pugnaverat?* Sed nihil mutamus: vetus: *o qualis pugnaverat!* inepte. *Salm.*

§. 6 *Ænobarbus*] De quo Suet. Ner. 2, 1. *Freinsh.* 'Ahenobarbus' est in Nummis et Inscriptionibus. Græcis Ἀηνόβαρβος. Vid. hic Vinet. Sigon. ad Liv. XXXIII. 42. et Ursin. in Nummis gentis Domitiæ. Fabius Max. ab hac victoria Allobrogicus dictus, Scipionis Æmiliani fratris Fil. fuit. Nam Plinius, et alii veterum, qui Æmiliani fratrem fuisse dicunt, haud dubie errant. Vid. Perizon. Anim. Hist. c. II. p

Saxeas extruxere turres] Scripti *erexere.* Salm. Vide quæ notavimus supr. 2, 17, 16. Plutarchus autem, Quæst. Rom. 37. 'Parum laudis adeptos,' ait, 'qui primi lapidea aut ænea statuerunt trophæa.' Cui adde locum Diodori, 13, 24. *Freinsh.* Extat etiam nunc pars talis turris in Principatu Arausionensi, in qua belli hujus historia et facies est expressa. Militum Allobrogicorum scutis inscriptum est nomen 'Bituiti,' eorum ducis. Vere autem censuit magnus ille Peirescius fuisse arcum triumphalem Fabii, non Marii, ut vulgus credebat. *Græv.*

Trophæa] Ita appellantur spolia fixa in stipitibus, teste Nonio: inde etiam monumenta victoriæ erigi cœpta ex marmore saxoque, in jugis montium et editioribus locis: eadem

cum Floro scribit Strabo, lib. 4. p. 128. erectaque hæc trophæa juxta Cemmenum montem ad confluentem Isaræ et Rhodani. *Stad.* Add. Casaub. ad Strab. l. d.

Nunquam enim P. R. hostibus dom. victoriam suam exprobravit] Similis et Macedonibus moderatio, Pausania teste in Bœoticis, fine libri. Nescio quid Livius, 8, 30, 10. senserit, cum scriberet, Fabium arma Samnitium cremasse, metu, 'ne suæ gloriæ fructum dictator (Papirius) caperet, nomenque ibi scriberet:' quod equidem de trophæo intelligendum, erigentium exempla docent: iis enim nomina sua inscribere moris erat: quod deinde sub Cæsaribus factum. Tac. An. 2, 22, 1. *Freinsh.* Locus Livii forsitan accipiendus est de spoliis post triumphum in templis Deorum cum solenni Inscriptione fixis. Nam Romanos alioqui iis locis, quibus victi fuerant hostes, non solitos fuisse tropæa ponere more Græcorum, indicio est silentium Scriptorum Latinorum de ea re: quum in Græcis nihil frequentius sit, quam ut, post relatam alterius partis cladem, de victoribus dicant τρόπαιον ἔστησαν. Romulum quidem spolia Acronis ad quercum in modum tropæi truncatam suspendisse dicunt Veteres, et Flaminium Jovi aureum tropæum de torquibus Gallorum posuisse etiam Florus II. 4. 4. Sed hæc alia sunt. Nam Florus, ut recte animadvertit Rupertus, hic de tropæis ac monumentis in hostico excitatis loquitur: illa superiora autem Romæ posita fuerant. Nec satis causæ esse puto, cur ob id, quod de Romulo proditum est, Vir eruditiss. Benedictus Averanius Diss. XXIV. in Liv. scribat, falsum esse, quod hic tradidit Florus.

Cap. 3 De bello Cimbrico Epit. Liv. 67, et 68. Plut. Mario, cap. 36, &c. et Parall. cap. 20. Appian. Celtico. Val. M. 5, 8, 4. Auctor de Vir. Ill. c. 67. Plin. 7, 22. 16, 33. 17, 1. 36, 1. Frontin. 1, 3, 6. 1, 5, 3. 2, 2, 8. Eutrop. 5, 1. Oros. 5, 16. Euseb. Lib. Temp. *Cam.* Lege Vell. 2, 12. Cæs. B. G. 1. 33, et 40. 7, 77. Veget. 3, 10. fin. Val. M. 6, 9, 14. et præcipue Pontanum, princ. Hist. Danicæ, qui totam hanc historiam accuratius et copiosius ex scriptoribus probatis congessit. De Cimbrorum origine vid. Dresser. Millen. 1. p. 85. *Freinsh.*

§. 1 *Theutoni*] Horum mentionem facit Pytheas, ap. Plin. 37, 2, 21. *Idem.* Ryck. et Fran. *Teutoni:* v. §. 7.

Galliæ] *Germaniæ* legend. docet Cluver. Germ. Antiq. 1, 10. 2, 4. et 3, 22. qui hac de re copiosissime. *Galliæ* retinet et explicat B. Rhenanus, Rer. Germ. lib. 1. p. 19. f. *Idem.* *Ab extremis Galliæ profugi*] Verum est de Tigurinis, non de Cimbris, et Teutonis. Sed Florus videtur etiam Germaniam dixisse Galliam, quod antiquissimi Galliæ incolæ fuerunt Germani; sicuti Græci Celtas dixerunt Germanos et Gallos, cum proprie Hispani sint Celtæ. *Græv.* Non video, quomodo hæc ratio procedat. Si antiquissimi Germaniæ incolæ fuissent Galli, adpellatione Galliæ etiam Germania comprehendi posset. Verum quum Germanos priscis temporibus Galliam habitasse dicat Grævius, utique convenientius erat, nomine Germaniæ etiam Galliam contineri. Cimbros et Teutonos non e Gallia, sed ab extremis Germaniæ oris venisse certum est. Nec tamen ideo audiendum esse Cluverium hic emendantem *Germaniæ*, ostendit Vossius ad Vellei. II. 19. Nam veteres, quibus regiones populique ad Septemtrionem non satis cogniti erant, sæpe nomina et fines Gallorum et Germanorum confundunt, et Septemtrionales, etiam Cimbros ac Teutonos, communi nomine Celtarum, Galatarum et Gallorum adpellant. Vid. Interp. Velleii l. d. et II. 12. Lips. ad Plin. Panegyr. c. XIV. et Perizon. ad Ælian. XII. V. H. 23.

De Cimbris ac Teutonis Quintil. Decl. III. 'Ex ultimo litore Oceani, et dirempta frigoribus plaga, gens a rerum natura pæne relegata....Italiam inundavit.' Et Claud. de B. Get. in fin. 'Oceani stagnis excita supremis Cimbrica tempestas.'

Quum terras eorum inundasset Oceanus] Absurdam esse hanc rationem scribit hic Rupertus. Nam non credibile esse Cimbros tam stolidos fuisse, ut non animadvertere potuerint, æstum maris naturalem esse, et statis in dies horis recurrere, nec cuiquam nocere. Et ita judicare dicit Valesium ad Amm. Marc. XV. 9. Sed Valesius illa non disputat adversus Florum, sed alios quosdam vetustos Scriptores, qui Cimbros æstu maris perterritos patriam reliquisse tradiderant; quos a Posidonio jure reprehensos scribit Strabo Lib. VII. p. 293. Florus autem non de æstu, sed inundatione Oceani loquitur: qua etiam Ambrones, qui deinde Cimbris Teutonisque se conjunxerunt, sedibus expulsos fuisse auctor est Festus in *Ambrones*. De vetustis sedibus et erroribus Cimbrorum, antequam in Italiam iter intenderunt, Strabo l. d. et Plutarch. in Mario. Homines vagos ac prædones fuisse dicit Posidonius ap. Strab., et Plutarchus iis nomen 'Cimbrorum' datum, quod Germani latrones vocarent 'Cimbros,' quod Festus in *Cimbri* de lingua Gallicia dicit. Probabilior est sententia Scaligeri ad Fest., quia Cimbri fuerunt prædones, inde ab eorum nomine sic dictos fuisse, qui itidem tales erant.

§. 2 *Quum in Italiam remigrarent*] Eod. modo corruptum hoc verbum inf. lib. IV. emendamus; nam hic similiter *regyrarent* corrigendum: nec *remigarent* placet: vide quæ de hac voce 'regyrare' alibi dicemus: cujus ignorantia fecit, ut bis corrupte legeretur in optimo Auctore. *Salm. Remigarent*] Sic Pall. o. et v. e. Salmasius malebat, *regirarent:* posset etiam legi, *demigrarent*. Freinsh. *Quum in Italiam remigrarent*] Qui poterant remigrare in Italiam, in qua nunquam fuerant? Remigramus sive redimus in regionem, ex qua sumus ante profecti. Vitiosa hæc esse verba, quæ in omnibus leguntur tam editis quam exaratis manu, dudum deprehenderunt homines elegantes. Nec dubito quin recte restituerit hunc locum magnus Salmasius, qui scribendum censet *regyrarent*, hoc est, reflecterent iter suum ex Hispania per Galliam in Italiam. Invaserant primo Galliam, et per eam petebant Hispaniam, sed cum aditus eis in illam non pateret, convertebant iter sua vestigia relegentes, et per easdem terras, quas peragrarant, contendebant in Italiam, hoc est, regyrare per Galliam in Italiam. Idem vocabulum reposuit ὁ πάνυ in lib. IV. cap. 2. 'Postremo in Hispaniam regyravit,' hoc est, bellum iterum conversum est. Dixerat enim in Italia bellum commissum esse, deinde se in Galliam Hispaniamque deflexisse, cum subjecisset de Epiro, Thessalia, Ægypto, Asia, Africa; tandem addit 'Postremo in Hispaniam regyravit,' ubi itidem male legitur in editis plerisque *remigravit;* sed *regyravit* ex emendatione Salmasii dudum reposuit doctiss. Freinsh. Quod et Ryckianus liber firmat, in quo scribitur *Postremo in Hispaniam regiravit*. Vidit olim Lipsius quoque, cum Lugduni hunc scriptorem explicaret pro Academica Concione, legend. *regyravit*. Hæc tacitus præteriissem, nisi viros χαριεστάτους nondum a Salm. potuisse persuaderi vidissem, ut ejus subscriberent emendationi, quam eis studui reddere probabiliorem. Idem Lips. censuit alio loco, pro *remigravit*, legend. *demigravit*. Græv. Amst. receperunt *regyrarent*. Non magnopere improbo conjecturam Virorum doctiss. nec tamen

recipere debui. Et *remigrarent* mihi eodem modo videtur posse accipi, quo *regyrarent* exponit Grævius; videlicet, quum ex Hispania remigrarent in Galliam, ea mente, ut inde Italiam peterent.

In castra Silani] ‘ Mallium,’ sive ‘ Manlium,’ appellat Dionis fragment. ap. Vales. p. 633. *Freinsh.* Dio ibi agit de Cn. Manlio, qui Consul A. U. 648. cum Cæpione Procos. a Cimbris victus est. Hic est M. Junius Silanus Cos. A. U. 644.

§. 3 *Quas daret terras*] Ammianus, 25, 31. observat, ‘ nunquam, ab urbis ortu’ ad Jovian. Imp. usque, ‘ inveniri posse, annalibus replicatis, terrarum partes ullas nostrarum ab Imp. vel cos. hosti concessas :’ quem tamen arguit Casaub. ad Spartiani Hadrianum, cap. 5. Frisios quidem eod. modo terram petentes, quam jam occupaverant, ‘ Nero decedere agris jussit:’ ap. Tac. 13, 54. ubi plura in hanc rem. *Freinsh. Quas daret terras populus Romanus, agrariis legibus intra se dimicaturus?*] Jam diu ante dimicarant Romani de divisione agrorum, nimirum A. U. C. 619. duce Sempron. Graccho et A. U. C. 629. auctore C. Graccho, cum hoc bellum contra Cimbros gereretur A. U. C. 647. et sequente. Vides ergo Florum, ut sententiolam frigidam adspergeret historiæ suæ, malnisse impingere in temporum rationem. *Græv. Intra* Ryck. Regg. Voss. quod etiam in Naz. et Pall. fuisse puto: nam Salmasius ad exemplar suum, in quo est *intra*, nullam varietatem adnotaverat, Flor. III. 21. 1. ‘ Ut jam ipse intra se parricidale bellum stringeret.’ Toll. Duisb. Fran. et v. e. *inter*, quod itidem defendi potest. Pighius ad A. U. 644. scribit in vulgatis deesse *mox*, legitque *mox inter se dimicaturus*, e Cod. S. Amandi, opinor, quem sæpe laudat.

Quod nequiverant precibus] Ita Carthaginiensium milites in urbem mandant; ‘ quod precibus nequeant, armis se consecuturos.’ Justin. 18, 7, 3. ubi notata Berneccero vide: et Tac. 4, 46, 12. *Freinsh. Quod nequiverunt precibus*] Melius Ryck. *quod nequierant precibus.* Mox idem: *et tanta erat capiundæ urbis fiducia.* Græv. Nusquam inveni *nequiverunt*, quod est in Ed. Grævii et Amst. Scripti *nequiverant* et *nequierant*. Edd. omnes *nequiverant*.

§. 4 *Silanus*] Omittit ergo cladem Carbonianam, quæ prior Silaniana accidit; item Cassianam. Liv. Epit. 63. Vell. 2, 12, 2. alii. Tac. G. 37, 8. ‘ Germani, Carbone, et Cassio, et Scauro Aurelio, et Servilio Cæpione, M. quoque Manlio, fusis vel captis, quinque simul consulares exercitus pop. Rom. abstulerunt.’ Cæsar etiam B. G. 1, 7, et 12. ait: ‘ L. Cassium Cos. occisum, exercitumque ejus ab Helvetiis,’ et nominatim Tigurinis, ‘ pulsum, et sub jugum missum.’ Pugnant igitur inter se Cæsar, et Tacitus: nisi forte ideo Germanis contribuit Helvetios Tacitus, quod terram Germanam incolerent. *Fr.* Occurrit huic difficultati Pighius ad A. U. 646. Add. Davis. ad Cæs. 1. B. G. 12. Heins. pro *nec* scripserat *ne*. Vid. ad 11. 4. *Quidem* abest a Voss. 1. 3. et Edd. B. S. P. et A.

Nec secundum Manlius] *Manilius* scripti omnes. *Salm.* In prænomine quoque plurimum variant scriptores: Pighius, in A. U. C. 648. Cn. fuisse ostendit, Liv. Epit. 67, 2. ‘ Caium’ appellat. Illud certum est, sicut supra, 2, 15, 7. monuimus, ‘ Marci’ prænomen alienum hic esse; quod alterius cujusdam loci me admonet ap. Zosim. lib. 2. Histor. in pr. ubi Ludi Seculares celebrati dicuntur L. Censorino, M. Manlio Coss. cum tamen constet, eo anno, qui fuit U. C. 604. L. Marcio Censorino collegam fuisse Manilium. Vid. etiam Cæs. B. G. 3, 20. *Freinsh. Manilius* etiam plerique alii scripti et edd.

vett. *Manlius* Flor. Magl. Regg. et Voss. 3. In Fast. et Inscriptionibus est 'Cn. Mallius.' Vid. Pigh. ad A. U. 648. et Sigon. ad Liv. Epit. LXVII. Μάλλιος quoque in Excerpt. Peiresc. p. 633. Sed Græci *Manlius* plerumque scribunt Μάλλιος.

Cæpio] Quantum hoc duce cladis acceptum sit, vel inde colligi possit, quod inter nefastos ille dies habitus sit, ut patet ex Plutarch. Lucull. cap. 59. Add. Sidon. Carm. 2, 227. *Freinsh.*

§. 5 *Nisi Marius*] *Nisi M. Marius* in altero Pal. *Salm.* Sall. fine Jugurthini: 'Marius cos. absens factus est, et ei decreta provincia Gallia, &c. ex ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitæ.' Cic. pro l. Manil. cap. 20. *Freinsh.*

Non ausus congredi] Vid. Plut. Mario, cap. 22. *Id.*

Donec invicta illa rabies] Prudens consilium, quod imitaturus erat Pompeius, si licuisset, inf. 4, 2, 42. Adde supr. 2, 6, 82. *Id.*

Habent] Hoc est, non habent veram virtutem, sed illius loco rabiem istam; quod moneo, ne quis 'habere' pro, putare vel æstimare capiat, ut fieri video. *Id.* Sen. I. de Ira 11. 'Quid Cimbrorum Theutonorumque tot millia superfusa Alpibus ita sustulit...nisi quod erat illis ira pro virtute?' Et I. de Benef. 13. de Alexandro M. 'Cui pro virtute erat felix temeritas.'

§. 6 *Consulentes*] I. e. interrogantes, quærentes. Freinsh. in Ind. Suet. Aug. XVIII. 'Consultusque num et Ptolemæum inspicere vellet.' Et rursus ib. c. XCIX. 'Si quid,' pro, num quid. Liv. XXIX. 25. 'Primum ab iis quæsivit, si.' Ov. Ep. Hypsip. vs. 37. 'Iterum, si vivat Jason, Quærimus.' Cic. IX. Ep. Fam. 26. 'Quum ille, si quis quidquam quæreret, dixisset.' Val. M. I. 8. 10. ext. 'Interpellatus ab eo, si quid aut mandaret, aut dicere vellet.' Ita melius liber P. Danielis, quam alii *ecquid*, obnitente licet Vorstio. In Gell. quoque I. 19. Ms. Reg. 'Et, si reliquos eodem pretio emere vellet, Regem interrogavit:' pro vulgato, *et ecquid reliquos:* ubi aliter, quam ad Valerium Vorstius, judicat J. Fr. Gronovius, adnotans notum esse 'si' pro, an, imitatione Græcorum dici. Plura hujus generis vid. ap. Græv. ad Cic. III. Ep. Fam. 9. et Perizon. Anim. Hist. c. VII. p. 279. *Mandare aliquid alicui*, vel *ad aliquem*, sæpe est, vel literis vel nuncio misso significare et jubere nunciari. Liv. XXXI. 11. 'Hæc ad Carthaginienses mandata.' Suet. Calig. XXV. 'Adhibitum cœnæ nuptiali mandasse ad Pisonem contra accumbentem: Noli uxorem meam premere.' Just. XXIV. 2. 'Non credenti mandat, velle se cum filiis ejus regni consortium jungere.' Add. Freinsh. in Ind. et Broekh. ad Propert. III. 22. 11.

Nec segnius, quam minati fuerant] Sic Justin. 2, 3, 13. 'Nec dicta res morata.' Liv. 30, 15, 5. 'Nec locuta est ferocius, quam fecit.' Saxo Sialandicus, lib. 4. p. 55. 'Nec animosius locutum eum, quam præliatum, expertus est.' *Freinsh. Nec sequius* Voss. 1. et 3.

§. 7 *Compendiis*] Ov. III. M. 234. 'Sed per compendia montis Anticipata via est.'

Sub ipsis Alpium radicibus] Perizon. hic adscripserat: *adhuc in Gallia.* Videtur existimasse hoc non convenire cum eo, quod paullo ante dixit Florus, 'per Alpes ferebantur.' Sed 'ferebantur' ibi accipio, ut supr. I. 10. 1. 'Reducebant,' et I. 18. 12. 'Vindicaret.'

In locum, quem Aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum, prælio oppressit] Hunc etiam locum purgavit maximus virorum, Claudius Salmasius, et pridem doctis fidem fecit emendationis suæ, ut in emendatioribus edd. jam diu refulgeat. Sed nondum tamen est perpurgatus: fœdum etiam nunc

mendum ei insidet. Quis enim ferat, *Teutones in locum oppressit?* Ephebi sane norunt dicendum esse: *Teutones in loco, quem Aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum! prælio oppressit.* Et sic legend. esse præter rationem linguæ Latinæ auctor mihi est vetus Ryckianus, in quo sic legitur, omissa tamen præpositione: *Prioresque Teutonas, sub ipsis Alpium radicibus assecutus, loco, quem Aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum! prælio oppressit.* Quod et ipsum non improbandum. Sæpe enim 'loco' ponitur ellipsi pervulgata pro, in loco. Sed quoniam alii libri præpositionem retinent, non sustinui illam unius libri auctoritate delere. *Teutonas* quoque scribi vides in hoc libro pro vulgato *Teutones* aut *Teutonos*. Græv. *In loco* Flor. Berol. Duisb. Fran. et v. e. Vinetus tamen in suis, et Grut. in Pall. videntur invenisse id quod ediderunt, *in locum.* Et sic Magl. et Voss. Mihi in mentem veniebat: *sub ipsis Alpium radicibus adsecutus (locum aquas Sextias vocant) quo*...Pronomina 'is,' et 'qui' non raro omittuntur, in primis in his, quæ per parenthesin posita ad personas, vel res, de quibus sermo est, referuntur. Et ea multis locis contra libros veteres intrusa esse ostenderunt Gronovii, Pater ad Liv. I. 1. et XXXIV. 56. et Filius ad Liv. XXII. 46. Sic in Liv. XXVIII. 3. 'Ad oppugnandam opulentissimam in iis locis urbem, Oringin barbari appellabant, mittit,' itidem intrusum erat *quam*. *Teutonas* hic etiam Naz. Toll. Duisb. Fran. Voss. et edd. vett. excepta Ald. sed cum adspiratione in prima syllaba. Sed in Fast. Triumph. et Inscriptione ap. Grut. 436. 3. et Pigh. ad A. U. 652. 'Teutoni' dicuntur. Et ita hic Regg. *Theutonos* non inveni ante Ald. deinde in Vineti, Freinsh. et Grævii Edd.

Aquas Sextias] Urbem C. Sextio sitam, bello, quod superiori cap. describitur. Epit. Liv. 61. Strabo, lib. 4. p. 124. f. De hac Sidon. Carm. 23, 13. 'Phocida, Sextiasque Baias, Illustres titulisque præliisque Urbes, per duo consulum tropæa: Nam Martem tulit ista Julianum, Et Bruto duce, nauticum furorem: Ast hæc, Teutonicas cruenta pugnas, Erectum et Marium, cadente Cimbro.' *Freinsh.*

Qua fide numinum, prælio oppressit] Hic locus et varie vexatus a doctis, et varie ipsos vexavit: me non multum, si verum licet dicere, exercuit: optimus liber, *quasi de numinum prælio*: mendosissime: sed ne nugas agam, aut frustra tempus teram, legend. aio, *quo, fidem numinum! prælio oppressit? qua* corruptum pro *quo*, ut libro quarto, *qua posset ascendere;* ubi reposuimus, *quo posset ascendere:* et contra *a* in *o* degeneraverat, ut *ingenio* pro *ingenia:* locum hunc tetigimus, notis in librum primum, in quo simile vitium inhæserat: *fide numinum*, pro *fidem numinum* itaque vide quæ ibi scripsimus. *Salm. Quo, fidem numinum, prælio*] Salmasii correctio ista, quam in textum recipere cunctatus non sum, ob evidentiam, sicut et supra 1, 11, 15. fecimus: alii aliter, ut in variis retulimus. *Freinsh.* In aliis omnibus scriptis et v. edd. est, *qua fide numinum prælio oppressit.*

§. 8 *Errorem in consilium verterit*] Liv. 28. 44, 14. 'Oblata casu flectenda ad consilium.' Vid. inf. 4, 2, 84. *Freinsh.* Doctiss. Wass. ad Sall. Jug. XCIX. mavult *error*. Non dubium est, quin sæpe ita loquantur veteres. Congeriem exemplorum vid. ap. Manut. ad Sall. Catil. VI. Riv. ibid. LII. et Wass. LVI. Add. Heius. ad Claud. I. in Eutrop. 251. et II. de Cons. Stilic. 118. Sed hic nihil mutandum puto. Utrumque verbum 'egerit,' et 'verterit' pendet a nominativo 'Imperator.' Et ita frequenter alii. Tac. II. A. LI. quem locum ipse Wass. laudat: 'Pergerent, properarent culpam in decus vertere.' Idem I. A. XXVIII. 'Quæ casus obtulerat in sa-

pientiam vertenda ratus.' Et Agr. XXXVII. 'Ita consilium Britannorum in ipsos versum.' Phædr. I. F. ult. 'Consilium raptor vertit ad fallaciam.' Justin. II. 13. 'Timens ne interclusi hostes desperationem in consilium verterent.' Add. Vorst. ad Justin. III. 3.

Necessitate aucta virtus] Vid. quæ notamus supr. 2, 18, 13. *Freinsh.*

§. 9 *Viri, inquit, estis*] Si per alios liceret, interrogationis notam istis apponerem, hoc modo: *Viri, inquit, estis?* Grut. Add. Frontin. 2, 7, 12. *Freinsh.* Gruter. malebat, *viri, inquit, estis?* Sed N. Heins. *si viri, inquit, estis.* Liv. II. c. 38. 'Bellum nobis indictum est magno illorum malo, si viri estis.' XXV. 18. 'Si vir esset, congrederetur.' I. c. 41. 'Tuum est, Servi, si vir es, regnum,' quod Naso F. VI. in eadem historia respexit: 'Si vir es, i, dictas exige dotis opes.' Ubi male circumfertur *indictas.* Idem. Liv. I. 58. 'Sextus Tarquinius mihi sibique, si vos viri estis, pestiferam attulit vim.' Sic et alii frequenter. *Græv.* Add. Pric. ad Apul. II. M. p. 32.

§. 10 *Theutobochus*] Sine aspiratione in vett. *Teutobocus.* Salm. Anno Chr. 1612. monstrabantur ossa quædam portentosæ magnitudinis, quæ Teutobochi hujus vulgo credebantur, donec doctorum hominum scriptis error iste detegeretur. *Mercurius Gallicus.* Vide Scalig. in Euseb. p. 138. p. 1. Item Gassend. in Vita Peirescii, p. 250. *Freinsh.* Duisb. Voss. 1. 2. et v. e. *Teutobocus.* Ryck. quoque et Fran. sine adspiratione: sed ille *Teutolocus,* hic *Tendobocus.* In Eutropii libris v. 1. *Teutobodus* et *Teutomodus.* Oros. v. 16. 'Teutobodus.' Sic etiam scribit Freinshemius in supplem. Liv. LXVIII. et muneris potius, quam hominis nomen fuisse, nec quidquam aliud quam Teutonorum Imperatorem significare putat. Plura de eo Rupert. ad h. l.

Quaternos senosque equos transilire] Luculentam hujus loci explicationem pete ex Salm. ad Vopisci Carinum, cap. 19. p. 505, et seq. Vid. Liv. 23. 29, 5. *Freinsh.* Liv. ibi de Numidis equitibus: 'Quibus desultorum in morem binos trahentibus equos inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat.' Add. Lips. de Mil. Rom. III. 8.

Proceritatis eximiæ] Vide Pontan. lib. 1. Hist. Danicæ, p. 55. *Freinsh.*

Super trophæa ipsa eminebat] *Super trophæa sua,* ex fide Nazariani et alterius Palatini rescribe. *Trophæa sua,* eleganter, quæ de ipso victo et suis spoliis instructa erant: minus recte et concinne *ipsa* vulgo editum est. *Salm.* *Super tropæa sua eminebat*] Sic reposui ex Ryck. et aliis codd. quos et Salmasius sequi præcepit, quem vide. Fuisse autem hunc Theutobochum altum pedes decem duodecimve Gallicos vulgares, cujusmodi fuerint tropæa, quæ in triumphis circumferebantur, erudite docuit Nobiliss. Peirescius: vide vitam ejus a Gassendo descriptam lib. II. ubi refellit impostorum nugas, qui disseminarant non longe a Confluente Rhodani et Isaræ sepulchrum lateritium inventum fuisse, triginta longum pedes, latum duodecim, altum octo, cui impositus fuerit lapis cum titulo THEUTOBOCHUS REX, in quo cadaver humanum inventum sit longum pedes viginti quinque cum semisse, latum ad scapulas decem. Sed quæ de inscriptione et sepulchro jactent, mendacia esse; ossa vero non hominis fuisse, sed elephanti, ostendit Peirescius: vide Vitæ ejus librum III, ad ann. 1613. *Græv.* *Ipsa* nusquam est, nisi in Edd. post primam.

§. 11 *Per hyemem, quæ altius Alpes levat*] Inf. 3, 10, 22. 'Hyeme creverant Alpes.' *Freinsh.* Id verissimum. Nam nix nivi offunditur, quam in saxum verti scribunt. Inde Panegy-

rista, 'nivium densitatem duriorem saxis' dicit. *Græv.*

Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruina descenderant] Plutarchus ad verbum in ead. Hist. Εἶτα ἀφέντες αὐτοὺς κατὰ κρημνῶν, ὀλισθήματα καὶ λισσάδας ἀχανεῖς ἐχόντων. Perperam in meo libro, ut hoc obiter moneam, scribitur, καὶ λυσσάδας, et in uno aut altero ejusdem Plutarchi locis, λυσσάδες vitiose legitur: sed puto emendatum in recentioribus editionibus: verum nescimus tamen: nam eas ad manum non habemus. *Salm.* Plut. Mario cap. 36. Cimbri 'per glaciem altamque nivem ad juga Alpium contenderunt. Inde subjicientes corporibus lata scuta, ex summo se confragosarum rupium, in immensum abruptarum, fastigio demiserunt.' Sen. de Ira, 3, 3, 1. 'Barbari, qua dolor traxit, ruinæ modo regionibus incidunt.' Cf. Liv. 44, 5, 4. ubi de Elephantis, et vers. 6. de ipsis militibus. *Freinsh.*

§. 12 *Atesim flumen non ponte*] *Ad hostesim flumen*, quod nobis exhibet Naz. scriptura, non facile inveni quid esset. *Atisonem*, vel *Natisonem* transposititie posset esse, qui fluvius in illis tractibus reperitur: Plutarchus sane 'Atisonem' nominat, cum eandem rem tractat: at qui putant, 'Atesim,' et 'Atisonem,' eundem esse, falluntur. Plutarchus Ἀτισῶνα vocat, Ptolemæus Νατισῶνα. Sed redeamus ad veterem scripturam nostram: *hostesim* pro *Atesim* mendose exaratum: *o* loco *a*, deinde aspiratio: *s* pro *t*, aliquando simul posita: itaque *hostesim* est *Atesim:* sed quid faciemus illo *ad?* sic censeo: *ad flumen adgredi*, ἀρχαϊσμὸς, ut 'ad aliquem adire,' et similia: videndus Gellius. 'Adgredi' igitur 'ad Atesim flumen,' proba et antiqua loquutio est, quales multas in hoc Auctore restituimus: aliud dicimus: *ad* pro *ac* videri posset corruptum: libro quarto, 'Imasque valles earum, ad quasi claustra quædam custodiebant,' ibi docemus legendum, *ac quasi claustra quædam:* idem accidere potuit hoc loco: videamus igitur, num ita legi et distingui debeant: *Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruina descenderant, ac Atesim flumen non ponte, nec navibus, &c.* et hanc in partem inclinamus magis. *Salm.* Salm. ex scriptura membranarum effingit *ad Atesim* ἀρχαϊκῶς, aut *ac Atesim.* Idem autem etiam *Atisonem* hic legendum putat, quam opinionem tuetur quoque Merula Cosmog. 2, 4, 11. *Freinsh.* E vestigiis Nazariani N. Heinsius putat scribendum *in Italiam provoluti veluti ruina descenderant ad Athesin: flumen non ponte, nec navibus, sed quadam stoliditate barbarica primum corporibus aggressi. Postquam.....*Dictys Cret. lib. II. 'Cum super alium alius ruinæ modo præcipitarentur.' Id. lib. III. 'Effusi ruinæ modo clamorem tollunt:' lib. VI. 'Clamore ingenti ruinæ in modum erumpunt.' Curt. III, 11. 'Tum vero similis ruinæ strages erat.' *Græv. Ad hostes in flumen* etiam Pal. 1. Duisb. Fran. et v. e. Tollius e suis nihil monuerat. Mihi verosimile videtur, quum in prima syllaba vocis *Athesim ad* scriptum fuisset pro *at*, ut sæpe solet, *hes* pro compendio τοῦ *hostes* acceptum, atque inde *ad hostes in* natum fuisse, pro *Athesin*, vel *Athesim.* Nam Pal. 2. Regg. et Voss. 1. 2. habent, *at hostes in flumen.* Amstelodamenses e conjectura Heinsii ediderunt *descenderant ad Atesim. Flumen....*Ego retinendam putavi scripturam vulgatam, quam habent Ryck. et aliæ Edd. vett. a quibus non multum abit Voss. 3. in quo est *Thesim fl.* Sed ex iisdem *Athesim* scripsi cum adspiratione, ut in Virg. IX. Æn. 680. Sil. VIII. 597. et Epit. Liv. LXVIII. cujus vestigia sunt in corrupta scriptura librorum vett.

Quadam stoliditate barbarica] Idem fere Germanis adfingit Ælian. V. H.

12, 23. sed libet tamen potius adscribere imperitiæ; quod nimirum putarent, flumina Italiæ suis similia: ita sane eosdem excusat Herodian. 8, 4. qui consulatur. *Grut.* Hæc inepte Florus, quasi nulla nunquam vidissent flumina Cimbri. Si fecerunt, imperitia potius fecerunt, quam stultitia, quia crediderunt Italiæ fluvios suis esse similes, uti ap. Herodian. qui lib. VIII. narrat, cum neque ponte neque navigiis transire exercitus potuisset, substitisse incertum consilii; Germanos vero aliquot ignaros quam rapido abruptoque impetu Italiæ flumina deferantur, credidisse sensim eos influere campos, quemadmodum et apud ipsos soleant, unde etiam, quia minimum se concitent, perfacile congelescant, ausos se equosque natandi peritos alveo credere, vi fluminis ablatos periisse. Quam vero Celtæ contemnant mortem vide ap. Ælian. V. H. XII, 23. *Græv.*

Ingesta obrutum silva] Quemadmodum flumina, quæ majora sunt, transeantur, docet Vegetius, 3, 7. et ad eum Stewechius. *Freinsh.* Naz. geminato *s transsiluere*, et paullo ante *transsilire*. Regg. Toll. Duisb. et v. e. *transiliere:* vid. inf. 6. 6. et cl. Cannegiet. ad Avian. XXV. 6.

§. 13 *Discrimen esset*] Pro, fuisset: ut inf. III. 21. 12. 'Nisi naturam suam sævitia corrumperet,' et III. 23. 2. 'Si tamen posset.' Plura hujus generis vid. ap. Gron. ad Liv. XXXIV. 11. et Perizon. ad Sanct. Min. I. 13. 5. Mox *petissent* Naz. Ryck. Toll. Duisb. Fran. et o e. v.

Ipsa soli cœlique clementia] Vide omnino Gruterum, ad Tac. discursu 38. Add. supr. 2, 6, 22. Et in hac historia Dionis excerptum ap. Vales. p. 634. *Freinsh.* Lucan. VIII. 366. 'Emollit gentes clementia cœli.'

Panis usu] Non intelligo, quid hoc sit. Nam etiamsi iis in patria, et aliquanto post, ignotus fuisset usus panis; tamen illum saltem in Gallia et Hispania, quarum incolas pane usos fuisse non dubito, potuisseut discere. Nec usu panis vires animi corporisque enervari a quoquam proditum scio. Dio in Excerpt. Peiresc. p. 635. scribit, eos ante sub dio agere, frigida lavari, et crudis carnibus vesci solitos; in Italia autem sub tectis agitasse, et balneis calidis, condimentisque et scitamentis illius regionis uti cœpisse, et vino præter morem indulsisse, iisque rebus omne animorum et corporum eorum robur elanguisse. Et Oros. V. 16. rigidum genus in Italia blandioribus auris, poculis, cibis, ac lavacris emollitum fuisse. Si Florus 'panem' vocat, quæ Dio καρυκείας et ἡδύσματα, plane improprie et obscure loquitur. Sed fortassis aliquid de 'balneis' dicere voluit, quibus etiam Annibalis exercitus robur fractum fuisse tradiderunt veteres. *Ad hæc* Flor. Berol. Duisb. vid. II. 8. 3.

§. 14 *Jam diem pugnæ a nostro Imperatore*] Ante hæc verba deesse aliquid, si qui antea non adverterunt, nunc cogentur saltem fateri: statim post 'aggressus est,' sequitur in illo laudatissimo et inculpatissimo libro, *venere illi quam et in barbaris multa vestigia, diem pugnæ a nostro Imperatore petierunt:* quæ scribæ imperiti, ut corruptissima, absciudere maluerunt, quam infelices conatus in corrigendo prodere. Verum quid ex illis, quæ posuimus, possit elici, parum me scire, ingenue fateor: nec enim ausim dicere, me ipsa verba Flori ponere, si ita legam: *venere illi: quam metus in barbaris nulla vestigia! diem pugnæ ab Imperatore nostro petierunt:* non, inquam, ausim affirmare, αὐτοτελῶς sic scripsisse Florum; puto tamen, ab ea sententia, quam olim reliquit, hac lectione me minimum abesse. *Salm.* Eodem modo, quo Salmasius, sed sine ulla illius mentione, hunc locum constituit Tollius ad Auson. IX. Ep. 24. ac præterea pro *sic*

legit *hic*, quod etiam Perizonius conjecerat.

Et sic proxinum dedit] Plutarchus, τὴν ἀπ' ἐκείνης τρίτην. *Salm.* 'Dare diem' est, constituere. Plutarch. de hac re in Mario, ἔθεντο, *constituerunt.* Liv. XXXIII. 13. 'Tempe (is datus erat locus colloquio) venit.' Gronovius ibi mavult *dictus*, ut sæpe alibi. Mihi nihil mutand. videtur. Cic. XI. Phil. 10. 'Ante provinciam sibi decretam audiet, quam potuerit tempus ei rei datum suspicari.' Et ap. eumd. I. ad Att. 10. 'Tulliola tibi diem dat;' Grævius exponit, constituit. Pacuvius ap. Non. v. *Diem:* 'Gnatam despondit, nuptiis hanc dat diem.' C. Nep. Pelop. II. 'A quo et tempus et dies erat datus.' Oros. v. 16. 'Die ad pugnam et campo dato.' Paulus l. 12. D. de Usur. 'Si die data usuræ non solverentur.'

Campo, quem Raudium vocant] 'Raudium' quidem 'campum' Plutarch. non nominat, sed tantum χώραν τε καὶ πεδίον τὸ περὶ Βερκέλλας. Alter Pal. *Kandium* legit, cui non assentior. Mox non *procurrere*, sed *concurrere*, optimi habent libri; et melius: nam *procurrere* nescio an legerim pro *concurrere.* Salm. Magna varietas in hujus campi nomine. Pighius, in Hercule Prodicio, p. 291. *Raudium* retinendum censet; 'raudos' enim locos antiqua voce vocari rudes et asperos, quales isti campi. Merula, Cosmog. 2, 4, 7. in fin., *Caudium* legit, quod hodieque, campus quidam iis locis 'Caudia' dicatur: sed quis in re tam incerta certi quid pronuntiet? *Freinsh.* In Pal. 2. supra *K* scriptum erat *R. Raudium* habent libri Vincti et alii. Duisb. Fran. et v. e. levi errore *Randium:* et Voss. 3. *Radium:* in aliis scriptis recte *Raudium.* Vid. Interpp. Velleii ad II. 12. et Cellar. Geogr. Ant. II. 9. qui circa Vercellas, non ad Veronam et Athesim, fuisse e Plutarcho docet contra Schottum ad Aur. Vict. c. LXVII.

Procurrere] Ita Pall. o. et I. q. al. *concurrere.* Freinsh. 'Procurrere' pro, confligere nusquam leges. Sed 'concurrere' in hac notione frequens est et tritum. Et sic Ryckianus et optimi quique, ut pridem notavit Salm. *Græv.* Quod de scriptura Pall. dicit Freinsh. non scio unde acceperit. Nam Salm. in exemplari suo adnotarat in Naz. et Pall. esse *concurrere*, quod de iisdem testatur Gruterus. Et hoc est in Toll. Duisb. Fran. Regg. Voss. 1. 2. v. e. et aliis libris vett. ap. Sigon. ad Liv. Epit. LXVIII. *Procurrere* habet solus Voss. 3. N. Heinsius tamen ad Sil. VII. 566. hoc loco *procurrere* defendit e multis Scriptoribus, et Salmasium e membranis pessime dicit emendare *concurrere.* Verum est *procurrere* etiam dici de præliantibus. Cæs. III. B. C. XCI. Crastinus 'primus ex dextro cornu procurrit.' Et ib. XCIII. 'Sed nostri milites dato signo quum infestis pilis procucurrissent.' Item 'Equites a sinistro cornu Pompeii universi procucurrerunt.' Flor. I. 18. 'Nisi elephanti conversi in spectaculum belli procurrissent.' Et sic alii ap. Heins. l. d. Sed in his omnibus fere alia ratione dicitur 'procurrere;' nimirum de impetu, qui, acie instructa ac directa, ab uno, paucisque, vel parte exercitus in aciem adversam fit: non simpliciter pro, pugnare, sive confligere; quod hic locus postulat. Sic Flor. III. 21. 1. 'Et in urbe media ac foro cives cum civibus suis gladiatorio more concurrerent.' Ib. n. 19. 'Primum apud Capuam sub amne Vulturno signa concurrunt:' IV. 2. 74. 'Nusquam atrocius, nec tam ancipiti Marte concursum est.' Et infinitis locis ap. alios, in quibus *procurrere* et *concurrere* permutari non possunt. Plane nulla ratio est, cur hic a scriptis discedamus.

Millia inde ad sexaginta] Male hæc adfecta sunt: quæ nemo adhuc sanare quitus est. Prava non minus

distinctione laborant, quam prava lectione: utrumque, puto, corrigemus: 'hinc,' 'inde,' perperam intellecta. 'Inde,' est ex parte Barbarorum; 'hinc,' ex parte Romanorum: non aliter loqui solet Annæus: sexaginta millia ex Barbaris ceciderunt in ipso conflictu, ex Romanis vix trecenti: locus sic debet castigari: *Inde sexaginta millia ceciderunt. Hinc trecentis minus: per omnem diem conciditur Barbarus.* Plutarchi rationes huic numero conveniunt: qui scripsit, Barbarorum sex myriadas in ardore prælii absumptas: quæ, ut nemo nescit, efficiunt sexaginta millia; sed immaniorem longe numerum eorum fuisse, qui interfecti sunt finito prælio, hinc et inde variis locis dispersi. Ideo etiam Florus dicit, *per omnem diem conciditur barbarus:* hoc est, post prælium usque ad noctem, quo spatio temporis infinita barbarorum multitudo cæsa est. Quod autem, pro *tertio, trecentis* scripsimus, hoc recte fecimus; error enim ex notis numerorum natus. *Hinc III. minus,* pro *Hinc CCC. minus.* Salm. *Hinc trecentis minus*] Recepi lectionem Pal. 3. et v. e. quam Salmasius sequitur: præsertim cum absurda sit aliarum lectionum sententia, hæc bona imprimis et vera: idem enim Eutrop. 5. 3. prodidit: 'Romani milites ex utroque exercitu trecenti periere:' quamvis in reliquo numero discrepent Auctores, quos tamen optime conciliat Nostro Salmasius, eum numerum prælio cæsorum esse, quod supersit, comprehendi Floro verbis seqq. *per totum diem conciditur Barbarus.* Ex Cimbrorum ossibus sepes tum esse factas a Massiliensibus ad vinearum suarum custodiam, scribit Nicetas fin. lib. 1. de Manuele Comneno. *Fr.* Potuissem delere *ad* auctoritate Naz. Pall. omniumque aliorum scriptorum, et v. e. nisi id in libris suis fuisse testaretur Vinetus. In iisdem erat *tertio minus,* ut et in Naz. Pall. Ryck. Fran. Voss. 1. 2. et libro Sigonii ad Epit. Liv. LXVIII. Sed Pal. 2. super *tertio* adpictum habebat *CCC.* Duisb. et v. e. *trecenti minus,* i. e. minus quam trecenti, ut adscripserat Perizonius. Tollius e suis nihil adnotaverat ad Ed. Grævii, in qua, ut et in Freinshemianis, est *trecentis.* Et sic quoque Regg. et Voss. 3.

Per omnem diem] 'Vincentium ira virtusque desæviit.' Marcellin. 17, 30. *Fr.* Uterque Pal. Toll. Duisb. Fran. et v. e. *per totum diem.* Parum interest. Vid. Serv. ad. Virg. I. Æn. 185. et IV. 122.

§. 15 *Istic quoque*] Salmasius in suis videtur invenisse *isti,* nam nullam varietatem adnotaverat in exemplari suo, in quo ita legitur.

Artem Cannarum] De qua supr. 2, 6, 16. Frontin. 2, 2, 7, et 8. Nonnulla autem huc facientia lege ap. Grut. in Tac. Discursu 13, §. 6. *Freinsh.*

Inopinatus] Apertius hoc exponit Oros. v. 16. Marium, Gallis minime putantibus, in nebula matutina instruxisse aciem, atque ita inopinantibus occurrisse. Regg. Toll. Duisb. Fran. et o. e. *in oculos oraque.*

§. 16 *Nec minor cum uxoribus eorum pugna*] Feminæ Germanorum antiquitus adsuetæ aciebus et pugnis, in quas viros patrio more comitabantur, Tac. G. cap. 7. ut ita mirum non fuerit, audacius restitisse, præterea rabie et desperatione armatas. Quin et inter viros præliis se miscuisse leguntur variarum nationum feminæ; quod de Romanis tamen me legere non memini; nam quod tit. Cod. de Uxor. milit. huc trahunt JCti quidam, non de talibus viraginibus, quæ et ipsæ pugnare, et cum Ariostiana illa Marfisa dicere possint: *Sò scudo et lancia adoperare anch'io:* sed quæ vergente disciplina maritos suos, ut hodiernis bellis solet, sequebantur. *Fr.*

Objectis undique plaustris atque carpentis] Germanorum aliorumque more, quem vide ap. Cæsar. B. G. Veget.

3, 10. 'Omnes barbari, carris suis in orbem connexis ad similitudinem castrorum, securas a supervenientibus noctes exigunt.' Id genus munimenti appellabant carraginem. Ammian. 31, 20. *Idem.* De Germanis et Gallis hoc narrat Cæs. I. B. G. 26. et 51. de aliis barbaris Trebell. Poll. Gall. XIII. et Vopisc. Aurel. XI. Vid. Casaub. ad Trebell. l. d. Lindebrog. ad Amm. Marcel. XXXI. 7. et Heins. ad Claud. IV. Cons. Honor. 466.

Altæ desuper quasi e turribus] N. Heins. mavult, *elatæ desuper quasi e turribus.* Græv. Diphthongum in *altæ* habent Magl. Ed. Junt. Vinet. Stad. et Grut. ad quam Salmasius nihil adscripsit e Pall. Ceteri scripti et edd. vett. *alte.* Sed in iis ubique fere est *e* pro *æ*: *altæ* Tollius hic confirmabat e Virg. XII. Æn. 294. 'Teloque orantem multa trabali Desuper altus equo graviter ferit.'

§. 17 *Nam cum missa*] Præter citatos in h. cap. lege Val. Max. 6. 1. in fin. *Cam.* Non cupiebant privatum aliquod, nec aliis sacerdotibus commune, collegium componere, ut hic putat Anna Fabri: sed petebant a Mario, ut donarentur Vestalibus. Val. M. l. d.

Elisisque] Freinshem. in Ind. exponit, enectis. Florus conjungit duo synonyma, ut sæpe: nam 'elidere' hic est, premendo comprimere, et constringere. Virg. VIII. Æ. 288. 'Ut prima novercæ Monstra manu geminosque premens eliserit angues.' Sic 'elidere collum,' 'fauces,' 'guttura,' de quibus Heins. ad Ov. IV. F. 371. et Bentl. ad Horat. III. Carm. 27. 60. et 'oblidere,' Heins. ad Ov. XIV. M. 208.

Vinculo e crinibus] De hoc nihil habent Plutarch. et Orosius, qui funibus se suspendisse dicunt. Et quomodo in tanta copia plaustrorum ac jumentorum funes iis deesse poterant, ut e crinibus vincula facere cogerentur? Addit Plutarch. quum arbores non sufficerent, viros colla cornibus boum adligasse, atque ita raptatos periisse. Hoc est, puto, quod de jugis plaustrorum hic nobis narrat Florus.

§. 18 *Beleus rex*] Corrupte *Beleus*: optimæ membranæ, *Bœleris*: verius esset *Bœoris*, vel *Bœorix*. Nam ita Plutarcho vocatur hic rex Barbarus, in Mario: Βοιῶριξ δὲ ὁ τῶν Κιμβρῶν βασιλεὺς ὀλιγοστὸς προσιππεύσας τῷ στρατοπέδῳ, προὐκαλεῖτο τὸν Μάριον ἡμέραν ὁρίσαντα καὶ τόπον, &c. quid, si in Plutarcho Βοιλῆριξ legimus? habebimus nostrum *Bœleris*; nam *Bœleris* pro *Bœlerix*: sic inf. cap. X. *Vercingetoris* scripti libri pro *Vercingetorix*: sed ineptum est disputare de his nominibus barbaricis, quæ aliter atque aliter ap. alios atque alios enuntiantur. *Salm. Boiorix*] Secutus sum judicium summi Viri Gruteri, nixum auctoritate Plutarch. Mario cap. 40. Eutropii 5, 3. Oros. 5, 16. addo etiam Livii Epit. 67. nam quod ibi scribitur *a Bolo rege*, nullus dubito corruptum esse, et legend. *a Boiorige.* Est alius hoc nomine ap. Liv. lib. 34. c. 46. Simile mendum est in Adonis Chronico sub anno 4754. ibi enim pro *Orgetorix* male scriptum est *Orgeta rex.* Sic in Itiner. Antonini *Boloderum* est pro *Boioduro.* Fr. Ryck. *Beleris rex.* Hujus loci restitutio debetur Grutero, qui primus ex vestigiis veterum librorum et Plutarcho verum Regi huic nomen restituit, cum male legeretur hic *Beleus Rex.* Mox id. cod. perinde ut Naz. *quasi in subsidio Noricos insederat tumulos.* Græv. Freinshemii emendationem Epit. Liv. probat ibi Gronov. Nec Plutarchus est emendandus e Floro, sed hic ex illo.

Nec inultus] Liv. de Siccio, 3, 43, 4. 'Haud inultum interfecere.' Magnum id morientis solamen, inultum non mori; hinc illæ adhortationes, miserationes, querelæ, &c. Virg. Æ. 2,670. 'Nunquam omnes hodie moriemur inulti.' Ov. M. 9, 131. 'Ne-

que enim moriemur inulti.' Liv. 25, 16, 15. 'Id referre, utrum præsenti torpore pecorum modo inulti trucidentur.' Curt. 5, 3, 19. 'Miserrimum fortibus viris erat, quod inulti ferarum ritu, velut in fovea deprehensi, cæderentur.' Virg. iterum, Æn. 4. 659. 'Moriemur inultæ?' Veget. 1, 21. 'Considentes sine castris more animalium inulti cadunt.' (Sic emendavit Stewechius: optime.) Marcellin. 14, 6. de Isauris: 'Nec exertare lacertos, nec crispare permissi tela, quæ vehunt bina vel terna, pecorum ritu inertium trucidantur.' Affectum hunc se ulciscendi expressit graphice in persona Tydei Statius. *Fr.*

Quasi subsidio Noricos insederat] Nazarii schedæ, *quasi in subsidio:* quid, si *in subsidium?* Salm. Cum Naz. consentiunt duo Pall. unus Vineti, aliique o. s. et e. Probo sententiam Salmasii. Voss. 1. et 2. *insiderat.*

In diversa lapsi] Vinet. monet, notandum esse: 'tertia manus in diversa lapsi evanuit.' Credo voluisse significare, usitatius dici, evanuerunt. Nam ita plerumque veteres, præcedente collectivo, et sequente masculino plurali. Liv. XXIII. 44. 'Itaque, quamquam utraque pars avidi certaminis erant, eo die tenuerunt sese tamen munimentis.' Id. XXVI. 18. 'Mœsta itaque civitas prope inops consilii comitiorum die tamen in campum descendit, atque in Magistratus versi circumspectant ora principum.' Ib. 21. 'Exercitus Rom. iratus, partim quod cum Imperatore non devectus ex provincia esset, partim quod in oppidis hibernare vetiti erant, segni fungebantur militia:' et 35. 'Hæc ingens turba circumfusi fremebant.' *In diversa labi* sic quoque dicit Justin. XXXVIII. 8. 6. 'Populus in diversa labitur, patriamque metu mortis exul relinquit.' Hoc Liv. et C. Nepos fere uno verbo 'dilabi' dicunt.

§. 19 *Ut solebat*] Atqui non tam insolens erat, si Floro aliisque credimus, victoriam Romæ a Diis nunciari. Vid. supr. II. 12. 14. et ibi Freinsh. Mihi frigere videntur hæc verba.

§. 20 *Eodem die*] Justin. 20, 3, 9. de prælio ad Sagram: 'Eadem die, qua in Italia pugnatum est, et Corintho, et Athenis, et Lacedæmone, nuntiata est victoria.' Vide supr. 2, 12, 14. Sed et arte juvari potest adeo famæ celeritas, ut miraculo similis sit, exempli ergo, per continuos cursores, quam rem Cyrus primum instituisse legitur ap. Xenoph. lib. 8. p. 232. clamore ab aliis excepto, sicut Galli, Cæsar B. G. 7, 3. avibus, Plinius, 10, 24. quod hodieque non insolens nec inauditum est: aliisque multis modis. Inprimis autem fidem excedit, quod Herodoto, et Cleomedi, in libro de Contemplatione Orbium Cœlestium, memoratur, Xerxem, cum in Græcia bellum gereret, a Susis Athenas usque dispositas habuisse stationes, per quas excepta voce, aliisque tradita, quadraginta octo horarum spatio in Persia sciri potuerit, quid in Græcia Xerxes gereret. Alterius cujusdam modi, per faces incensas, meminit Apulei. de Mundo, p. 70. Ad quem locum adscriptam ab Elmenhorstio Casauboni Epist. leg. Adde similia ap. Agostino de Carate, in Hist. del Peru 2, 6. Item Cron. del Peru 2, 1, 14. de Barros, p. 78. b. Appian. Bel. Hisp. p. 307. f. Ælian. H. V. 9, 2, 2. Zonar. in Michaële Theophili F. Pausan. p. 130, 40. *Fr.* Add. et alia ap. Rupert. ad h. l. Fuit autem dies III. Kalend. Sextil. Plut. in Mario.

Pro æde Castoris et Pollucis] Veteres, *Pollucis et Castoris*, omnes retinent. *Salm.* In Voss. est vulgatus ordo: in ceteris scriptis et v. e. idem, qui in libris Salmasii.

Laureati] Divinabam aliquando *laureatas:* sed nunc non pertendo, cum non juvent Mss. ita tamen concinniorem esse periodi sonum, neque a more Romano abiri, omnes vident. *Grut.* Prætorem intellige urbanum. Is enim

interdum κατ' ἐξοχὴν *Prætor* dicitur, ut ap. Liv. XXVII. 11. 'C. Hostilius Prætor;' et absentibus Coss. consulare munus sustinebat more majorum, Cic. x. Fam. 12. Itaque ad eum etiam literæ publice scriptæ deferebantur. Liv. XXVII. 5. XXXIII. 21. et Plutarch. in Fabio. Aberat autem tum ab Urbe etiam alter Cos. M' Aquilius in Sicilia, ubi bellum adversus servos gerebat.

Victoriæ Cimbricæ feliciter] Distinxerim; *victoriæ Cimbricæ feliciter*, ut videlicet tria ista verba in theatro sonuerint. *Grut.* Ita certe ap. Suet. Claud. cap. 7. 'Feliciter patruo imperatoris, feliciter Germanici fratri,' et Domitian. cap. 13. 'Domino et dominæ feliciter:' quapropter ita distinxi, ut Grut. voluit. *Fr.* Hæc ead. distinctione leguntur in Lips. II. Elect. 10. Potius conjunxerim *rumor victoriæ Cimbricæ*, quemadmodum ap. Briss. VIII. Form. p. 719. ut *victoriæ* sit casus secundus. Nam hoc dicit Florus, quamquam aliquanto insolentiore genere loquendi, vulgato per spectaculum rumore victoriæ Cimbricæ spectatores frequentes adclamasse *Feliciter:* qua formula etiam absolute nullo addito casu utebantur: vid. ad Phædr. v. Fab. 1. 'Feliciter subclamant.' Nec loca Suetonii multum juvant Gruterum et Freinsh. Nam in his, et ap. Petron. Cap. L. et LX. adclamationi huic additur dativus personæ, quod est optantium ut ei feliciter eveniat, quod agit, vel quod ei accidit: qua ratione recte quidem dici potest, 'Feliciter populo Romano,' vel 'Reipublicæ;' non item 'Feliciter victoriæ Cimbricæ.' Idem Scheffero visum fuit.

§. 21 *Quidque insignius*] *Quid insignius*, iidem. *Salm.* *Que* ignorant etiam alii libri, et edd. V. B. et J.

Elata montibus suis Roma] Sic Cic. 'Mihi ipsa Roma, prope sedibus suis convulsa, obviam procedere visa est.' In Pison. cap. 22. Sic D. Hieron. Epist. ad Lætam: 'Movetur urbs sedibus suis, et inundans populus ante delubra semiruta, currit ad martyrum tumulos.' *Fr.*

In gladiatorio munere] Respicit ad studia spectatorum in muneribus gladiatoriis, in quibus alii alii generi gladiatorum favebant, et vincentibus his, quorum studium præ se ferebant, adplaudebant. Vid. Lips. II. Saturn. 24.

Cum in acie Cimbri succumberent] Præfero Ryck. cod. in quo scribitur, *cum in acie Cimbri occumberent.* Græv. Sic quoque Voss. 3. et vett. edd. quæ post primam prodierunt, nec non Camertis et Stadii. Retineo *succumberent*, quod est in aliis scriptis, et v. e. ut de gladiatoribus Suet. Calig. XXX. 'Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant.'

CAP. 4. Hujus belli meminerunt, Epit. Liv. 63. Eutrop. [4, 33, 75, 12, et] 6, 3. notanter. Plura Sex. Ruffus, de Reg. Potest. Meminit Euseb. Lib. Temp. Aliqua Appianus in Illyrico. *Cam.* *Bellum Thracum* Naz. *de bello Traco* Pall.

§. 1 *Si Diis placet*] Vetustæ edd. etiam nostra, *sic Diis;* sed male: quamvis sic quoque Pal. 3. stant enim duo alii a nostra, quam et tuetur ipsa ratio. *Grut.* Indignantis enim hæc vox est, et aspernantis. Appius ap. Liv. 6, 40, 6. 'Perpetuos, si Diis placet, tribunos.' Ap. eund. 34, 2, 12. Cato: 'Nos, si Diis placet, jam remp. etiam capessere eas (feminas) patimur:' et 34, 32, 14. 'Non societatem modo, sed, si Diis placet, affinitatem etiam.' Simile porro est quod supr. 3. 1, 1. 'Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum?' *Fr.* Fran. *sicut diis*, ceteri s. *sic diis.* *Si diis* etiam Magl. Reg. F, Voss. et ed. Junt. Sic passim Plautus et Terentius. Livius XXXVIII. 47. XXXIX. 28. et 36. XL. 13. XLI. 23. Add. Indic. et Donat. ad Terent. Eun. v. 3. 10.

Mare usque venerunt] N. Heins. mavult: *mare usque irruerunt.* Græv.

Eoque fine contenti] Si hoc fine contenti erant, cur indignantes Adriaticum telis petebant? Vides istam sententiam aliud postulare verbum, nisi velit ineptiarum redargui. Nihil autem hic subsidii in veteribus libris. Forte scripsit Florus: *eoque fine retenti.* Cum illos Adriaticum non sineret ulterius progredi, excandescentes iram suam testabantur jaculis in ipsum mare, quo retinebantur, barbara quadam stultitia missis. Si cui tamen magis arrideat Gronovii conjectura, qui legendum olim censebat: *eoque fine non contenti,* ei non repugnabo, nam et inferius in cap. 6. huj. lib. eadem macula obsidet editiones, quam abstersi ope veteris libri. Sic et Heinsium conjecisse postea ex ejus litteris cognovi. Firmat autem hanc opinionem duobus Flori locis. Alter est in cap. 1. hujus libri; 'Agrorum et vicorum populatione non contentus.' Alter est in cap. 6. 'Sed nec mari submovisse contentus.' *Idem.* Etiam aliis multis locis sic loquitur Florus. Sed ea non multum faciunt ad confirmandam conjecturam Gronovii. Nam alibi omittit negationem, ut et sæpe alii. Ita, ut hoc unum proferam, Ov. II. M. 131. 'Zonarumque trium contentus fine.' Itaque de hoc non tam ex conlatione plurium locorum, quam ex sententia singulorum statui potest, quæ hic videtur postulare, ut addatur negatio; quam et Pighius addidit ad A. U. 639. Nec Perizonio placebat vulgatum: pro *contenti* enim adscripserat, An *cohibiti?* Et rursus: Fort. *retenti.* Vir eruditiss. Joh. Schultingius ad Sen. Suasor. IV. *contenti* accipit pro, retenti. Hanc significationem interdum habet *continere.* Virg. I. G. 259. 'Frigidus agricolam si quando continet imber;' ubi Servius, detinet et impedit. Et X. Æn. 685. 'Ter conatus utramque viam: ter maxima Juno Continuit, juvenemque animi miserata repressit:' in quibus 'Continuit' et 'repressit' junguntur tamquam synonyma. Sed tamen in his 'continere' notat vim aliqnam majorem et extrinsecus advenientem, qua quis detinetur, et prohibetur progredi: quomodo etiam 'contineri' dicuntur, qui undique clausi et constricti tenentur, ut expedire se non possint; veluti quum Cic. XIII. Phil. 3. dicit, 'Quibus enim septis tam immanes belluas continebimus?' Et Justin. V. 6. 'Quos vincula, non castra, continuerant.' *Non* hic facile intercidere potuit, vel propter ultimam syllabam vocis præcedentis, vel propter primam sequentis, vel denique, quod scriptum fuerat, *n̄,* ut sæpe, pro *non.*

Interveniente natura] Ita supr. 2, 2, 1. *Freinsh.*

§. 2 *Crudelitatis*] Qua nota infames olim Thraces fuisse, vel inde liquet, quod Alexandrum regem suum, 'Thracidam' cognominavere Judæi, propter crudelitatem, auctor Josephus Antiquit. 13, 23. Add. Thucyd. 7, 4, 16. *Idem.*

Litare diis sanguinem humanum] Rem multis nationibus, ipsisque adeo Romanis, usitatam, ut potuisset tacere de aliis Auctor, quod in suam civitatem retorqueri posset. Tertullian. in Scorp. cap. 7. 'Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victima placari, apud seculum liquet. Et Latio in hodiernum Jovi, media in urbe humanus sanguis ingustatur.' Adde supr. 1, 16, 7. et Notas ad Justin. 18, 6, 12. *Idem.* Ryck. *litare diis sanguine humano.* Sed litare pro, sacrificare aut offerre ap. scriptores temporum meliorum, qui usi sunt oratione pedibus soluta, inveniri non puto. *Litare* enim, ut recte notavit Macrobius lib. III. c. 5. 'significat, sacrificio facto placasse numen.' Plaut. Pœn. II, 1. 'Nam ego hodie infelix Diis meis iratissimis Sex immolavi

agnos, nec potui tamen Propitiam Venerem facere uti esset mihi. Quoniam litare nequeo, abii illinc illico Iratus.' Et non longe post: 'Si hercle istud unquam factum est, tum me Juppiter Faciat, ut semper sacrificem, neque unquam litem.' Suet. Jul. 'Dein pluribus hostiis cæsis cum litare non posset.' Hinc et Servius ad illa IV. Æn. 'Tu modo posce Deos veniam, sacrisque litatis, Indulge hospitio, caussasque innecte morandi,' notavit: 'Diis litatis, debuit dicere. Non enim sacra, sed Deos sacris litamus: hoc est, placamus.' Poëtæ tamen nonnunquam sic loquuntur, ut Sen. Med. 'Plura non habui, dolor, Quæ tibi litarem.' Sed apud scriptores probatiores, qui non poëtice loquuntur, hostiæ dicuntur litare. Nam quod ap. Suet. legitur in Oth. cap. 8. 'Victimam Diti patri cæsam litavit,' ostendimus in notis ad illum locum, corruptum esse, et ex vetustissimo Memmiano et Roberti Stephani optima editione reposuimus: *Victima Diti patri cæsa litavit.* Mallem itaque, quod Gronovio quoque placebat, *libare Diis sanguinem humanum.* Tacitus XV. ann. 'Libare se liquorem illum Jovi Liberatori.' Liv. XXIII. 'Idque sacrum vas iis erat, quo solemnibus libarent.' Virg. Æn. V. 77. 'Hic duo rite mero libans carchesia Baccho.' Nunc nihil mutandum censeo. Florum enim aliosque hujus ætatis scriptores *litare* pro, sacrificare, offerre, posuisse certum est. Inferius III. 18. 'Non prius finem cædium fecit, quam Asculi eversione manibus tot exercituum consularium, direptarumque urbium, Diis litaretur:' et IV. 12. 'Concepere votum, ut cæsorum extis ducum et litarent et vescerentur.' Tac. Germ. 9. 'Cui [Mercurio] certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent.' Paullo inferius Ryck. *Mœotin* maluit quam *Mœotim.* Græv. Adnotat Sciopp. ad Priap. Carm. LXXI. 'litare' pro, sacrificare non temere alibi, quam ibi inveniri. Et in Ind. plane damnat 'litare' pro, sacrificare, tamquam non Latinum. Fallitur. Recte et Latine dici *litare Diis hostias* contra Servium etiam Salmasius docuit ad Solin. p. 9. e Propert. IV. 1. 24. 'Pastor et ad calamos exta litabat ovis:' et e Justin. XX. 2. 'Litatis hostiis:' quibus add. quæ habent Broekhus. ad Propert. l. d. et Heins. ad Ov. VI. F. 629. Sed quum inter ea, quæ ad refellendum Servium adferuntur, nullum sit testimonium probatorum Scriptorum prosæ ex optima illa et aurea ætate Latini sermonis, non videtur ratione carere observatio cl. Grævii. Et tamen eos, qui ante illam soluto sermone scripserunt, *litare* dixisse pro, sacrificare, cognosci potest e fragmento Valerii Antiatis ap. Gell. I. 7. 'Si hæ res divinæ factæ, riteque perlitatæ essent.'

Bibere in ossibus capitum] Eo refero verba hæc, ut intelligantur Thraces ex craniis interfectorum fecisse sibi pocula more barbarico: quem et Livius exponit, 23, 24, 15. Boii 'purgato capite' Posthumii, 'ut mos iis est, calicem auro cælavere: idque sacrum vas iis erat, quo solennibus libarent, poculumque idem sacerdoti esse' (quæ vox forte rectius omitteretur) 'ac templi antistitibus:' et Sil. 13, 481. 'At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent Ossa (nefas) auro, et mensis ea pocula servant:' de simili re, et forte eadem Posthumii historia, Gellius, lib. 30. ap. Priscian. lib. 7. p. 239. Seneca Tragœdus, Thyeste, vs. 453. 'Venenum in auro bibitur.' (Maccab. 1, 11, 50.) Virgilius sine præpositione: 'Ut gemma bibat.' *Freinsh.* Vid. Ind. et interpp. Phædri I. 24. Ἐν χρυσῷ, ἢ ἀργύρῳ πίνειν Lucian. de Merced. cond. p. 468.

Et hujuscemodi ludibrio] Optimus liber, *cujusque modi ludibrio,* eximie,

Hoc est, omni ludibrii genere. *Salm.* *Cujusecemodi ludibrio*] Ita Pal. 1. nec recedunt reliqui, nisi quod ipsi aut *cujusmodi*, aut *ejusmodi*. Grut. Sensus autem verborum videtur, non contentos simplici morte, fœdasse etiam insuper suppliciis, aliosque igni, fumo alios, necasse. Sicut Nero sæviit ludibriis in Christianos, ap. Tacit. 15, 44. *Freinsh.* Magl. *cujusquemodi;* Voss. *cujuscemodi;* ceteri *ejusmodi*, et, quod e Pall. adnotarat Salmasius, *ejuscemodi;* sed fere omnes demta copula *et*. *Cujusquemodi* pro, cujuscumquemodi est ap. Cic. pro Flacc. XVII. 'Cum tabulæ illæ ipsæ, cujusquemodi sunt, proferuntur.' Item ap. Lucret. Sall. et alios. Vid. Gifan. Ind. Lucret. Mercer. ad Dict. Cret. II. 18. et Wass. ad Sall. Catil. XL.

Tam igni, quam fumo] Idem doctiss. Wass. l. d. legit, *tam igni, quam ferro*. Nam putat Florum his verbis respicere ad præcedentia 'litare Diis sanguinem humanum,' et 'bibere in ossibus capitum;' et 'igni' referri ad hostias humanas, *ferro* ad capitum excavationem. Mihi verius videtur, hæc recenseri tamquam nova exempla crudelitatis Thracum, eo sensu, quo exponit Freinshemius. Nam fumum quoque inter genera cruciatus et suppliciorum fuisse, constat e Cic. I. Verr. 17. e Vulcat. Gall. Avid. Cass. IV. et aliis, quos ibi laudant Casaub. et Salmasius. Nec quidquam impedit, quo minus credamus Thracas quoque hoc genere crudelitatis in captivos fuisse usos. Adfert quidem Vir eruditiss. ad firmandam conjecturam suam ea, quæ leguntur in fine hujus cap. Thracas 'suis moribus' domitos, et in captivos 'igne ferroque' sævitum esse: nam ait, si hic legatur *fumo*, Florum etiam deinde dicere debuisse, in captivos *igne fumoque*, non *ferro*, sævitum esse. Verum hoc non procedit. Etenim si, quod in postremis verbis hujus cap. de ferro dicitur, id ita, ut supra ex illius sententia, accipiendum esset, consequens foret, Romanos etiam crania hostium exemto cerebro purgasse, et ad usum poculorum adhibuisse.

Partus quoque gravidarum] Ita Berol. et Voss. 1. sed Naz. Pall. et alii omnes scripti, item v. e. *gravidarum mulierum*. 'Tormenta' accipio funes circum ventrem tensos et ligatos. 'Tormento tensior' Priap. Carm. v. Vid. ibi Scalig. Colv. et Scip. Gentil. ad Apul. Apol. non longe a princ. Quamquam etiam aliis modis compresso ventre partus extorqueri potest.

§. 3 *Scordisci*] Gens originis Gallicæ, Epit. Liv. 63. Justin. 32, 3, 5. De ea, quæ supra de Thracibus in commune dicuntur, recenset Marcellin. 28, 7. et alii qui addunt, 'in ossibus capitum humanorum sanguinem bibere solitos.' Meminit hujus gentis Dio, p. 622. B. Sueyro, in versione Velleii, facit eos, *Pueblos de la Pannonia inferior, Castaldo* (addit) *los attribue la Rascia; llamanse, segun Dominico Negro, Bosnachi, en Tudesco Bossen*. Freinsh. Add. Ammian. Marc. XXVII. 4. Gronov. ad Liv. XXXIII. 12. et Cellar. Geog. Ant. II. 8.

Calliditas quoque ad robur accesserat] Ita supra 1, 3, 4. Horatius solus tres Curiatios vicit, 'addito ad virtutem dolo:' inf. 3, 11, 3. Parthi 'præter armorum fiduciam simulant trepidationem, et in campos fugam.' *Freinsh.*

§. 4 *Silvarum et montium situs cum ingenio consentiebant*] Supr. 3, 2, 2. 'Atrox cœlum, perinde ingenia.' *Idem.* Excidisse propter affinitatem litterarum vocabulum *gentis* existimat N. Heinsius, legique jubet: *Silvarum et montium situs cum ingenio gentis consentiebat*. Græv. *Consentiebat* Ryck. et Flor. Nihil mutandum arbitror. Flor. proœm. l. I. 'Qui terrarum situs pingunt.' Sueton. Cæs. LVIII. 'Perspeculatus locorum situs.'

Modo] Puto ab aliena manu esse:

nec enim juvat sensum; sed aperte turbat. *Freinsh.* Non intelligo, cur hoc offenderit Freinshemium. Non videtur ei in mentem venisse, 'sed' hic dici pro, sed etiam, ut sæpe præcedentibus *non modo, non solum*, et *non tantum*. Liv. XXIII. 7. 'Id non obedienter modo, sed enixe factum est.' Et XXVII. 46. 'Nero non suadere modo, sed summa ope orare institit.' Pompon. l. 48. §. 6. D. de Ædil. Ed. 'Non solum de mancipiis, sed de omni animali hæ actiones competunt.' Et Cic. I. de Sen. et II. Phil. 14. Vid. Ant. Augustin. II. Emend. 1. et Stewech. de Partic. Ling. Lat. Magis suspecta est mihi particula *aut*, eo quod hæc in obvio hoc genere loquendi conjunctione copulativa jungi video. Fort. *ac fugatus*. Vell. II. 32. 'Prædonesque fudit ac fugavit.' Flor. supr. II. 11. 5. et omnes alii. Solet autem priore loco poni 'fundere,' id est, pellere, (ut e Cæs. I. Gall. 52. 6. Auct. Bell. Afr. XXVIII. 2. et Flor. I. 1. 11. intelligitur; vel, si quis hoc mavult, 'dissipare,' 'dispergere.' Curt. VIII. 2. 22. 'Quos ubi dispersos fugavit:') posteriore *fugare*. Sed hunc ordinem Velleius præter suum et aliorum morem mutavit: II. 46. 'Ut transgressos in eam Parthos felici rerum eventu fugaret ac funderet.' Et Auctor Bell. Afr. XXXI. 3. 'Sæpe a se fugatis, pulsis, perterritisque.'

Simile prodigio] Sic editio Stadiana, quemadmodum ante eam visam legendum conjecerat Gruterus. *Freinsh.* Solus Flor. habet *simile*. Et sic Pigh. ad A. U. 639. alii s. et e. *simili*. Cic. pro Ligar. IV. 'Hæc non modo mirabilia sunt, sed prodigio simile est, quod dicam.' Terent. Eun. II. 3. 42. 'Monstri simile.' Vid. Freinsh. in Ind. Toll. ad Auson. Ep. IX. 24. actum agit.

Interceptus] Tac. Agr. V. 'Trucidati veterani, incensæ coloniæ, intercepti exercitus.' C. Nep. Iphicr. II. 'Moram Lacedæmoniorum intercepit.' Ubi frustra Gebhard. *interfecit*.

Cato] Vid. Epit. Liv. 63. et Eutrop. 4, 29. Hujus aliorumque impp. qui cum Thracibus bellarunt, meminit Ammianus, 27, 8. Dio in Excerpt. Vales. p. 628. *Freinsh.* Cato ipse tamen evasit: nam deinde repetundarum damnatus est e Macedonia. Vell. II. 8. et Cic. III. Verr. 80. et IV. 10.

§. 5 *Didius*] Vid. Ruffum, cap. 9. Triumphum inde consecutum esse patet ex Cic. in Pison. c. 25. *Freinsh.* De Didio Pigh. ad A. U. 639. et 641. *L. Didius* Fran. 'Titum Didium' vocat Cicero in Pison. XXV. Vid. Pigh. ll. dd. et ad A. U. 655. et 660.

Drusus] Epit. Liv. 63. Ruffus ubi supra. Dio ap. Vales. p. 628. Ad hunc pertinet hæc perioche ex Ὀλυμπ. ἀναγρ. ad Ol. 167. Μάρκος Λιούϊος τοὺς Σκορδίσκους ἐνίκησε. *Freinsh.* Pigh. ad A. U. 641. et 643. Quod Florus dicit, 'vetuit transire Danubium,' non intelligo: nam sic loquitur quasi Danubius fuerit inter Thraciam et Macedoniam, aliasque provincias Romanas, quas Thraces incursabant: quod manifesto falsum est. Danubius enim Thraciam a Dacia dividit, et non minus ipsi Thraciæ, quam Macedoniæ aliisque provinciis Rom. a Septemtrione est; nec opus erat Thracibus eo trajecto, ut in Macedoniam, quam Drusus A. U. 641. provinciam habuit, venire possent.

Minucius] Epit. Liv. 65. Eutrop. 4, 33. Ruffus, Frontinus, 2, 4, 3. *Freinsh. Minucius toto vastavit Hebro*] Mirum loquendi genus pro, omnes gentes ad Hebrum sitas vastavit. Lipsius conjiciebat, *toto vallavit Hebro*. Non probo. Nam et adversatur historiæ et Latinæ linguæ. 'Vallari Hebro' possent forte Thraces dici ab hoste, si ab illo cogerentur non trajicere Hebrum, sed intra illius ripas se continere, quamvis et hoc valde dure, et improprie: sed 'toto

Hebro vallari' quid sit, nemo facile explicarit. Non est, ut omnium librorum scriptura convellatur. Virg. 'Totis Usque adeo turbatur agris.' Simile tamen loquendi genus occurrit superius lib. II, 16. 'Critolai manum per pateutes Elidis campos toto cecidit Alpheo.' *Græv.* Vid. ad I. 18. 24. De Minucio Vell. II. 8. et Pigh. ad A. U. 644. et sequentem.

Dum perfidum glacie flumen equitatur] 'Flumen equitare,' aut 'campum equitare,' pro, per campum aut flumen equitare, nescio an Latinum sit: nemo sane ita loquitur. Scribimus, *dum per perfidum glacie flumen equitatur:* præpositionem *per* absorpserat prima syllaba dictionis *perfidum:* id in aliis locis factum quam multis, alibi ostendimus: *per perstrictum glacie flumen* ediderat optimus Vinetus, ex opinione sua, ut suspicor; nam in libris non extat: *perfidum glacie flumen* vocat, quod Minucius, dum flumini congelato exercitum suum fideret, multos amiserit, propter glaciei nondum satis firmatæ fragile et lubricum. Hoc si pensitasset Vir doctissimus, nihil temere mutasset. *Salm. Per perfidum glacie flumen*] Ita Naz. alii *perfidum gl. fl. equitatur:* quod esset dictum ut illud Horat. 4. Od. 4. 'Eurus Per Siculas equitavit undas.' Claudiani B. Get. v. 194. 'Equitataque summi Culmina Taygeti.' Et illud Virg. Æn. I, 71. 'Tyrrhenum navigat æquor.' Nec absimiliter Gallus I, 32. 'Innabam gelidas Tiberini flumiuis undas.' Et Sidon. Epist. 8, 12. 'Si nunc etiam tuæ naves stagna Nilotidis aquæ per indigenas formidata crocodilos transfretarent:' idem Carm. 3, 6. 'Nam famæ pelagus sidere curro suo:' et Carm. 9, 13. 'Non nos currimus aggerem vetustum.' Verum enimvero nec hoc nec illud satis placet, sed omnino scriptum fuisse videtur; *per infidum glacie flumen equitatur:* sic Plin. 36, 15. 'Sedere auso tam infida instabilique sede.' Nisi quid obstat Marcellinus, qui et ipse 'Perfidas glacie valles' dixit 15, 25. *Freinsh. Perfidum glacie flumen equitatur*] Salmasius dubitat sitne Latinum *equitare flumen.* Atqui Claudianus: 'Equitataque summi Culmina Taygeti.' Curt. IV. 9. 'Equitabiles campos' dixit, et lib. VIII. 14. 'Inequitabiles:' post insere τὸ *et; quam quod abscissis manibus relicti vivere, et superstites pœnæ suæ jubebantur.* Sic Latini scriptores solent. Hæc N. Heinsius. *Per perfidum* non est in Naz. sed est conjectura Salmasii. *Græv.* Immo Salmasius exemplari suo et Grut. in Notis auctioribus scripserat ita esse in Nazar. E Regg. nulla varietas ad Ed. Grævii, quæ *per* habet, adscripta erat: in aliis scriptis, et e. v. id non inveni. Sed est in omnibus aliis Edd. ante Grut. qui primus, ut puto, omisit. Potuit Florus hic quoque illud addidisse, ut supr. I. 10. 'Per patrium flumen equitat.' Sed de eo nihil definiri potest, cum utrumque recte dicatur. Voss. 3. *dum p. g. f. equitavit.* Conjecturæ Freinshemii omnino obstat locus Ammiani. *Perfidum glacie flumen* est, cujus glacies, quæ satis firma videbatur, fracta inequitantes fefellit: ut Virg. XII. Æ. 731. 'Perfidus ensis,' qui ex ictu in galeam fractus fuerat. Add. cl. Burm. ad Petron. c. CXXIII.

§. 6 *Piso*] Quis iste sit, quærunt Viri docti; quidam eum esse putant qui sub Augusto Thraces vicit. De quo Dio, 624. B. Sed nimis discordat temporum ratio: crediderim, fuisse eum, in quem acerrima Ciceronis extat. Qui imperatorem eum appellatum ait, prælio legatorum suorum, cum ipse longe abesset. c. 25. Orat. in Pison. Etiam Julius Obsequens, cap. 103. prodigiis ejus anni, quo hic Piso Macedoniam obtinuit, subnectit: 'In Macedonia Thraces subacti.' *Freinsh.* Refellit Freinshemium Rupertus, eo quod Obsequens

Thraces C. Mario, et C. Flacco (*L. Flacco* legit Rupertus, alii *C. Flavio*) Coss. subactos dicit, i. e. plus 40. annis ante, quam Piso, inimicus Ciceronis, Macedoniæ præfuit. Nec eum designari a Floro etiam hoc argumento esse potest, quod in aliorum rebus referendis fere sequutus est ordinem temporis a Catone ad Lucullum usque, qui 15. annis ante Pisonem, de quo agi putat Freinshemius, Cos. fuit. Nam quod Curionem post Appium ponit, levis, et tantum unius anni metachronismus est. Pighius putat Thraces a Pisone Prætore A.U. 650. victos esse: sed nullo satis certo argumento. Mihi non magis liquet, quis hic Piso fuerit, quam Stadio et Vineto, qui se de illo nihil certi posse tradere fatentur.

Rhodopen Caucasumque penetravit] Lipsius censebat emendandum esse *a Rhodope ad Caucasum penetravit:* sed non intellexit vim verbi. Nam 'penetrare' est, transire. Inferius III. 10. 'Nec semel Rhenus, sed iterum quoque et quidem ponte facto, penetratus est,' hoc est trajectus. Suet. Cæs. 'Eadem nave thalamego pæne Æthiopia tenus Ægyptum penetravit:' hoc est, transiit Ægyptum. Vell. II, 40. 'Penetratæ cum victoria Media, Albania, Iberia.' *Græv.* Add. Bentl. ad Horat. I. Carm. 37. 24.

Curio] Pertinet huc fragmentum illud Sall. H. 2, 1, 14. 'Eodem anno in Macedonia C. Curio, principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam:' et forte illud alterum, H. 3, 5, 14. 'Atque eum Curio laudatum accensumque præmiorum spe, quibuscum optavisset, ire jubet.' Videndi sunt Epit. Liv. 92, et 95. Front. 4, 1, 43. Eutrop. 6, 3. Jordan. de Regn. Success. cap. 50. Ruffus, cap. 7. Cicero, in Pison. c. 19. etiam hunc triumphasse refert. Videtur autem hic postponendus Appio, nam ei successit. *Freinsh.* In Annalibus Pighii ad A. U. 678. perperam scriptum est Curionem ex prætura Macedoniam sortitum, pro, ex Consulatu. Nec recte ad A. U. 682. 'C. Servilius Curio' vocatur, qui erat 'C. Scribonius Curio.'

Curio Dacia tenus venit] Tollo τὸ *venit*, inquit N. Heinsius, et paullo ante scribe: *multis ibidem amissis*, non *quidem*. Græv.

Appius] De quo Eutrop. 6, 2. *Freinsh.* Et Liv. Epit. XCI. Oros. V. 23. et Sex. Ruffus. Add. Petav. XII. de Doctr. Temp. 38.

In Sarmatas] De his vide Dresser. Millen. 1. p. 88. *Freinsh.*

Lucullus] De hoc Cic. d. cap. 19. Pædianus, Ruffus, Eutrop., Oros. *Idem.*

Terminum gentium Tanaim] Non intelligit, ultra Tanaim nullas gentes colere; sed Thraces omnem eum tractum habitare ad usque Tanaim: Tanais enim 'Europam et Asiam medius interfluit.' Curt. 6, 2, 14. *Idem.*

§. 7 *Suis moribus*] Adde supr. 3, 1, 17. *Idem.*

Quod abscissis manibus, &c. jubebantur] Ita Vineti ed. et placet præ aliorum *videbantur*, quod extat quidem in Pal. 3. non etiam in 1. ac 2. De re ipsa sic quoque Zeno, in Serm. 'Incidantur ab articulis manus, a cruribus pedes: vivum se cadaver inspiciat.' *Grut.* Istud autem pœnæ genus ap. Persas olim usitatum fuisse, liquet ex Curt. 5, 5, 6. Eodem Fabius Æmilianus latrones Hispanos affecit ap. Appian. in Hispan. p. 293. et Josephus Clitum quendam tumultuantem, B. Jud. 2, 26. Alia exempla vide ap. Tac. 12, 14, 8. Marcellin. 29, 26. f. Zonar. tom. 2, p. 85. Possent vero Thracibus istis applicari verba Lamachi, ap. Apulei. lib. 4. 'Cur enim manui, quæ rapere et jugulare sola posset, fortem latronem supervivere?' In eod. Apuleii loco mendum est, quod eadem opera tollemus. Legitur; *Vix enim Thebas Heptapylos ac-*

cessimus, quod est huic disciplinæ primarium studium: sed dum sedulo fortunas inquirebamus populareis, nec nos denique latuit Chryseros quidam, &c. ridicule: quasi summa latronum ars esset Thebas accedere: malim; *Vix enim Th. Hept. accessimus, quum (quod est huic disciplinæ primarium studium) sedulo fortunas inquirebamus populareis: nec nos denique latuit Chryseros quidam, &c.* ubi adverte, vocabulum 'denique' eodem etiam modo usurpatum, ut notavimus in Ind. *Freinsh.* *Abscisis* in veteribus esse scripserat hic Salmasius. Ita Berol. Duisb. Fran. et v. e.

Vivere superstites] Vide Sen. in Controv. 'Vir fortis non habens manus.' *Freinsh.*

Cap. 5 Hoc bellum scripsit Livius, a lib. 76. usque ad 102. sed temporis injuria non extant nisi eorum argumenta. Late de hoc bello Appianus. Plura Plut. in Vitis Sullæ, L. Luculli, Cn. Pompeii. Multa Auctor de Vir. Ill., quatuor ultimis capp. Val. M. 4, 6, 2. ext. 8, 7, 16. ext. 9, 2, 3. ext. Front. 2, 1, 12, et 14. et 2, 2, 4. Aug. Civit. 3, 22. Plin. 2, 97. 7, 24. 25, 2. 33, 3. et 12. Plura Cic. pro L. Manil. Justinus, lib. 37, et 38. Eutrop. 5, 2. Oros. 5, 19. &c. *Camers.* Lege Dionis quæ restant: meminit et Athenæus, 5, 13. *Freinsh.*

§. 1 *Ponticæ gentes ad septentrionem in mare sinistrum jacent*] Sana hæc esse nemo, qui attendit, et non rudis est artium bonarum, sibi poterit persuadere. Quis enim in animum inducat non plane infantem scribere: *gentes in mare sinistrum jacent a mari Pontico cognominatæ*, cum illud ipsum mare sinistrum sit Ponticum, a quo sunt cognominatæ, ne dicam de ejusdem vocis inepta et insulsa repetitione? Non hoc fugit Lipsium, qui conjecit delendum esse τὸ *mare*, et scribendum: *Ponticæ gentes ad septentrionem in sinistrum jacent, a Pontico cognominatæ mari:* quod et mihi arridet, nisi forte scripsit Florus, *in sinistro jacent.* Ponticæ gentes sunt Septentrionales, et quidem ad sinistrum latus, si qui ex oriente versus occasum proficiscantur, aut a Septentrione respiciant Austrum; nomen habuerunt a Pontico, quod accolunt, mari: si quis vero ex Europa per Asiam minorem in illum terrarum tractum contendat, aut ex terris occidentalibus, ad dextram hæ gentes Ponticæ in Asia septentrionali jacent, unde et dicuntur dextra Ponti incolere aliis scriptoribus. Sic eleganter de situ Europæ Mela II. 1. 'Per eundem amnem [Tanaim] in Mæotida remeantibus ad dextram Europa est, modo sinistro latere innavigantium apposita.' Ubi scribendum *sinistro lateri:* dixit *modo sinistro lateri innavigantium apposita*, quia paullo ante in lib. I. cap. 5. scripserat: 'Hinc [ex *Oceano Atlantico*] in nostrum mare pergentibus læva Hispania, Mauritania dextra est.' *Græv.* Non adsequor omnia, quæ hic disputat Grævius de situ regionum Ponticarum. Id puto me scire, Pontum Euxinum et gentes, quæ hoc mare adjacent, ab Europa in Asiam venientibus ad sinistram, et contra ex Asia in Europam tendentibus ad dextram esse. Quod Ponticæ gentes dicuntur incolere dextra Ponti eo fit, quod pars illa Asiæ, quam tenent, est ad dextrum latus Ponti, ut opposita Europæ ad sinistrum. Unde Vell. II. 40. dicit Colchos, et alios iis vicinos 'dextra Ponti' incolere. Et Ov. II. Tr. 197. IV. 1. 60. IV. 10. 97. et alibi partem oppositam Europæ, in qua exsulabat, 'sinistra' et 'læva Ponti' vocat. Si recta est scriptura recepta, quam omnes libri habent, non video quis alius sensus horum verborum esse possit, quam: Ponticæ gentes jacent ad mare Ponticum, quod ex Europa in Asiam venientibus ad sinistram est: vel potius, ut Anna Fabri et alii: Pontum Euxinum a sinistra ha-

bent respectu Orientis. Sed nondum apud alios inveni hoc genus loquendi, 'regio,' vel 'gens in mare jacet,' eo sensu, quem hic habere debet. Flor. *a Septemtrione.*

Rex antiquissimus Atheas] Scytharum rex quidam, ap. Frontinum, 'Atheas,' qui hic non est, nisi vehementer fallimur. *Ateas* sine aspiratione scribendum: nam ille Scytharum Rex 'Anteas,' vel 'Antias,' a Plutarcho vocatur: optimæ membranæ hoc loco legunt *ætas:* nimirum est *Ætas*, vetus ille Rex Ponti, Medeæ pater Αἰήτης, nam 'Æetes' et 'Æetas' extulerunt Latini. Ovidio etiam 'Ætas,' 'Pater Æta relictus.' Quin de *Æete* accipiendum sit, nolim dubitare, qui fuit antiquissimus Rex Ponticarum regionum: vulgo *Atheas* vel *Ethas:* male. *Salm.* *Æetas*] Ita videbatur rescribendum eruditissimis Viris, non immerito; nec enim præter hujus regis ætatem, (Medeæ autem patrem aiunt,) ulla gentium istarum mentio occurrit. *Freinsh.* *Æetas*] Sic recte hunc locum correxisse doctos viros auctor etiam est liber Ryckianus, in quo scribitur *Oetas* corrupte quidem, sed proxime verum. Vulgati *Atheas.* Græv. *Oetas* etiam Reg. Q et Voss. 3. ut quidam libri ap. Val. Flac. I. 43. Reg. F et Voss. 2. *Etas.* Pall., libri Vineti, Duisb. Fran. Voss. 1. et v. e. *Ethas.* Tollius nihil adnotarat. *Æta* est in vulgatis Ov. Epist. Med. vs. 29. et VII. Met. 170. quod ibi, et ad Epist. Hypsip. vs. 103. e Mss. emendat Heinsius. In Varr. II. de R. R. 1. ante Rob. Stephan. edebatur *Œta* pro *Æeta;* quod in Ms. Politiani erat *Æata.*

A septem Persis oriundus] Adde Polyb. 5,43. Joseph. undecimo Orig. Judaic. et Auctor. de Vir. Ill. cap. 76. *Vin.* Iis nimirum, qui cum Dario ad recipiendum a Magis regnum conjuravere, de quibus vide Bongars. et Berneccer. ad Justin. 1, 9, 9. Item Diodor. lib. 31. Justinus recidit hanc partem ex lib. 37. Trogi, ut Prologus arguit. *Freinsh.* Eodem modo Curt. IV. 12. 'Orsines a septem Persis oriundus.' Vid. ibi Freinshem. Quem Florus hic 'Artabazem' vocat, et Ampelius, auctore, ut dicit, Sallustio, 'Artabanem,' is aliis est 'Mithridates,' conditor regni Pontici. Is enim erat e stirpe regia Persarum, et genus referebat ad unum e septem illis Principibus, qui adversus Magos conjuraverant. Appian. Mithrid. p. 176. et Diodor. Sic. lib. XIX. p. 692. Add. Rupert. ad h. l. et Spanh. de Usu et Præst. Numism. Diss. VIII. §. 4. ubi et alia leguntur huc pertinentia. Seriem generis Mithridatis hic exhibet Rupert. Palmerius in Exercitat. p. 160. et Reines. ad Rupert. Epist. XXI. et XXIII.

§. 2 *Mithridates*] Quem 'Magnum' vocat Sueton. Cæs. XXXV. In Nummis Græcis 'Mithradates;' de quo rursum Spanh. dict. oper. Diss. II. §. 3. et Bongars. ad Justin. XXXVII. 1. Duisb. et v. e. *sertis P. o.*

Decem et septem anni Annibali] Vide supr. 1. 2, 6, 1. *Freinsh.* Hunc numerum habent Flor. Magl. et Voss. 3. alii *quatuordecim.* In Flor. quoque desideratur *anni*, et potest abesse.

Quadraginta annos] Adonis Chronic. sub anno 4718. 'Quod triginta annis, vel, sicut aliqui scribunt, quadraginta, gestum est.' Vide Bongars. ad Justin. 37, 1, 7. et Plin. 7, 26, 5. *Freinsh.* Add. Petav. IV. Rat. Temp. 16.

Felicitate] Respicit ad cognomina Syllæ et Pompeii. In Lucullo, quia is nihil sibi proprium habebat, coactus fuit confugere ad generale nomen virtutis.

§. 3 *Attrectari*] Carpi, minui, aliquid ex his detrahi. Nam *attrectare* non modo est, simpliciter contingere, sed etiam animo rem alienam sibi habendi, et vindicandi. Liv. XXVIII. 24. 'Insignia etiam summi imperii, fasces securesque, attrectare ausi.'

Idem XXXIV. 4. ' Et jam in Græciam Asiamque transcendimus, et regias etiam attrectamus gazas.' Solin. c. II. ' Dum etiam ea attrectare auderet, quæ concesserant in Arcadum jura.' Ita vulgo ibi legitur pro quo Pier. in Virg. Æn. VIII. 206. habet, *Dum tractat etiam ea.* Sic ' Contrectare' ap. JCtos, et furtum ' contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia.' Magl. *atractari*, pro *attractari*, vel *adtractari*, ut scribebant veteres. Vid. supr. ad I. 22. 2. et Pier. ad Virg. Æn. II. 719. *Illius belli parce prætenderat* Voss. 2.

§. 4 *Spem ac fiduciam dabant nostra vitia*] ' Civilis, non minus vitiis hostium, quam virtute suorum, fretus.' Tac. H. 4, 34, 10. et Agr. 32, 2. ubi Galgacus de Rom.: ' Nostris illi discessionibus (al. *dissensionibus*) clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt:' h. e. suæ virtuti imputant victos hostes, cum ipsorum dissensionibus debuissent. Sic inf. 4, 2, 62. hujus Mithrid. filius magis discordiæ Romanæ ' fiducia, quam suæ virtutis,' bellum cœpit. Inde Plin. 7, 27. ' Bello civili, quod omnia externa conciebat.' Liv. 3, 38, 4. ' Sabini spem in discordia Romana ponentes.' Adde inf. 4, 12, 1. *Freinsh.*

Invitabat occasio] Terent. Eun. 3, 5, 57. ' An ego occasionem Mihi ostentatam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam, Amitterem?' Pertinet huc quod Aristot. Rhet. 2. refert, προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία. Suet. Cæs. 35, 4. ' Occasione temporum bellantem.' Vid. cap. seq. in pr. *Idem.* Cic. X. Fam. 4. ' Ne inter aliena vitia hæ gentes nostra mala suam putent occasionem.' Sed Mithridates jam ante discordiam Syllæ ac Marii arma adversus Romanos moverat. Nam belli civilis hæc causa et origo fuit, quod Marius bellum Mithridaticum, et provinciam Syllæ decretam ei eripere conabatur. Bellum Sertorianum autem demum aliquot post annis exortum fuit, Mithridate jam dudum a Sylla victo. Itaque hæc Mithridatem non ad bellum primum adversus Romanos suscipiendum invitarunt. Pro *disjungeremur* Perizonius malebat *distringeremur*, ut mox, *in lassos simul atque districtos.*

Nudum imperii latus] Non munitum præsidiis militum, qui bellis civilibus inde abstracti alibi detinebantur, ut putat Florus. Lucan. VIII. 424. ' Arctoum Dacis Rhenique catervis Imperii nudare latus.' Metaph. a gladiatoribus, qui ' latus,' et ' latus nudum dare,' vel ' præbere,' dicuntur, quum id ad ictus patet: cui contrarium est ' tectum latus.' Vid. Lips. II. Saturn. 20. et Broekh. ad Tibull. I. 4. 46.

Ostentabant] Naz. *ostendebant*, et alter Pal. quod plurimæ editiones erant sequutæ, simplicius et melius arbitror. *Salm.* Sic quoque Ryck. Flor. Magl. Regg. et Voss. 1. 2. Nihil interest: nam hæc inter se permutantur. Vid. Heins. ad Ov. I. A. A. 627. Drakenb. ad Liv. XXVIII. 3. 11. *Ostendere* pro, ostentare dici docet cl. Burm. ad Phædr. I. F. 13. Et sic *ostentare* pro, ostendere. Suet. Aug. LXXXVII. ' Quotidiano sermone quædam frequentius et notabiliter usurpasse eum, literæ ipsius autographæ ostentant.' Cic. IV. Ep. Fam. 14. ' Cædem ex altera parte belli exitus ostentat, ex altera servitutem.' Terent. Eun. III. 5. 57. ' Occasionem mihi ostentatam.' Flor. III. 21. 19. ' Ostentata spe pacis:' pro quo ' ostendere spem' dicunt Terent. Phorm. V. 4. 7. et Suet. Aug. XXV.

§. 5 *Captato*] Sic o. s. et e. præter Voss. 1. in quo est *capto*, et Ryck. qui *capro* habet, pro *capto*. J. Fr. Gronovius ad Liv. XXVI. 12. et XXXV. 19. multis locis Livii, in quibus legitur ' captatum tempus,' et ' captato tempore,' partim e Mss. partim e conjectura emendat *captum* et *capto*, et Florum hic quoque scripsisse putat

capto tempore. Certum est veteres sæpe ita loqui, et sic 'capta occasione' dicunt Auct. Bell. Afr. LVI. et Bell. Hisp. XXVI. Sed non existimo ubique emendationem tentandam. Ov. III. ex Pont. 1. 129. 'Eligito tempus captatum sæpe rogandi.' Cic. c. XXV. de Arusp. Resp. 'Captatur occasio.' Sen. Ep. XLVII. in fin. 'Occasionem nocendi captant.' Suet. Vesp. XXI. 'Eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnopere captabant.' Add. adnotata ad Liv. XXXV. 2.

Ab ultima veluti specula Septentrionis] Hæc non satis sana videntur Grævio ad II. 16. 1. Non video, cur cuiquam suspecta esse possint. Notum est omnia loca alta dici 'speculas.' Vid. supr. ad II. 2. 19. Septemtrionales regiones autem omnibus terris editiores esse putabant veteres, ibique altissimos montes Riphæos ponebant. Virg. I. G. 240. 'Mundus ut ad Scythiam Riphæasque arduus arces Consurgit; premitur Libyæ devexus in Austros.' Justin. II. 1. 'Scythiam adeo editiorem esse omnibus terris, ut....' Plin. VI. H. N. 5. 'Subjicitur Ponto regio Colchica, in qua juga Caucasi ad Riphæos montes torquentur.' Paullo post Naz. *Asia inde;* nihilo deterius, ait Gruterus: sic etiam Voss.

§. 6 *Aderat*] Hæc vox adest quidem editt. quamplurimis, sed non extat in vetustissima: male, agnoscuntque Pall. o. *Grut.* Et alii o. s. et e. Sall. Jug. L. 'Numidæ alii postremos cædere: pars a sinistra ac dextra tentare: infensi adesse atque instare.'

Sævitia, quasi virtute] Sic de Sylla Dio, ap. Vales. p. 658. Ὥσπερ τινὰ ἀρετὴν οὖσαν, τὸ μηδὲ ἐν ταῖς μιαιφονίαις τινὸς ἡττᾶσθαι. C. Cassius, in Cic. Fam. 15, 19. 'Scis, Cnæus quam sit fatuus: scis, quomodo crudelitatem virtutem putet.' *Freinsh.*

§. 7 *Edicto, quum omnes*] Idem liber, *ut quum omnes:* legerim, *ut quo omnes: quid atrocius uno ejus edicto? ut quo omnes, qui in Asia forent, Romanæ civitatis homines, interfici jussit:* nec malum esset, *uno ejus edicto, quo omnes, &c.* assentientibus quibusdam libris. *Salm.* Edictum Mithridatis hujusmodi erat, ut ad tricesimam diem observationis omnes pariter Romanos, qui apud eos essent, et Italos, eorumque mulieres cum pueris et liberis, qui Romani sanguinis esse censerentur, interficerent. Auctor Appianus. Interfecta autem sunt hominum 150000. auctore Plut. Sulla cap. 48. Val. autem M. 9, 2, 3. ext. dicit 80000. civium Rom. August. ubi supra. *Cam.* Idque eadem die atque hora. Vell. 2, 18, 2. D. Hieron. de Errorib. Orig. 'Quasi ad Mithridatis literas, omnis veritas uno die de voluminibus ejus raderetur.' Adde Dion. ap. Vales. 657. Eo tempore Coi cives Rom. templo Æsculapii inductos salvos præstiterunt. Tac. 4, 14, 3. Simile huic edictum fuit, quod Haman adversus Judæos procuraverat. Esther. 3, 13. Joseph. Antiqu. 11, 6. Imitatus videtur Mithridatem Julius magister militiæ trans Taurum, qui Gothos per Thracias dispersos 'datis tectioribus literis ad rectores civitatum et castrorum Romanos, omnes uno eodemque die mandavit occidi.' Marcellin. fine Historiar. Dioclet. uno die destruxit Ecclesias. Theodorit. Hist. Eccles. 5, 38. Hunerichus omnes Africæ Ecclesias uno die clausit. Victor. Uticens. lib. 3. Cato multas Hispaniæ urbes uno die muris nudavit. Zwing. 65. m. 2. ex Liv. 34. et Frontino. Pertinent etiam huc Vesperæ Siculæ, nuptiæ Parisienses, &c. *Freinsh.* *Quum omnes* est constans lectio librorum, præter Naz. e quo Salmasius adnotarat *ut omnes:* nam eum male vidisse, quum in Notis ex eo descripsit *ut quum omnes,* dicit Gruterus. N. Heinsius ad marginem libri sui etiam scripserat *ut quo,* et mox

jussi. Edictum Mithridatis dicit epistolas illius Asia occupata ad Satrapas et Magistratus urbium missas, ut post trigesimum diem, quam eæ literæ scriptæ erant, omnes cives Romani et Italici cum conjugibus et liberis interficerentur. Ita ii, quos laudat Camers, quem non intelligo. De numero occisorum Voss. ad Vell. II. 18.

Templa] Vid. Appian. Mithrid. p. 185. *Freinsh.*

§. 8 *Aperiebat*] Vid. Ind. Liv. XLII. 52. ' Qui transgressi in Asiam incognitum famæ aperuerint armis orbem terrarum.' Et XLIV. 4. ' Attalum et Misagenem præsidio esse saltum aperientibus jubet.'

Firmius stetit ceteris] *Excepta Rhodo, quæ pro nobis stetit, ceterum Cyclades, Delos, Eubœa, et ipsum Græciæ decus Athenæ tenebantur:* addicentibus omnibus scriptis exemplaribus, sic legimus. *Salm.* Rhodum eo nomine magnopere commendat Velleius, 2, 18, 3. *Freinsh. Excepta Rhodo, quæ pro nobis stetit, ceterum Cyclades, Delos, Eubœa*] Hæc sic emendavit ex vetustis codd. Salmasius, quod amplexæ sunt recentiores edd. In antiquioribus editis legitur: *quæ pro nobis firmius stetit ceteris.* In Ryck. *firmius* etiam reperitur. Sane *ceterum* hic poni non apte videtur. Veterum igitur editionum lectio non est explodenda. *Græv.* Salmasius non adnotarat a Naz. et Pall. abesse *firmius.* Itaque suspicor eam vocem, quæ in aliis o. s. et e. est, in Animadversionibus ejus vel typographorum vel ipsius culpa excidisse. Nec ulla causa est, cur rejici debeat. Liv. XXII. 61. ' Qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare cœperunt.' *Constantius stare* dicit Cic. Brut. LXXIX. ' Ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a Senatu et bonorum causa steterit constantius.' *Ceterum* non apte hic poni, recte, mea sententia, judicat Grævius. Habent tamen illud omnes Mss. præter Voss. 1. et 3. et Edd. vett. excepta Ald. in qua ut in Voss. 2. est *ceteris:* quod deinde ediderunt Camers, Stad. et alii.

Athenæ] Liv. Epit. 78. Hinc Piso: ' Hos esse Mithridatis adversus Sullam socios:' ap. Tac. 2, 55, 2. Quos tamen defendit Vell. 2, 23, 5. Multa quæ huc faciunt, petere possis ex eruditissimo tractatu Joan. Meursii, de Fortuna Atheniensium. *Fr.*

§. 9 *Afflabat*] Freinshemius in Ind. exponit de propinquitate, quasi qui tam propinquus Italiæ esset, ut etiam spiritu contingere eam posset. Ov. M. I. 542. ' Imminet, et crinem sparsum cervicibus adflat.' Videtur etiam ita posse accipi: Terror Regis jam Italiam et Romam ipsam percellebat, et attonitam reddebat: quemadmodum qui fulmine tacti sunt, ' adflari' dicuntur. Vid. Barth. ad Claud. I. de Rapt. Proserp. 1.

Vir armis optimus] Idemque pace pessimus. Inde Val. M. 9, 2, 1. ' L. Sylla, quem neque laudare, neque vituperare quisquam satis digne potest, quia dum quærit victorias, Scipionem se populo Rom., dum exercet, Annibalem repræsentavit.' Simile Marii elogium, in Ep. Liv. 80. ' Haud facile est dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit:' et Antonii primi, ap. Tac. H. 2, 86, 5. ' Pace pessimus, bello non spernendus.' *Syllæ* autem cognomentum unde transierit in Cornelios, disce ex Macrob. Saturn. 1, 17. *Freinsh.*

Quasi manu] I. e. facile, nullo negotio. Infr. IV. 2. 49.

§. 10 *Frugum parentem*] Ita loquitur propter fruges Atheniensibus primitus inventas aut invectas: vide Diodor. 5, 69. *Freinsh.* Hæc inepte dici videntur: quasi scilicet fieri non potuerit, vel debuerit, ut, quia in Attica primum inventa fertur ratio frumenti serendi, ibi umquam illius esset inopia: quum notum sit, eam regionem propter exilitatem et maciem

soli etiam in pace sæpe laborasse penuria annonæ. Vid. Spanh. ad Julian. Orat. I. p. 78. Appian. Mithridat. p. 195. scribit, tantam famem fuisse, ut quidam non abstinuerint cadaveribus. Hi Floro sunt 'humani cibi,' ut Ov. IX. Heroid. 68. et ibi 429. quæ loca indicavit Reitz. in Ambignis, 'humanæ dapes,' pro carnibus humanis. 'Humanorum corporum dapes' Val. Max. VII. 6. ext. 2. Aliter 'humani cibi,' 'humanus victus,' 'humanæ dapes' dicuntur, quibus homines a ferino victu cultuque ad mitiorem et mansuetiorem vitam traducti vesci didicerunt: vid. Fragm. e Cic. Œconom. ap. Columell. Procem. lib. XII. de R. R. Plin. XVII. H. N. 9.

Subruto] Suffosso, Liv. XXI. 11. 'Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit.' Vel, muris ariete eversis. Idem XXXI. 46. 'Muri quoque pars ariete incusso subruta multis jam locis prociderat.' Utroque genere oppugnationis usus est Sylla. App. ib. p. 193. et seqq.

Sex quoque et amplius muris] Quidam scripti addunt, *munitum*, eo ipso pejores: eleganter, *Piræeus sex et amplius muris:* sic alibi dixit, 'Brundusium inclito portu:' quo loco etiam de suo, *cum inclito portu*, correctores imperiti addiderunt. *Salm.* V. e. auctior, *muris munitum, postquam:* nec aliter Pall. Porro primus hic luxatus est, quippe qui ei, quod præcessit, 'mox subruto Piræei portu,' adjecerit statim illa quæ habemus post medium capitis, *mox subruto Piræei portu Colchis tenus, &c.* ceterum intermedia persequitur ante medium capitis sexti. *Grut.* Ryck. *Subruto quoque Piræei portu, sex quoque et amplius muris munito.* Sed merito codicum aliorum scriptionem assernerunt Viri docti. Qui sunt illi sex muri qui subruti sunt a Mithridate? Longo tantum muro portum illum fuisse firmatum, (qui triplex erat borealis et meridianus, altus quadraginta cubitos, longus totidem stadia, tam latus ut duo currus sibi obvii in illo sine noxa et alterutrius periculo decurrere possent; Justino dicuntur muri brachia Piræeum urbi jungentia, Græcis σκέλη; his accedebat tertius, qui medius erat inter urbem et portum, et hinc dicebatur διὰ μέσου, de quo vide Harpocrat. διὰ μέσου) ex priscorum monumentis constat. Beda tamen de Nom. Locorum in Act. Apost. septemplicem murum hunc portum habuisse contendit. 'Atheuæ,' inquit, 'civitas in Achaia Philosophiæ dicata studiis, &c. cujus Piræeus portus septemplici quondam muro communitus fuisse dicitur.' Hæc Beda hausit ex Floro, apud quem cum legisset Piræeum sex et amplius muros habuisse, tradidit septemplicem ejus murum fuisse. Sed per sex muros credo Florum intellexisse muros interiores transversos, aut potius munitiones intus excitatas, quibus intra muros illos longos dissepserant illud spatium, quod brachia muri longi complectebantur, ut una parte capta, alteri, quæ novo opere erat munita, expugnandæ vires et tempus impendere cogerentur obsessores. Nostri hodie vocant *afsnydingen.* Hæc vera esse clare docet Appianus Alex. de Bello Mithridat. Nam cum narrasset Sullam partem muri Piræei subruisse, 'Αρχέλαος αὐτίκα νυκτὸς τὰ πεπτωκότα τοῦ τείχους ᾠκοδόμει, μηνοειδῆ αὐτοῖς πολλὰ περιθεὶς ἔνδοθεν. *Archelaus statim noctu muros collapsos erexit, multis operibus lunatis intus eos muniens:* μηνοειδῆ videntur opera fuisse, quorum forma non dissimilis fuit illis, quæ hodie vocantur *Halve mænen:* at sequitur statim: Οἷς ἔτι νεοικοδομήτοις ὁ Σύλλας αὖθις ἐπεχείρει παντὶ τῷ στρατῷ, νομίσας ἀσθενῆ καὶ ὑγρὰ ἔτι ὄντα ῥᾳδίως κατερείψειν· κάμνων δὲ ὡς ἐν στενῷ, καὶ βαλλόμενος ἄνωθεν ἔκ τε μετώπου καὶ τῶν κεραιῶν, ὡς ἐν μηνοειδέσι χωρίοις, τοῦ μὲν ἐπιχειρεῖν ἔτι τῷ Πειραιεῖ πάμπαν ἀπεῖχε τῇ γνώμῃ. *Has tanquam recenter exstructas oppug-*

navit Sulla omnibus copiis; ratus infirmas adhuc et humidas eas esse, et facile posse everti. Cum vero frustra laborasset tanquam in angustiis, et a fronte pariter et a lateribus infestaretur telis, tanquam ex lunatis munimentis, ab oppugnatione omnino destitit: χωρίον est castellum. Et inferius urbe capta cum rursus Piræum tentaret Sulla: Κατήρειψέ τι τοῦ μηνοειδοῦς, ὑγροτέρου καὶ ἀσθενεστέρου ἔτι ὄντος, ἅτε νεοδμήτου. ὑπιδομένου δὲ πρότερον τοῦτο Ἀρχελάου, καὶ προοικοδομήσαντος ἔνδοθεν ὅμοια πολλὰ, τὸ μὲν ἔργον ἦν τῷ Σύλλᾳ διηνεκὲς, ἐμπίπτοντι εἰς ἕτερον ὅμοιον ἐξ ἑτέρου. *Subruit aliquid illius operis lunati, quod erat humidum et infirmum; quippe nuper positum erat: cum vero Archelaus hoc ante providisset, interius multis similibus aliis operibus factis, nullum laboris finem inveniebat Sulla, incidens in aliud aliudque simile opus:* paullo post vocat τείχη. Τοιῶνδε τειχῶν κρατῆσαι φιλοτιμούμενοι. *Hos muros superare nitentes.* Et statim dicitur Archelaus, cum videret se non posse sustinere impetum Romanorum, et hæc opera tueri, ἐκλιπεῖν αὐτοῖς τὰ τείχη, *deseruisse hos muros*, et in munitissimum Piræei locum, qui undique mari cingebatur, se contulisse. Vides variis operibus fuisse munitum intus Piræeum, non semper, sed tempore illo, quo obsidebatur: quod si aliter sensit Florus et Beda, passi sunt aliquid humani. Cogitavi quidem aliquando per sex illos muros Florum fortasse intellexisse duo illa muri longi brachia seu latera, Australe et Septentrionale, nec non illum murum quo Munychia cingebatur, nam et ille portus erat muro firmatus, qui tamen adnectebatur muris Piræei, et tres septos illos portus, sive stationes navium quæ in Piræeo erant, de quibus Scylax Caryandensis in Periplo, seu quicunque antiquus illius Peripli auctor est: Πειραιεὺς λιμένας ἔχει γ'. *Piræeus portus habet tres;* et Hesych. Ἔχει δ' ὁ Πειραιεὺς λιμένας τρεῖς κλειστούς. *Habet Piræeus tres portus clausos*, hoc est, ut existimo, munitos. Ab his portibus Piræeum triplicem dici olim monuit Vir incomparabilis, Isaacus Vossius, ad hunc Periplum, ostendens alterum portum in Piræeo Κανθάρωνα, alterum Ζέαν, appellari. Eodem modo autem hic sex muris munitum esse Piræeum scribi a Floro, ut superius II, 6. scripsit Syracusis fuisse triplicem murum, quia tres erant Syracusarum partes, Insula, Tyche, Acradina, singulæ suis muris cinctæ, quamvis alii recte quartam addant, Neapolin nimirum. Sed prior sententia verior est. *Grav.* *Munitum* etiam Toll. Duisb. et Fran. *munitam* Reg. Q, *munito* Voss. 3. A Naz. Reg. F, Voss. 1. 2. Edd. B. S. P. A. et recentioribus, hæc vox abest; quam additam suspicor a correctoribus, qui putarint Florum voluisse dicere, Piræeum sex, et amplius, muris munitum fuisse: quemadmodum etiam accepit Oros. VI. 2. 'Piræeum septemplici muro communitum diu obsedit.' Nec video quomodo aliter, quam ex sententia Grævii, exponi possit, quod de 'sex, et amplius, muris' scribit Florus, quas 'multiplices Piræei munitiones' vocat Vell. II. 23. Sed magis puto supplendum esse, subrutis, quam hæc verba ita ut Salmasio placet accipienda.

In honorem mortuorum] Majorum nempe, rebus pace belloque gestis, adhæc artium multarum inventione cultuque, nobilissimorum. Ob eandem causam postea etiam Cæsar his pepercit. Appian. Bell. Civil. lib. 2. p. 482. 'Atheniensibus quoque supplicibus dedit veniam, his verbis: Quoties tandem vos, vestrapte culpa pereuntes, servabit majorum vestrorum gloria?' Idem Cæsar de Massiliensibus in Comm. Bell. Civil. 2, 22. 'Cæsar eos magis pro nomine et vetustate, quam pro meritis in se civitatis, conservans.' Porro majorum celebritatem delinquentibus sæpius præsidio esse notavit Berneccerus ad

Suet. August. 5, 2. m. Ceterum Athenienses excusat Vellei. 2, 23, 5. *Freinsh.* Excusat quidem, sed non persuadet omnibus. Vid. ibi Interpretes.

Donavit] Veniam iis dedit, et pepercit ob sacra et pristinam majorum gloriam. Sen. II. de Ira 21. 'Causæ suæ, et prioribus factis, et bonis in futurum promissis donetur.' Justin. XXXVIII. 6. 'Ut ne vietum quidem (Jugurtham) memoriæ patris donarent.' Cic. XIII. Ep. Fam. 73. 'Peto, ut ejus filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimum condones.' Add. Freinsh. in Ind. et Græv. ad Cic. V. Ep. Fam. 7. Sic *dare* ap. Liv. VII. 20. 'Cære sacrarium populi Rom. hospitio Vestalium cultisque Diis darent:' χαρίζεσθαι dicit in hac re narranda Plut. in Syll. Ἐγκώμιόν τι τῶν παλαιῶν Ἀθηναίων ἐπειπὼν, ἔφη χαρίζεσθαι πολλοὺς μὲν ὀλίγοις, ζῶντας δὲ τεθνηκόσι. 'Sacra' hic non tantum Eleusinia intelligo, ut quidam, sed et alia. Erant enim Athenienses, ut scribit Pausan. Attic. XVII. et XXIV. religiosissimi, cultuque Deorum et studio religionis omnes Græcos superabant. Unde Athenæ ἱερὰ et ἱερωτάτη πόλις ap. Aristoph. Equit. vs. 579. et 1034. et Pac. 1036. Quod autem Syllam Athenienses pepercisse dicit Florus, id de urbe verius est, quam de civibus; nam in hos primum satis crudeliter victoriam exercuit. Vid. Plut. in Syll. et App. Mithrid. p. 195.

§. 11 *Mox cum*] Vide Vell. 2, 23, 4. *Freinsh.*

Cum Eubœa atque Bœotia præsidia Regis dispulisset] Longe verius Ryckianus: *c. E. a. B. præsidia Regis depulisset.* Græv. Hoc recipiendum putavi: quod vulgatum non Latine dici credo. Idem Codex, libri Salmasii, Berol. Duisb. Fran. et v. e. *Chæroniam.*

Ipsum opprimit] Nazarianus: *ipsam opprimit:* et mox, *et debellata foret:* ut de Asia intelligatur: sed præstat vulgatam servare, et de ipso Mithridate accipere. *Salm.* Vulgata est in omnibus aliis libris. Sed Mithridatem in Asia a Sylla victum fuisse Floro non credo. Nam Sylla in Asiam transgressus est invitatus a Rege pacis faciendæ causa. Plut. et App.

Cito, quam vere] Hic quoque idem accidit Floro, quod supr. III. 3. 3. in eo notavit Grævius. Nam Sylla non nisi post aliquot annos confecto jam bello civili de Mithridate triumphavit. Nec triumphi cupiditate pacem cum Mithridate fecit; sed ut adversus factionem Marianam in Italia dominantem arma converteret, quum se utrisque parem non esse intelligeret. Plutarch. in Syll. et App. Mithrid. p. 204. et seqq.

§. 12 *Recepit Bithyniam a rege Nicomede*] Hoc manifesto mendosum, ut aliis jam observatum est. Aberrantia paululum hæc vestigia sequutus, colligo legendum: *recepit Bithyniam Regi Nicomedi, Ariobarzani Cappadociam.* Vitiosa scribendi ratio *rege* pro *regi.* Deinde imperitiores correctores præpositiones adjecerunt. *Salm.* Lipsius bene emendat, Electorum 2, 19. *Nicomedes, Ariobarzanes Cappadociam.* Grut. Vir doctus legit *Bithyniam Regi Nicomedi, Ariobarzani Cappadociam.* Freinsh. Conspirant in hac fœdissima macula, dudum a doctis animadversa, omnes libri adhuc visi. Justus Lipsius rem acu tetigit, et minima mutatione huic loco suum nitorem reddidit, scribendum præcipiens: *recipit Bithyniam a Rege Nicomedes, Ariobarzanes Cappadociam.* Alii longius abeunt. Idem etiam visum fuit politissimo, et, cum superesset, mihi amicissimo viro Tauaquillo Fabro. *Græv.* Item Ryckio, Perizonio, et Tollio. Nec scripti nec editi libri variant, nisi quod in Ed. P. non est *ab.*

Ut cœperat] Sunt a glossa hæc duo verba, meo quidem animo. *Freinsh.*

§. 13 *Quippe Rex Asia et Europa quodammodo inescatus*] Si sic scripsit Florus, inepte scripsit. Verum *et Europa* a sciolo insertum esse puto. Nam Asiam repetebat, ut ostendunt sequentia, tanquam immerito sibi ereptam, non vero Europam. Itaque censeo hunc iuntilem centonem exscindendum esse. Hæc etiam sententia fuit Annæ χαριεστάτης. *Græv.* Mihi nondum liquet de veritate hujus emendationis. Sequentia quidem non ostendunt eum repetivisse Europam, sed Florus tamen recte dicere potuit eum *Europa* quoque *inescatum fuisse.* Nam superiore bello non tantum Asiam, verum etiam Europæ partem occupaverat. In eam, nisi Asia prius occupata, transire non poterat: quod facturum, et Europam quoque repetiturum fuisse, quam jam plane fractis viribus invadere voluit, n. 25. credibile est, si ei in repetenda Asia fortuna favisset.

Sed quia amiserat, quasi raptam belli jure repetebat] Ea nimirum humani ingenii consuetudo est, quæ semel possederunt, jure sive injuria, putare pro suis. Cebetis Tabula, pag. 53. Quadrat huc Livii locus, 33, 32, 12. ubi de principibus Carthaginiensibus, qui, Remp. aliquamdiu peculati, industria Annibalis eo compendio exciderant: 'Tum vero isti, quos paverat per aliquot annos publicus peculatus, velut bonis ereptis, non furto eorum manibus extorto, infensi et irati,' &c. Simile est illud Cic. Verr. 4, 18. 'Quia non potuerat argentum eripere, ipse a Diodoro erepta sibi vasa optime facta dicebat.' Liv. 34, 35, 7. 'Qui exulum conjuges in matrimonio habebant, aut ex bonis eorum aliquid possederant, tanquam amissuri, non reddituri, indignabantur.' Meurissus, de Ep. Metens. p. 308. 'Veluti de paternis reditibus.' Hieron. Ep. 2, 17. 'Quicquid non tulerint, sibi ablatum putant.' *Freinsh.* Lipsius malebat: *sed quia captam amiserat, quasi belli jure repetebat.* Nulla necessitas hic omnibus codicibus obstrependi. Quia cogebatur Asiam reddere quam occupaverat, ac si vi ei et injuste esset erepta, vi et armis illam sibi denuo vindicabat. In hoc cap. superius: 'Primus impetus belli rapuit Bithyniam.' N. Heinsius censet concinnius esse, si scribatur, *quasi sibi raptam.* Græv. Quidam olim editi *captam.* Scripti et v. e. *raptam*, i. e. ereptam. Vid. II. 6. 2.

§. 14 *Extincta parum fideliter incendia*] Eodem simili, de incendio, utitur Auctor supr. 2, 15, 15. et inf. 4, 2, 53. Eodem Curtius, 6, 3, 11. 'Parva sæpe scintilla contempta, magnum excitavit incendium.' *Freinsh. Parum fideliter*] Alibi 'mala,' et 'non bona fide.' Vid. II. 1. 1. Ovid. Rem. Am. vs. 649. 'Sed meliore fide paullatim exstinguitur ignis, Quam subito.' *Revivescere* de flamma, Idem Met. VII. 77. 'Exstinctaque flamma revixit.' Vid. ibi Heins.

Majorem in modum] Suspicor illud *majorem* adjectum a librariis, qui non intelligerent vim vocis *inmodum:* quod et positum supra. *Freinsh.* Hoc merito rejicit Rupertus. 'Majorem in modum' quamplurimis locis dicit Cicero, quibus omnibus, siquidem hæc ratio valeret, detrahendum esset *majorem. Inmodum* nulli libri habent; et velim doceri an ea vox ap. probatos Scriptores inveniatur pro *admodum.* Vid. ad III. 1. 13.

Tota denique regni sui mole] Ita loquitur Tac. 6, 36, 1. 'Mox Artabanus tota mole regni ultum iit.' *Freinsh.*

Mari terra fluminibusque veniebat] Hic quoque, ut supra, *veniebat* nimis leve putat verbum esse N. Heinsius, scribendumque *irruebat.* Græv.

§. 15 *Cyzicum*] Quæ hic dicuntur, præter alios lege Frontin. 2, 1. et 4, 5, 21. Cic. ubi supra, Plin. 5, 32. et 36, 15. Plura ad hanc historiam scribit Strabo, lib. 12, pag. 396. *Camers.* Meminit et Tacitus, 4, 36, 3. et Obse-

quens, cap. 121. *Freinsh.* Hæc gesta sunt tertio bello adversus Mithridatem, quod is aliquot annis post pacem cum Sylla factam, atque etiam post hujus mortem, præcipue a Sertorio impulsus susceperat sub A. U. 678. *Portu* non est in Regg. Toll. Duisb. Fran. et v. e. Non videtur debuisse omitti. Nam Strabo lib. XII. p. 575. inter alia, quibus Cyzicum nobilem fuisse dicit, duos portus, et navalia plus quam ducenta memorat.

Toto invaserat bello] Tota mole belli: II. 6. 55. 'In ipsam Africam tota mole conversus:' III. 10. 24. 'Circa Gergoviam tota belli moles fuit:' IV. 8. 3. 'Tanta mole belli.'

§. 16 *Lucullum*] Quem inter summos imperatores merito suo numerat Justin. 37, 1, 8. cujusque ingentes, sed veræ laudes, ap. Cic. Q. Acad. 4, 1. *Freinsh.*

Horribile dictu] Hoc reprehendit Grævius in Præf. tamquam tragœdiam in re parva. Respondet Begerus, veteres dicere 'horribilem metum,' et utique horribile fuisse natare inter fluctus et medias naves hostium, cum duplici metu mortis. Prius nihil ad rem, de qua quæritur, pertinet. Nam ex eo non consequitur hic opportune adbiberi illum ecphonesin. In posteriore paullo plus ponderis est ad Florum defendendum. Sed qui perspectum habet genium et rationem scribendi hujus Declamatoris, facile sibi persuadebit, eum hic exclamatione illa non tam ideo usum quod ea præcipue huic loco conveniret, aut quasi res, quam narrat, tam horribilis fuerit; quam consuetudine sua, qua eam etiam alibi, tamquam splendidum aliquod emblema satis frigide et intempestive orationi infercire solet, quo illa quasi gemmula quadam ei distingui videbatur. Vid. supr. I. 16. 12. et II. 6. 12. Certe nemo veterum Scriptorum in ea re narranda, quæ tum notissima et usitatissima erat, quidquam addit, unde intelligi possit, id iis tam horribile visum fuisse. Keuchenius ad Frontin. scribens Florum hoc non nuncio Luculli, sed ipsi Lucullo tribuere, mentem alibi habuit: quo nomine ei non leviter insultat Tennulius.

Utre suspensus] Suet. de Cæs. 57, 4. 'Si flumina morarentur, nando trajiciens, vel innixus inflatis utribus, persæpe nuntios de se prævenit:' ubi Casaubonum vide. Historiam recitant etiam Sall. H. 3, 3, 7. Frontin. 3, 13, 6. Sidon. Carm. 22, 167. *Freinsh.* Multa hujus rei exempla congesta vid. ap. Lips. II. Poliorc. ult. et Stewech. ad Veget. III. 7.

Et pedibus iter adgubernans] Frontinus: 'Et pedibus velut gubernantis dimissis.' Lego: *demissis.* Sequitur, 'velut marina pistrix.' Pistores, seu pistrices, an mare habeat, nescio. Legendum *pristrix.* In optimo libro *istris, pistris,* pro *pristis,* et melius est. 'Pristicem' tamen dixerunt veteres, et 'pristim.' 'Pristis' et 'pristrix,' pro quo corrupte semper scribitur *pistrix.* Actius *pristices* etiam dixerat. Nostræ Glossæ: '*Pristrix,* bellua maris. Actius *pristices* dixit.' Paulus, mutilator Festi: 'Balenam, belluam marinam, ipsam dicunt esse pristicem, et cetum.' Locum illum ita legimus. Nec mirum debet videri, si 'pristix' Latini dixerunt: πρίστις 'pristix,' ut Αἴας 'Ajax.' In veteri inscriptione 'Tigrix.' Vide Indicem Inscriptionum Gruterianarum. Apud Suidam πρίστις pro bellua marina. Unde et πρήστιδες νῆες, quæ et πρίστεις apud Polybium. Latini 'pristes,' quæ etiam dicebantur 'Cetenæ' a Ceti magnitudine. Hesych. Κητήνη, εἶδος πλοίου. *Salm. Pistrix*] Sic et Pall. duo. Idem esse quod *pristis,* dudum monuit Sylburgius: est in Naz. *Istris,* quod esse poterat *histrix.* Grut. Ryck. Voss. 1. 2. edd. B. S. et P. *pistris.* Flor. Magl. Duisb. Voss. 3. Fran. et v. e. *pistrix,* quod mihi post Camertis, Stadii, et

alias recentiores Editt. revocandum visum fuit, pro *pristix*, quemadmodum Grævius et Amst. edidcrant, et habent Regg. In libris Plinii plerumque esse 'pristis' aliquot locis adnotavit Hermolaus. In Virgilio est 'pistrix' et 'pristis.' Vid. Hadr. Jun II. Animadv. 13. cui eadem sunt *pistrix* et *pristis*, et Gronovio I. Obs. 17. *pistris, pistrix*, et *pristis*. Add. Voss. Etymol. *Pristrix* rursus Salm. ad Solin. p. 200. et 227.

§. 17 *Clade conversa*] Hoc Rupertus e Memnone cap. XLI. Histor. Heracleæ Ponticæ ap. Photium, accipit de clade, qua Romani duce Cotta, qui ante Luculli adventum bellum cum Mithridate gesserat, a Ponticis adfecti fuerant. Ryckius quoque adscripserat, clade a Romanis conversa in Mithridatem. Sed quum Florus hanc cladem Cottæ non memoret, dubito an hoc potius dicat de damnis ac malis, quæ Cyziceni arctissima obsidione clausi patiebantur, inter quæ fames et morbi fere prima sunt.

Et ex fame pestilentia, urgeret] Particula *et* non adest melioribus libris: manifesto vox excidit, sine qua sensus non potest esse integer. Suspicor deesse verbum *fames:* verba Flori: *Mox clade conversa, quum ex mora obsidentem regem fames, ex fame pestilentia, urgeret:* vocem *fames*, ut arbitror, recte supplevimus; ut vulgo hactenus lectum est, nihil cohærere facile animadverti. *Salm. Obsidentem regem fames, et ex fame pestilentia*] Correctio est a Salm. proba, nisi me fallunt omnia: prius legebatur: *regem, et ex fame pest.* male: ut enim duas pestis caussas simul proponere voluisset Florus: ita certe locutus non esset; dixisset potius, *ex mora et fame.* Sic ferme ap. Curt. 9, 10, 13. 'Famem deinde pestilentia sequuta est.' Pertinent huc versus Sid. Apollinaris Carm. 2, 513. 'Segnis ad insignem sedit cum Cyzicon hostis, Qui cogente fame, cognata cadavera mandens Vixit morte sua.' Et 22, 165. 'Compulsusque famis discrimina summa subire Invidet obsesso miles Mithridaticus hosti.' *Fr.* Debetur laus loci hujus restituti non libris, sed ingenio maximi Salmasii. Nam Ryck. et alii omnes: *cum ex mora obsidentem regem fames,* * *ex fame pestilentia urgeret.* Cum nulla esset horum verborum sententia editores *et* intruserunt. Sed verum vidit ὁ πάνυ, cui merito applauserunt recentiores editores. N. Heins. tamen conjicit scripsisse Florum: *Mox clade conversa, cum exorta obsidentem regem e fame pestilentia urgeret:* εὐστόχως hercule! Mox contra eosdem libros doctiss. Freinsh. bene quoque correxit: *apparatuque belli gravem.* Dein *Pompeio suo* firmat etiam Ryckian. *Græv. Fames* non solum in Naz. et Pall. verum etiam in Ryck. Regg. Duisb. Fran. Voss. 1. 3. et o. c. desideratur. Itaque tollenda est hæc vox, * quæ in solo Voss. 2. est, e verbis Flori in animadversione Grævii. Tollius e suis nihil adnotaverat, quod negligentiæ tribuo. Copula *et*, quam deletam vult Salmasius e Naz. abest etiam a Ryck. et Berol., sed est in Pall. ap. Grut. ceterisque scriptis, et o. e. Conjectura Salmasii inserentis *fames* confirmatur e Curt. ap. Freinsh. 'Macedones primo inopiam, deinde famem sentire cœperunt,' et interjectis nonnullis, 'Famem deinde pestilentia sequuta est.' Et Justin. II. 13. 'Quotidiano labori etiam fames accesserat: multorum deinde dierum inopia contraxit et pestem.' Ac denique Mamert. in Paneg. Maxim. V. 'Ire passus es in profundam famem, et ex fame in pestilentiam.' Quæ duo loca doctiss. Davies. ad Cæsar. III. B. C. 84. simili cuidam suæ conjecturæ in Appiano stabiliendæ causa adfert. *Mora*, quod conjectura Heinsii contra o. s. et e. mutat, retinendum esse suadent verba Mithridatis in Epist. ad Arsacen ap. Sall. IV. Hist. 'Apud Cyzicum magno cum

exercitu in obsidione moranti frumentum defuit.'

Et Æsapus amnes] *Exopus, etopus, esopus, Æsopus:* tot modis corruptum hujus fluvii nomen in antiquis libris. *Salm.* Hic quoque nihil erat e Toll. *Asopus* Ryck. *Æsopus* alii o. s. et e. Græcis Αἴσηπος. Qui perperam in Eclogis Memnonis e. XLII. Αἴσιππος dicitur. Plinio v. H. N. 32. est 'Æsepus,' qui aliis 'Æsapus:' nam Latini η Græcum sæpe in a mutant.

§. 18 *Romanæ avaritiæ*] Add. supr. 3, 1, 13. Idem crimen Romanis Galgacus objicit, ap. Tac. Agr. 30, 10. 'Si locuples hostis est, avari sunt Romani.' *Freinsh.* Florus parum sollicitus est de ordine rerum gestarum. Nam Rex navibus a Cyzico avectus prælio, quo Lucullus copias ejus ad Æsapum delevit, non interfuit. Quod hic narrat, postea factum est, quum Mithridates post solutam obsidionem Cyzici reparato exercitu castra in Cabiris posuisset. Appian. in Mithrid. p. 222. et 226. Pro *qua* N. Heinsius scripserat *quo*. Idem in mentem venerat Perizonio Anim. Hist. e. x. p. 441. Et sic erat in Naz. In Flor. et Magl. *quas sequentes*, et in Pall. Duisb. Berol. et v. e. *morarentur*. Unde Perizonius ad hunc locum putabat etiam legi posse, *quæ sequentes morarentur*.

Spargi a fugientibus] Idem Tryphon, Syriæ rex, fecisse dicitur, qui victus per totum iter fugiens pecuniam sparsit, eaque insectanda Antiochi equites moratus, effugit. Frontin. 2, 13, 2. Idem fecit Alaricus, Gothorum rex, a Stilicone victus. Lege Claud. de sexto Cons. Honorii. Item de B. Get. vs. 610. ubi plura dictavimus. *Camers.* Tribuit hoc etiam Mithridati satrapæ Polyænus, lib. 7. et Frothoni suo Saxo Sialand. primo Hist. Dan. p. 23. Pertinet eo Syrorum exemplum in sacris literis, 4 Reg. 7, 7. Adde Polyb. 18, 5. Willermum Tyrens. 18, 9. *Freinsh.*

Nec felicior in mari, quam in terra fuga] Τὸ *fuga* delendum merito censet ingeniosiss. Perizonius Animadv. Hist. cap. 10. quia nullam in mari fugam Mithridatis narret deinceps Florus, sed classem ejus tempestate disjectam ac laceratam, non fugatam ab hoste, quem illa ne quidem vidisset, ut ex verbis sequentibus statim pateat. *Græv.* Mihi nondum plane persuadent rationes Perizonii *fuga* esse a mala manu. Apertum est Florum existimasse Mithridatem interfuisse prælio ad Æsapum, eoque victum navibus fugisse. Hoc postquam semel dixit, nihil erat, cur deinceps alia, quam quæ de naufragio classis regiæ memorat, de fuga illius in mari narraret. Deinde, ex eo, quod classis Regis non ab hoste fugata, sed tempestate lacerata est, non consequitur vocem *fuga* huic loco non convenire. Nam 'fuga' et 'fugere' etiam de omni festinato ac præcipiti discessu, quamquam nemine insequente, dicuntur. Ita Virg. Æn. II. 176. discessum Græcorum a Troja *fugam* dicit: 'Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas.' Et Florus supr. II. 6. 46. Hannibalem ab Urbe Roma 'fugisse' dicit, pro, præcipiti itinere discessisse. Vid. quæ ibi adnotavi. Nec video, cur Florus discessum Mithridatis a Cyzico minus potuerit adpellare *fugam*, quam Appianus et Plutarchus, qui quum, æque ac Florus, Regem Pontum classe petentem non ab hoste fugatum, sed magnam partem navium tempestate amisisse, scribant, tamen in ea re 'fugæ' vocabulo utuntur, et 'fugisse' eum dicunt. Appian. Mithrid. p. 222. Δρασμὸν ὁ Μιθριδάτης ἐβούλευε, καὶ ἔφευγε νυκτὸς, αὐτὸς μὲν ἐπὶ τῶν νεῶν ἐς Πάριον. Et Plut. in Luc. p. 911. Ἐκ τούτου Μιθριδάτης μὲν ἔφυγεν ἐπὶ θάλασσαν. Magis me movet tertia ratio Perizonii, a Grævio prætermissa, non posse infelicem dici fugam Regis in terra, utpote in qua elusis

strategemate persequentibus feliciter evaserit. Hoc confirmari potuisset e Liv. qui XXVIII. 8. 4. 'felicem' dicit 'fugam' eorum, qui e manibus hostium elabantur. Sed responderi potest, Florum non tam respicere ad solius Regis personam, quam ad calamitatem, quæ exercitui ejus in hac fuga accidit. Mithridates relicta obsidione cum exercitu ad Æsapum fugit, ex sententia Flori. Ibi eum adsequutus Lucullus copias ejus prope ad internecionem delevit, et ipse vix fuga elapsus est. Qui ita fugit, etsi ipse manus hostium evadit, tamen non admodum feliciter fugisse dici potest; certe non magis, quam Xerxes, cujus fugam e Græcia, et reditum in Asiam, Hellesponto navicula piscatoria trajecto, 'non felix iter' vocat Justinus II. 13. 11. Præterea, si ideo quod Rex e manibus hostium elapsus est, fuga illius in terra felix fuit, eadem neque in mari infelix dici potest: quamquam enim in ea circiter 10. millia hominum, et 60. naves amisit, et ipse navi, qua vehebatur, fatiscente in maximum periculum venit, tamen, ut Appianus et Plutarchus tradunt, conscenso myoparone piratico evasit.

Apparatumque] Non dubito legendum *apparatuque:* nam vox 'gravis' commodius ad classem, quam apparatum, referatur. Nec exempla desunt: supr. 2, 2, 34. 'Commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis:' et 3, 1, 11. 'Thalam gravem armis thesauroque regis.' *Freinsh.* Probabat etiam Perizonius. Hoc quidem præfero vulgato, atque etiam melius esse credo *apparatu*, detracta copula. Nec tamen quidquam in contextu mutandum censeo. Antea quoque e libris scriptis et edd. ante Græv. volueram edi *apparatumque*, sed operæ sequutæ fuerant Edit. Amst. quæ Grævianam expresserat.

§. 19 *Quodam cum fluctibus procellisque commercio*] Ad hanc formam Claudian. 'O nimium dilecte Deo, tibi militat æther, Et conjurati veniunt ad classica venti.' *Freinsh.* In his Rupertus adulationem, vel pompam, Ryckius tumorem poëticum agnoscit. Grævius in Præf. ventosa, ultra modum hyperbolica, et *κακόζηλα* esse pronunciat. Begerus notam *κακοζηλίας* vocabulis 'quasi,' et 'videretur,' præcaveri dicit; 'fluctusque et procellas tunc secundum Luculli vota operantes idem effectui dedisse, quod ipsius jussui potuisset magnus exercitus;' ac denique, 'eadem ratione loqui Claudianum' ad Theodos. III. Cons. Honor. vs. 97. Hæc non probant nullam in his esse *κακοζηλίαν*. Nam de hujusmodi commercio ne cogitare quidem, multo minus suspicionem, aut mentionem ullam injicere debet Historicus. Nec ignorabat Grævius illa Claudiani, quæ ei opponit Begerus, ob eamque causam in poëtis talia tolerabilia esse dicit; sed tamen et hanc hyperbolen modum excedere. Et hoc verum est. Nam nec Claudianus, nec alii poëtæ ibi a Barthio laudati, qui similibus figuris carmina sua ornarunt, ullum commercium hominum cum cœlo ac mari, aut imperium in ea memorant: hoc enim omnem modum fingendi excedit. Schefferus tollit *videretur*, et legit *tradidisset regem ventis.* Nam, dicit, *si visus* est tradidisse, non *quasi visus* est. Est inanis argutiola: *quasi tradidisse videretur*, idem est, ac *quasi tradidisset.*

§. 20 *Animus mulis augebatur*] *Magis* Palatinus, perperam. *Salm.* Vide supr. 1, 16, 7. *Freinsh.* *Magis* etiam Berol. Duisb. et v. c. Salm. hic scripserat, Naz. *agebatur.* Sic supr. *acta* pro *aucta.* Hoc pertinet ad III. 3. 8. 'Necessitate aucta virtus.'

§. 21 *Et utræque sollicitabantur Armeniæ*] *Sollicitantur*, Naz. Paulo post legend. *per quæ omnia decus et nomen et titulos Pompeio suo fortuna quærebat. Pompeio suo*, eleganter: quod con-

jectura primum scripseram; postea assenserunt aliquot scripti. *Salm.* Admisi *sollicitantur* e Naz. Pall. plerisque s. et v. e. *Sollicitabantur* Voss. 3. et Toll. si hic quoque non dormitavit Tollius. Nec novum est, præsens pro imperfecto vel perfecto poni. Videntur mutasse, qui putabant omnino debere convenire cum sequenti 'quærebat.' *Per quæ* Naz. Ryck. Magl. Et Fran. divisis vocibus *per que*, pro *quæ:* vulg. *perque omnia.* Deinde Ryck. et edd. vett. præter primam, *et decus.* *Suo* o. s. et v. e. Utrumque merito placebat Heinsio et Perizon.

Pompeio sua fortuna] Pall. *Pompeio suo fortuna:* sequerer, nisi illud *sua* heic usurparetur, ut ap. Curt. 3, 2, 17. 'Nisi suam naturam plerumque fortuna corrumperet.' *Grut.* Idem pluribus hoc demonstrare satagit ad Liv. 5, 21, 13. Mihi videbatur leg. *suo.* Sic enim et Lucan. 8, 730. cui ut plurimum eadem cum Nostro verba: 'Pompeius, fortuna, tuus.' De Pompeio scripsit etiam L. Ampel. si sic legatur: 'Per Lucullum item eosdem Ponticos et Mithridatem: per Pompeium item eosdem Ponticos et Mithridatem, item Cilicos piratas.' *Freinsh.* Imitationem Lucani observat etiam Gronov. Diatr. in Stat. c. XLVIII.

§. 22 *Aliosque ex aliis*] Vid. Ind. Cic. IX. Ep. Fam. 19. 'Me quotidie aliud ex alio impedit.' Senec. de Tranq. An. c. 11. 'Aliud ex alio iter suscipitur.' Terent. Eun. IV. 2. 'Cœpi aliam rem ex alia cogitare.' 'Robora gentium,' ut 'Robora Germanorum' Tac. I. A. 24. et alibi similia.

Statim ponte navibus facto] N. Heinsius ait scribend. *statim ponte e navibus facto:* inferius idem Vir magnus his verbis expungendum censet *voluit*, et cum reliquis jungi: *Campaniam nostram subito adventu terrere, Colchis tenus jungere Bosporum.* Græv.

Primus transit Euphratem] Hic quoque fallitur Florus. Nam Euphratem primus Romanorum transiit Lucullus, cum hunc ipsum Mithridatem insequeretur, qui fugerat ad Tigranem in Armeniam, ut pluribus exponit Plutarchus in Vita Luculli. *Idem.* Item Appian. in Mithrid. p. 221. et Memnon ap. Photium c. LVIII. *Ante se* supervacaneum videri potest: nam sufficiebat 'omnium primus.' Sed apud alios etiam hujusmodi quædam invenies. Liv. XXX. 30. 'Omnis ante se memoriæ omnium gentium cuilibet Regum Imperatorumque pares.' Vell. II. 40. 'Longeque majorem omni ante se inlata pecunia in ærarium ....intulit.' Nam hic quoque abesse potuerat 'se,' et ap. Liv. 'ante se.' Similem perissologiam statuit Servius in hoc Virg. II. Æn. 40. 'Primus ibi ante omnes.' Nec abhorret ab hoc genere loquendi, quod legitur in monumento Adulitano: Πάντα δὲ ταῦτα ἔθνη πρῶτος καὶ μόνος βασιλέων, τῶν πρὸ ἐμοῦ, ὑπέταξα.

§. 23 *Quanta felicitas viri*] Uterque Pal. *quantas felicitates viri.* Salm. Eod. modo Flor. 'Confecit' idem est ac, debellavit, ut mox Florus. Vid. Gebhard. ad C. Nep. Lys. I.

Nocturna ea dimicatio] A qua abhorruisse Parthos scribit Plut. in Crasso, cap. 57. Contra Βασουλιεῖς, vel ut legit Vales., Μασυλιεῖς Λίβυες ὅταν πολεμῶσι, τὰς μὲν νύκτας μάχονται, τὰς δ' ἡμέρας εἰρήνην ἄγουσι. Nic. Damasc. ap. Vales. p. 518. *Freinsh.*

A tergo hostibus, a facie Romanis] Ita Pall. o.; ut videatur ita scripsisse Auctor, cujus equidem sententiam firmet Plutarchus, Nicia, cap. 44. 'Habebant lunam a tergo, unde semet ipsi inumbrantes multitudinem suorum et fulgorem involvebant armorum. Hostes vero clipei, objecta refulgentes luna, multo plures repræsentabant et validiores.' Plures tamen, immo fere omnes, corrigendum censent, *a facie hostibus, a terg.*

Romanis: et si non ita scripserit Auctor, debuisse scribere, quod et Plutarch. Pomp. cap. 53. Frontin. 2, 1, 12. de hac ipsa historia: et de simili Tac. H. 3, 23, 6. ubi Lipsii notam vide. *Idem.* Lipsii emendationem probat Simsonius in Chronico ad A. M. 3839. In libris Flori nulla est varietas. Verum et aliorum Scriptorum auctoritas, et ratio ipsa juvat emendationem Lipsii. Nec tamen pro certo statui potest Florum ita scripsisse. Nam potuit, quum hæc scribebat, animo parum adtento, nec memori eorum, quæ apud alios legerat, fuisse. Heinsius ad 'cadentes' e Virg. 1. Ecl. 84. adscripserat: 'Majoresque cadunt altis de montibus umbræ:' et e Tibull. II. 5. 96. 'Arboris antiquæ qua levis umbra cadit.'

Umbras suas] *Suas* expungit Lipsius citato loco. *Freinsh.*

§. 24 *Omnia expertus*] Quod magnopere laudat, et imitandum bellatoribus censet Gruterus, ad Tac. Discursu nono. Ex ead. schola est illud Britannorum, ap. Tac. Agr. 15, 8. 'Virtutes majorum suorum æmularentur, neve prælii unius aut alterius eventu pavescerent.' De Romanis vide sup. 1, 18, 19. *Freinsh.* In libris Salmasii, Berol. Duisb. et v. e. *postremo.*

§. 25 *Siciliæ quoque littora et Campaniam*] Camillus Peregrinus Vir doctiss. in pereruditis suis Dissertationibus de Felice Campania seu Capua Antiqua, hunc locum corruptissimum esse putat, maleque hic, cum fugere cœpisset Rex, mentionem fieri Siciliæ et Campaniæ, cum paullo post rectius, et suo loco dicat illum cogitasse Italiam inopinantem invadere. Legendum itaque censet, *Quippe cum effugisset hostem, per Colchos, Scythiæ quoque littora et claustra, nostra subito adventu terrere.* Hanc emendationem auctoritate Appiani, et Epit. Liv. tuetur. Hæc lib. 101. docet Mithridatem 'per Colchos intendisse fugam.' Ille narrat Regem ad Euphratis fontes properasse Colchos petiturum, et perlustrata in circuitu ora Pontica, Scythisque maris ejus accolis et paludis Mœotidis, pervadere in Bosporum, pulsoque Machare ingrato filio, rursus apertum cum Romanis bellum gerere, et ex Europa impugnare Asiam diremptam freto modico. Idem dicit, Mithridatem tot feras gentes et quæ vocantur claustra Scythiæ, nulli antea permeata, transisse. Florum autem 'nostra' dixisse pro, nostri juris et ditionis provincias, seu Romanas. *Græv.*

Mox subruto Piræei portu] Recte feceris, si mihi expungas hæc quatuor verba: quæ ex superioribus illis irrepsere: *mox subruto Piræei portu sex quoque et amplius muris, &c.* quis vero aut qui ea in hunc locum transtulerit, non possum scire: lego igitur, et distinguo, illis ejectis quæ diximus: *Quippe cum effugisset hostem Colchos, Siciliæ quoque litora, et Campaniam nostram subito adventu terrere voluit, Colchis tenus jungere Bosphorum, inde per Thraciam, Macedoniam, et Græciam, transsilire, sic Italiam nec opinatus invadere tantum cogitavit:* in Palatinis; *tamen cogitavit.* Salm. Salmasio Gruteroque monentibus omisi ista verba, *mox subruto Piræei portu,* quæ inferciunt Impr. errore cod. Naz. qui notatus est supra, n. 10. *Freinsh.*

Colchis tenus jungere Bosporon] In omnibus vett. edd., excepta prima, post 'terrere voluit' leguntur hæc verba, *mox subruto Piræei portu Colchis tenus jungere Bosphorum,* e quibus quatuor priora e superioribus n. 10. temere repetita esse omnes consentiunt. Eorum, quæ deinde sequuntur, sententiam sola ex Interpp. Anna Fabri explanare tentavit, quæ ita exponit: Bosphori ripas ponte ex navibus committere, ut pedibus a Colchis Thraciam transiliret, a Thracia Macedoniam, a Macedonia Græciam, Epirum scilicet, et ab Epiro